
3 1761 07993979 9

T. MACCII PLAUTI

COMOEDIAE.

RECENSUIT ET ENARRAVIT

IOANNES LUDOVICUS USSING.

VOLUMEN PRIMUM

AMPHITRUONEM ET ASINARIAM


CUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS CONTINENS.



HAVNIÆ MDCCCLXXV.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (F. HEGEL).

TYPIS EXCUDIT J. JOERGENSEN ET SOCII.


LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO

IOANNI NICOLAO MADVIGIO

S.

Multorum annorum opus iudiciis virorum doctorum subiicere aggredienti Tuum ante omnia nomen præfigendum videbatur, qua re quum Tibi debitum honorem præstarem, tum mihi quoque subsidii aliquid parare videbar. Nam in cuius fidem et tutelam potius confugerem quam in Tuam, cui, si quid in his litteris assecutus sum, uni debeo, qui inde a primis annis, quibus hæc studia attigi, paterno me amore amplexus es semperque laborum meorum et hortator et corrector fuisti ita severus, ut animum non frangeres, ita lenis, ut vitiis non indulgeres. Quare huius quoque operis Tuum iudicium expecto et grave et æquum. Tu me nosti non temere hoc opus aggressum esse nec contentionis causa aliorum sententiis adversatum, sed, quia egregium poetam eundemque hodiernæ comœdiæ parentem ex animo diligerem, id studuisse, ut oratio eius quam maxime integra prodiret et a studiosis litterarum intelligi posset. Non

paucos equidem videram omni doctrinæ et ingenii præstantia præditos id egisse et quum maxime agere, ut Plautus abiectis sordibus, quas situ et incuria contraxisset, in pristinum nitorem restitueretur; sed eorum magna pars studiorum ardore abrepta fines egredi videbatur, ut, quidquid in numeris aurium elegantiam offendisset, quidquid in sententiis non ita, ut ipsis placuerat, nexum et compositum visum esset, corrigendo et transponendo emendarent, qua ratione tales et tam frequentes errores oriri potuissent, parum curantes. Multa videbam viros doctos recte observasse, sed legibus a se inventis nimiam fiduciam mihi habere videbantur, Plautique textum quum ad illas leges exigerent, nitidum illum quidem et rotundum edere, sed fortasse a Plauto non nihil alienum. Tu me non superstitiosum potius quam cautum appellabis, quod legibus, quas proponimus, artis metricæ et grammaticæ non ubique Plau-

tum parere iussi. Illa ætate multa nondum satis firmata fuisse videntur, multa quoque ignorare nos credo, maxime in re metrica, quæ magnam partem cum antiquorum pronuntiandi ratione coniuncta est. Quare ubi sensus integer esset, ubi oratio vitio careret, numerorum asperitas ferenda videbatur, ne, dum minora vitia removere conarer, in maiora incurrerem, „festucam spectans in oculo fratris mei, trabem in meo non animadvertens". Quod autem non solum textum aliquem Plautinarum comœdiarum constituere conatus sum, sed etiam enarrandi opus suscepi, non doctis solis consulere volui, sed tironibus quoque et iis, si qui animi causa Plautum lecturi essent. In qua consilii duplicitate, dum quæ aliis impedimento fuerunt expedire conor, quamvis semper brevitatis studiosus fuerim, tamen non nihil vereor, ne multis multa abundare videantur. Atque utinam nihil aliud in hoc opere reprehendi possit quam

plus aut minus! Tu vereor ne non ita paucis locis errasse me iudicaturus sis; sed errori venia sit, si verum diligenter quæsitum esse apparebit; nam eiusmodi erroribus plerumque veri via munitur. Tu igitur indulgenti et paterno animo hoc opus accipias, utinam Tuo nomine non prorsus indignum!

Ioannes Ludovicus Ussing.

AMPHITRUO.

ARGUMENTUM I.

In faciem uersus Amphitryonis Iuppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcumenam uxorem cepit usurariam.
Mercurius formam Sosiae serui gerit
Absentis; his Alcumena decipitur dolis.
Postquam rediere ueri Amphitryo et Sosia,
Uterque deluduntur in mirum modum.
Hinc iurgium. tumultus uxori et uiro,
Donec cum tonitru uoce missa ex aethere
Adulterum se Iuppiter confessus est.

ARGUMENTUM II.

Amore captus Alcumenas Iuppiter
Mutauit sese in formam eius coniugis,
Pro patria Amphitruo dum decernit cum hostibus.
Habitu Mercurius ei subseruit Sosiae;
Is aduenientis seruom ac dominum frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo, atque in uicem
Raptant pro moechis. Blepharo captus arbiter
Uter sit non quit Amphitruo decernere.
Omnem rem noscunt; geminos Alcumena enititur.

Discrepantia scripturæ codicis Palatino-Vaticani 1615 (Ritschelii B)

I, 7 deluduntur dolis in

PERSONAE FABULAE.

Mercurius deus
Sosia servos
Iuppiter deus
Alcumena uxor
Amphitruo dux
Thessala ancilla
Blepharo gubernator
Bromia ancilla.

PROLOGUS.

Mercurius.

Ut uos in uostris uoltis mercimoniis
Emundis uendundisque me laetum lucris
Adficere atque adiuuare in rebus omnibus,
Et ut res rationesque uostrorum omnium
Bene *me* expedire uoltis peregrique et domi
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quasque incepistis res quasque inceptabitis,
Et uti bonis uos uostrosque omnis nuntiis
Me adficere uoltis, ea *ut* adferam, ea ut nuntiem,
Quae maxume in rem uostram communem sient —
Nam uos quidem id iam scitis concessum et datum
Mihi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro —
Haec ut me uoltis adprobare, adnitier,
Lucrum ut perenne uobis semper suppetat,
Ita huic facietis fabulae silentium,
Itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc quoius iussu uenio et quam ob rem uenerim,
Dicam, simulque ipse eloquar nomen meum.
Iouis iussu uenio; nomen Mercuriost mihi.
Pater huc me misit ad uos oratum meus,
Tametsi pro imperio uobis quod dictum foret
Scibat facturos, quippe qui intellexerat

---

5 me *om.* 9 ea adferam 19 Mercurii est.

Uereri uos se et metuere, ita ut aequomst Iouem;
Uerum profecto hoc petere me precario
A uobis iussit leniter dictis bonis.
Etenim ille, quoius huc iussu uenio, Iuppiter
Non minus quam uostrum quiuis formidat malum;
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est aequom, sibi si praetimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius,
Contagione mei patris metuo malum.
Propterea pace aduenio et pacem ad uos fero.
Iustam rem et facilem esse oratam a uobis uolo;
Nam iusta ab iustis iustus sum orator datus;
Nam iniusta ab iustis impetrari non decet,
Iusta autem ab iniustis petere insipientiast;
Quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.
Nunc iam huc animum omnes quae loquar aduortite.
Debetis uelle quae uelimus; meruimus
Et ego et pater de uobis et re publica.
Nam quid ego memorem — ut alios in tragoediis
Uidi Neptunum, Uirtutem, Uictoriam,
Martem, Bellonam conmemorare, quae bona
Uobis fecissent — quis benefactis meus pater,
Deorum regnator, architectus omnibus
Siet? Mos numquam illi fuit patri meo,
Ut exprobraret quod bonis faceret boni;
Gratum arbitratur esse id a uobis sibi
Meritoque uobis bona se facere quae facit.
Nunc quam rem oratum huc ueni, primum proloquar;
Post argumentum huius eloquar tragoediae.
Quid contraxistis frontem, quia tragoediam
Dixi futuram hanc? Deus sum, conmutauero;
Eandem hanc, si uoltis, faciam ego ex tragoedia

32 ad uos affero 34 Nam iuste ab 37 nulli iniquius 46 Sed 49 fecit

Comoedia ut sit omnibus isdem uersibus.
Utrum sit an non uoltis? Sed ego stultior,
Quasi nesciam uos uelle, qui diuos siem;
Teneo quid animi uostri super hac re siet.
Faciam ut conmixta sit tragicocomoedia;
Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
Reges quo ueniant et di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic seruos quoque partis habet,
Faciam sit, proinde ut dixi, tragicocomoedia.
Nunc hoc me orare a uobis iussit Iuppiter,
Ut conquistores singula in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus:
Si quoi fauitores delegatos uiderint,
Ut iis in cauea pignus capiantur togae.
Qui ambissint palmam *hic siue* histrionibus
Siue quoiquam artifici, seu per scriptas litteras
Siue ipsi ambissint seu per internuntium,
Siue adeo † aedibiles perfidiose quoi duint,
Sirempse legem iussit esse Iuppiter,
Quasi magistratum sibi alteriue ambiuerint.
Uirtute dixit uos uictores uiuere,
Non ambitione neque perfidia; qui minus
Eadem histrioni sit lex quae summo uiro?
Uirtute ambire oportet, non fauitoribus.
Sat habet fauitorum semper qui recte facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit *pater*,
Ut conquistores fierent histrionibus:
Qui sibi mandasset delegati ut plauderent

---

65 conquisitores singuli 67 fautores 69 Siue qui ambissent palmam histrionibus 71 Siue qui ipse ambissent 73 Si similem rem ipse in legem 74 ambiuerit 79 habere 81 pater *om.* 82 conquisitores 83 mandassent

Quiue quo placeret alter fecisset minus,
Eius ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim uos, quapropter Iuppiter
Nunc histriones curet; ne miremini,
Ipse hanc acturust Iuppiter comoediam.
Quid admirati estis? quasi uero nouom
Nunc proferatur, Iouem facere histrionam.
Etiam histriones † anno quom in proscenio hic
Iouem inuocarunt, uenit; auxilio is fuit.
Praeterea certo prodit in tragoedia.
Hanc fabulam, inquam, hic Iuppiter hodie ipse aget
Et ego una cum illo. Nunc *iam* animum aduortite,
Dum huius argumentum eloquar comoediae.
  Haec urbs est Thebae; in illisce habitat aedibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumenast nupta, Electri filia.
Is nunc Amphitruo praefectust legionibus;
Nam cum Teleboist bellum Thebano poplo.
Is prius quam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Grauidam Alcumenam uxorem fecit suam.
[Nam] ego uos nouisse credo iam, ut sit pater meus,
Quam liber harum rerum multarum siet,
Quantusque amator sit, quod conplacitumst semel.
Is amare coepit Alcumenam clam uirum
Usuramque eius corporis cepit sibi
Et grauidam fecit is eam conpressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrimquest grauida, et ex uiro et [ex] summo Ioue.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat,
Et haec ob eam rem nox est facta longior,
Dum *cum* illa, quacum uolt, uoluptatem capit.

---

84 placerent 92 invocaverunt 95 iam *om.* 101 Thelobois est 106 siet 114 cum *om.*

Sed ita adsimulauit se quasi Amphitruo siet.
Nunc ne hunc ornatum uos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum seruili schema,
Ueterem atque antiquam rem nouam ad uos proferam.
Propterea ornatus in nouom incessi modum:
Nam meus pater intus nunc est, eccum, Iuppiter;
In Amphitruonis uortit sese imaginem,
Omnesque eum esse censent serui qui uident;
Ita uorsipellem se facit, quando lubet.
Ego serui sumpsi Sosiae mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum,
Ut praeseruire amanti meo possem patri,
Atque ut ne, qui essem, familiares quaererent,
Uorsari crebro hic quom uiderent me domi.
Nunc, quom esse credent seruom et conseruom suum,
Haud quisquam quaeret, qui sim aut quid uenerim.
Pater nunc intus suo animo morem gerit;
Cubat conplexus, quoius cupiens maxumest.
Quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenae; illa illum censet uirum
Suum esse, quae cum moechost. Ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugauerit,
Quo pacto sit donis donatus plurumis.
Ea dona, quae illic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus; facile meus pater quod uolt facit.
Nunc hodie Amphitruo ueniet huc ab exercitu
Et seruos, quoius ego hanc fero imaginem.
Nunc internosse ut uos possitis facilius,
Ego has habebo usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium

---

116 admiramini 117 seruuli 139 quot 143 petas opinulas 144 torrulus

Uidere poterit, uerum uos uidebitis.
Sed Amphitruonis ille seruos Sosia
A portu illic nunc cum laterna aduenit.
Abigam iam ego illum aduenientem ab aedibus.
Adeste; erit operae pretium hic spectantibus
Iouem et Mercurium facere histrioniam.

---

148 illic est 151 adest ferit

SOSIA. MERCURIUS.

Sosia.

Qui me alter est audacior homo aut qui confidentior,
Iuuentutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam, nunc si tresuiri me in carcerem conpegerint?
Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum,
Nec causam liceat dicere mihi, neque in ero quicquam auxili
Siet, nec quisquam sit, quin me omnes esse dignum deputent.
Ita quasi incudem me miserum homines octo ualidi caedant.
Ita peregre adueniens hospitio publicitus accipiar.
Haec eri inmodestia coegit,
Me qui hoc noctis a portu ingratis excitauit.
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc seruitus durast:
[Hoc magis miser est diuitis seruos:]
Noctesque diesque adsiduo satis superquest,
Quo facto aut dicto ade*o*st opus, quietus ne sis.
Ipse dominus diues operis et laboris expers,
Quodcumque homini accidit lubere, posse rẹtur;
Aequom esse putat; non reputat, laboris quid sit,
Nec, aequom anne iniquom imperet, cogitabit.
Ergo in seruitute expetunt multa iniqua;
Habendum et ferundum hoc onust cum labore.

---

156 promptaria 157 neq. me ro 158 siet *antecedentis versus est* *Post v.* 159 *inseritur 171 suo loco recurrens* 160 publicius 167 adest 173 opus est

Mercurius.

Satiust me queri illo modo seruitutem; hodie qui fuerim liber,
Eum nunc potiuit pater seruitutis;
Hic, qui uerna natust, queritur.

Sosia.

Sum uero uerus uerbero; nunc sero mihi in mentem fuit
Dis aduenientem gratias pro meritis agere atque adloqui.
Ne illi edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem adlegent, qui mihi aduenienti os suggillet probe,
Quoniam, bene quae in me fecerunt, ingrata ea habui atque inrita.

Mercurius.

Facit ille quod uolgo haud solent, ut quid se sit dignum sciat.

Sosia.

Quod numquam opinatus fui neque alius quisquam ciuium
Sibi euenturum, id contigit, ut salui poteremur domi.
Uictores uictis hostibus legiones reueniunt domum
Duello extincto maxumo atque internecatis hostibus.
Quod multa Thebano poplo acerba obiecit funera,
Id ui et uirtute militum uictum atque expugnatum oppidumst,
Imperio atque auspicio mei eri Amphitruonis maxume,
Praeda atque agro *qui* adoreaque adfecit popularis suos
Regique Thebano Creoni regnum stabiliuit suum.
Me a portu praemisit domum, ut haec nuntiem uxori suae:
Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor quo modo illi dicam, quom illo aduenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero;
Nam quom pugnabant maxume, ego tum fugiebam maxume.

---

175 potuit 177 uero uerna uerbero nunc uero 180 occillet 181 qui 184 potiremur 187 Qui populo 189 eri mei 190 qui *om.* adoriaque

Uerum quasi adfuerim tamen, simulabo atque audita eloquar.
Sed quo modo et uerbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam uolo hic meditari. Sic hoc proloquar:
Principio ut illo aduenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit uiros primorum principes.
Eos legat; Telebois iubet sententiam ut dicant suam:
Si sine ui et sine bello uelint rapta et raptores tradere,
Si quae asportassint reddere, se exercitum extemplo domum
Reducturum, abituros agro Argiuos, pacem atque otium
Dare illis; sin aliter sient animati neque dent quae petat,
Sese igitur summa ui uirisque eorum oppidum oppugnassere.
Haec ubi Telebois ordine iterarunt, quos praefecerat
Amphitruo, magnanimi uiri freti uirtute et uiribus
Superbe nimis ferociter legatos nostros increpant;
Respondent bello se et suos tutari posse; proinde uti
Propere suis de finibus exercitus deduceret.
Haec ubi legati pertulere, Amphitruo castris ilico
Producit omnem exercitum; contra Teleboae ex oppido
Legiones educunt suas nimis pulcris armis praeditas.
Postquam utrimque exitumst maxuma copia,
Dispertiti uiri, dispertiti ordines.
Nos nostras more nostro et modo instruximus [legiones; item]
Hostes contra legiones suas instruunt.
Deinde utrique imperatores in medium exeunt,
Extra turbam ordinum conloquontur simul.
Conuenit, uicti utri sint eo proelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.
Postquam id actumst, tubae utrimque canunt contra;
Consonat terra; clamorem utrimque ecferunt.
Imperator uterque hinc et illinc Ioui

204 asportassent redderent 207 expugnassere 212 de suis deducerent 215 reducunt 226 utrimque

Uota suscipere, hortari exercitum.
Pro se quisque id, quod quisque pot*is* est et ualet,
Edit, ferro ferit; tela frangunt; boat
Caelum fremitu uirum; ex spiritu atque anhelitu
Nebula constat; cadunt uolnerum ui uiri.
Denique ut uolu*i*mus, nostra superat manus;
Hostes crebri cadunt; nostri contra ingruunt; uicimus ui feroces.
Sed fugam in sic tamen nemo conuortitur
Nec recedit loco quin statim rem gerat;
Animam omittunt prius quam loco demigrent;
Quisque, ut steterat, iacet optinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo erus conspicatust *meus*,
Ilico equites iubet dextera inducere.
Equites parent, citi ab dextera maxumo
Cum clamore inuolant, impetu alacri *ruunt*;
Foedant et proterunt hostium copias
Iure iniustas.

Mercurius.

Numquam etiam quicquam adhuc uerborumst prolocutus perperam.
Namque ego fui illi in re praesenti et meus, quom pugnatumst, pater.

Sosia.

Perduelles penetrant se in fugam; ibi nostris animus additust.
Uortentibus Telebois telis conplebantur corpora,
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua optruncauit manu.
Haec illic est pugnata pugna usque a mani ad uesperum;
Hoc adeo hoc conmemini magis, quia illo die inpransus fui;
Sed proelium id tandem diremit nox interuentu suo.

---

228 potest 231 uulneris ui et uirium 232 uolumus 234 inse tamen 236 Animum 237 optimet 238 meus *om.* 241 ruunt *om.* 245 illic 249 amane

Postridie in castra ex urbe ad nos ueniunt flentes principes.
Uelatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum;
Deduntque se, diuina humanaque omnia, urbem et liberos
In dicionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.
Post ob uirtutem ero Amphitruoni paterast donata aurea,
Qui Pterela po*ti*tare solitus est rex. Haec sic dicam erae;
Nunc pergam eri imperium exequi et me domum capessere.

Mercurius.

Attat, illic huc iturust. Ibo ego illi obuiam,
Neque ego hunc hominem hodie ad aedis has sinam umquam accedere.
Quando imagost huius in me, certumst hominem eludere.
Et enimuero, quoniam formam cepi huius*ce* in me et statum,
Decet et facta moresque huius habere me similis item.
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum
Atque hunc telo suo sibi, malitia, his a foribus pellere.
Sed quid illuc est? caelum aspectat. Obseruabo quam rem agat.

Sosia.

Certe edepol, si quicquamst aliud, quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium.
Nam neque se septem triones quoquam in caelo commouent,
Neque se luna quoquam mutat, atque uti exortast semel,
Nec iugulae neque uesperugo neque uergiliae occidunt.
Ita statim stant signa neque nox quoquam concedit die.

Mercurius.

Perge, nox, ut occepisti; gere patri morem meo.
Optumo optume optumam operam das, datam pulcre locas.

Sosia.

Neque ego hac nocte longiorem me uidisse censeo

---

252 annos 256 donata est 257 potare rex solitus est 260 huc 261 imme 262 huius 267 edepol scio si quid 269 Namq. neq. se septentriones 272 diei 274 des 275 uedisse me

Nisi item unam, uerberatus quam pependi perpetem:
Eam quoque edepol etiam multo haec uicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe;
Mira sunt, nisi inuitauit sese in cena plusculum.

Mercurius.

Ain uero, uerbero? deos esse tui similis putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiam; modo sis ueni huc, inuenies infortunium.

Sosia.

Ubi sunt isti scortatores, qui soli inuiti cubant?
Haec nox scitast exercendo scorto conducto male.

Mercurius.

Meus pater nunc pro huius uerbis recte et sapienter facit,
Qui conplexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.

Sosia.

Ibo ut erus quod imperauit Alcumenae nuntiem.
Sed quis est hic homo, quem ante aedis uideo hoc noctis? non placet.

Mercurius.

Nullust hoc meticulosus aeque.

Sosia.

Em, in mentem uenit,
Illic hoc homo denuo uolt pallium detexere.

Mercurius.

Timet homo; deludam ego illum.

Sosia.

Perii, dentes pruriunt.
Certe aduenientem hic me hospitio pugne*o* accepturus est.
Credo misericors est; nunc propterea quod me meus erus
Fecit ut uigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppido interii; obsecro hercle, quantus et quam ualidus est!

---

289 metuculosus aeq. SOSIA Quem in 290 homo hoc 292 pugne

Mercurius

Clare aduorsum fabulabor, hic auscultet quae loquar;
Igitur magis homo maiorem in sese concipiet metum.
Agite pugni; iam diust, quod uentri uictum non datis.
Iam pridem uidetur factum, heri quod homines quattuor
In soporem conlocastis nudos.

Sosia

Formido male,
Ne ego hic nomen conmutem meum et Quintus fiam e Sosia.
Quattuor uiros sopori se dedisse hic autumat;
Metuo ne numerum augeam illum.

Mercurius

Em, nunc iam ergo † sicolo

Sosia

Cingitur; certe expedit se.

Mercurius

Non feret, quin uapulet.

Sosia

Quis homo?

Mercurius

Quisquis homo huc profecto uenerit, pugnos edet.

Sosia

Apage, non placet me hoc noctis esse; cenaui modo;
Proin tu istam cenam largire, si sapis, esurientibus.

Mercurius

Haud malum huic est pondus pugno.

Sosia

Perii, pugnos ponderat.

Mercurius

Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat?

---

296 auorsum 297 magis modum morem 299 primum eri
302 duros 307 Promtu

Sosia

Seruaueris;
Nam continuas has tris noctis peruigilaui.

Mercurius

Pessum*um* est
Facinus nequiter ferire; malaca male discit manus.
Alia forma esse oportet quem tu, pugne, tetigeris.

Sosia

Illic homo me interpolabit meumque os finget denuo.

Mercurius

Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.

Sosia

Mirum ni hic me quasi muraenam exossare cogitat.
Ultro istunc, qui exossat homines! perii, si me aspexerit.

Mercurius

Olet homo quidam malo suo.

Sosia

Ei! numqu*id*nam ego obolui?

Mercurius

Atque haud longe abesse oportet, uerum longe hinc afuit.

Sosia

Illic homo superstitiosust.

Mercurius

Gestiunt pugni mihi.

Sosia

Si in me exerciturus's, quaeso in parietem ut primum domes.

Mercurius

Uox mihi ad auris aduolauit.

Sosia

Ne ego homo infelix fui,
Qui non alas interuelli; uolucrem uocem gestito.

---

310 pessum 311 ferire malam male 312 pugno legeris 315 Mirum ne 316 istuc 317 numquam 319 gestiuit 321 aduolabit

Mercurius

Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.

Sosia

Non equidem ullum habeo iumentum.

Mercurius

Onerandus est pugnis probe.

Sosia

Lassus sum hercle e naui; ut uectus huc sum, etiam nunc nauseo.
Uix incedo inanis, ne ire posse cum onere existumes.

Mercurius

Certe enim hic nescio quis loquitur.

Sosia

Saluos sum, non me uidet;
'Nescio quem' loqui autumat; mihi certo nomen Sosiaest.

Mercurius

Hinc mihi *a* dextera uox auris, ut uidetur, uerberat.

Sosia

Metuo uocis ne uice*m* hodie hic uapulem, quae hunc uerberat.

Mercurius

Optume eccum incedit ad me.

Sosia

Timeo, totus torpeo.
Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget,
Neque miser me conmouere possum prae formidine.
Ilicet; mandata eri perierunt una et Sosia.
Uerum certumst confidenter hominem contra conloqui,
Qui possim uideri huic fortis, a me ut abstineat manum.

Mercurius

Quo ambulas tu, qui Uolcanum in cornu conclusum geris?

---

329 Hinc enim mihi dextera 330 uice 334 Illic et 335 certus est 336 Igitur qui

Sosia

Quid id exquiris tu. qui pugnis os exossas hominibus?

Mercurius

Seruos *es*ne an liber?

Sosia

Utquomque animo conlubitumst meo.

Mercurius

Ain uero?

Sosia

Aio enimuero.

Mercurius

Uerbero.

Sosia

Mentiris nunc.

Mercurius

At iam faciam ut uerum dicas dicere.

Sosia

Quid eost opus?

Mercurius

Possum scire, quo profectus, quoius sis aut quid ueneris?

Sosia

Huc eo, eri sum seruos. Numquid nunc es certior?

Mercurius

Ego tibi istam hodie, sceleste, conprimam linguam.

Sosia

Haud potes;

Bene pudiceque adseruatur.

Mercurius

Pergin argutarier?

Quid apud hasce aedis negoti est tibi?

Sosia

Immo quid tibist?

Mercurius

Rex Creo uigiles nocturnos singulos semper locat.

339 Seruusne 343 nunc quid nunc

Sosia

Bene facit: quia nos eramus peregre, tutatust domi.
At nunc abi sane, aduenisse familiaris dicito.

Mercurius

Nescio quam tu familiaris sis; nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter.

Sosia

Hic inquam habito ego atque horunc seruos sum.

Mercurius

At scin quo modo?
Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis.

Sosia

Quonam modo?

Mercurius

Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.

Sosia

Quin me esse huius familiai familiarem praedico.

Mercurius

Uide sis, quam mox uapulare uis, nisi actutum hinc abis.

Sosia

Tun domo prohibere peregre me aduenientem postulas?

Mercurius

Haecine tua domust?

Sosia

Ita inquam.

Mercurius

Qui erus est igitur tibi?

Sosia

Amphitruo, qui nunc praefectust Thebanis legionibus,
Quicum nuptast Alcumena.

Mercurius

Quid ais? quid nomen tibist?

---

354 Auferrere 355 familiæ 357 Tum

Sosia

Sosiam uocant Thebani, Dauo prognatum patre.

Mercurius

Ne tu istic hodie malo tuo conpositis mendaciis
Aduenisti, audaciai columen, consutis dolis.

Sosia

Immo equidem tunicis consutis huc aduenio, non dolis.

Mercurius

At mentiris etiam; certo pedibus, non tunicis uenis.

Sosia

Ita profecto.

Mercurius

Nunc profecto uapula ob mendacium.

Sosia

Non edepol uolo profecto.

Mercurius

At pol profecto ingratiis.
Hoc quidem profecto certumst, non est arbitrarium.

Sosia

Tuam fidem obsecro.

Mercurius

Tun te audes Sosiam esse dicere,
Qui ego sum?

Sosia

Perii.

Mercurius

Parum etiam, praeut futurumst, praedicas.
Quoius nunc es?

Sosia

Tuus; nam pugnis usu fecisti tuum.
Pro fidem, Thebani ciues!

---

362 audaciæ 367 ingratis 372 fidi

Mercurius

Etiam clamas, carnufex?

Loquere, quid uenisti?

Sosia

Ut esset, quem tu pugnis caederes.

Mercurius

Quoius es?

Sosia

Amphitruonis inquam Sosia.

Mercurius

Ergo istoc magis,

Quia uanilocus's, uapulabis. Ego sum, non tu, Sosia.

Sosia

Ita di faciant, ut tu potius sis atque ego te ut uerberem.

Mercurius

Etiam muttis?

Sosia

Iam tacebo.

Mercurius

Quis tibi erust?

Sosia

Quem tu uoles.

Mercurius

Quid igitur? qui nunc uocare?

Sosia

Nemo nisi quem iusseris.

Mercurius

Amphitruonis te esse aiebas Sosiam.

Sosia

Peccaueram;

Nam Amphitruonis socium nunc me esse uolui dicere.

Mercurius

Scibam equidem nullum esse nobis nisi me seruom Sosiam.

Fugit te ratio.

373 Eloquere cederes 375 uaniloquus 379 alebas 380 socium ne me 381 Sciebam

Sosia

Utinam istuc pugni fecissent tui.

Mercurius

Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse aiebas mihi.

Sosia

Obsecro ut per pacem liceat te adloqui, ut ne uapulem.

Mercurius

Immo indutiae parumper fiant, si quid uis loqui.

Sosia

Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus uales.

Mercurius

Dicito sis; non nocebo.

Sosia

Tuae fidei credo?

Mercurius

Meae.

Sosia

Quid, si falles?

Mercurius

Tum Mercurius Sosiae iratus siet!

Sosia

Animum aduorte; nunc licet mihi libere quiduis loqui.
Amphitruonis ego sum seruos Sosia.

Mercurius

Etiam denuo?

Sosia

Pacem feci, foedus feci, uera dico.

Mercurius

Uapula.

Sosia

Ut lubet, quod tibi lubet fac, quoniam pugnis plus uales.
Uerum utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.

---

387 Dicito si quid uis 392 quid

Mercurius

Tu me uiuos hodie numquam facies, quin sim Sosia.

Sosia

Certe edepol tu me alienabis numquam, quin noster siem;
Nec nobis praeter me quisquamst alius seruos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.

Mercurius

Hic homo sanus non est.

Sosia

Quod mihi praedicas uitium, id tibist.
Quid, malum, non sum ego seruos Amphitruonis Sosia?
Nonne hac noctu nostra nauis *huc* ex portu Persico
Uenit, quae me aduexit? nonne me huc erus misit meus?
Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? non mihist laterna in manu?
Non loquor? non uigilo? nonne hic modo me pugnis contudit?
Fecit hercle; nam *mi* misero etiam nunc malae dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non intro eo in nostram domum?

Mercurius

Quid, domum uostram?

Sosia

Ita enimuero.

Mercurius

Quin quae dixisti modo,
Omnia ementitus'*s*; equidem Sosia Amphitruonis sum.
Nam noctu hac solutast nauis nostra e portu Persico,
Et, ubi Pterela rex regnauit, oppidum expugnauimus,
Et legiones Teleboarum ui pugnando cepimus,
Et ipsus Amphitruo optruncauit regem Pterelam in proelio.

---

400 huc *om.* 402 nunc isto 403 hic homo modo 404 mi *om.*
407 ementitus equidem 410 teleboarum vi pugnando coepimus

Sosia

Egomet mihi non credo, quom illaec autumare illum audio;
Hic quidem certe quae illic sunt res gestae memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni *doni* a Telebois datumst?

Mercurius

Pterela rex qui potitare solitus est patera aurea.

Sosia

Elocutus est. Ubi patera nunc est?

Mercurius

In cist*ell*ula,
Amphitruonis obsignata signo est.

Sosia

Signi dic quid est?

Mercurius

Cum quadrigis Sol exoriens. Quid me captas, carnufex?

Sosia

Argumentis uicit. Aliud nomen quaerundumst mihi.
Nescio unde haec hic spectauit. Iam ego hunc decipiam probe;
Nam quod egomet solus feci nec quisquam alius adfuit
In tabernaclo, id quidem hodie numquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid in tabernaclo fecisti? Uictus sum, si dixeris.

Mercurius

Cadus erat uini; inde inpleui hirneam.

Sosia

Ingressust uiam.

Mercurius

Eam ego, ut matre fuerat natum, uini eduxi meri.

Sosia

Factumst illud, ut ego illic uini hirneam ebiberim meri.
Mira sunt. nisi latuit intus illic in illac hirnea.

---

414 doni *om.* 416 cistula 422 *et* 424 tabernaculo 425 Ingressus tu iam

Mercurius

Quid nunc? uincone argumentis, te non esse Sosiam?

Sosia

Tu negas med esse?

Mercurius

Quid ego ni negem, qui egomet siem?

Sosia

Per Iouem iuro med esse neque me falsum dicere.

Mercurius

At ego per Mercurium iuro, tibi Iouem non credere;
Nam iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi.

Sosia

Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.

Mercurius

Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia;
Nunc quando ego sum, uapulabis, ni hinc abis, ignobilis.

Sosia

Certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam,
Quem ad modum ego sum — saepe in speculum inspexi — nimis similis'st mei.
Itidem habet petasum ac uestitum; tam consimilist atque ego,
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, uel labra,
Malae, mentum, barba, collus: totus. Quid uerbis opust?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc similist similius.
Sed quom cogito, equidem certo idem sum qui semper fui.
Noui erum, noui aedis nostras; sane sapio et sentio.
Non ego illi optempero quod loquitur; pultabo foris.

Mercurius

Quo agis te?

Sosia

Domum.

---

430 me de esse 437 quomodo 439 consimile est 441 Mala ementum collum 442 simile est 443 quomodo

Mercurius

Quadrigas si nunc inscendas Iouis
Atque hinc fugias, ita uix poteris ecfugere infortunium.

Sosia

Nonne erae meae nuntiare, quod erus meus iussit, licet?

Mercurius

Tuae siquid uis nuntia; te hanc nostram adire non sinam.
Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.

Sosia

Abeo potius. Di inmortales, obsecro uostram fidem,
Ubi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet.
Uiuo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum atque haec ut sunt facta, ero dicam meo;
Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille faxit Iuppiter,
Ut ego hodie raso capite caluos capiam pileum.

Mercurius

Bene prospereque hoc operis processit mihi:
Amoui a foribus maxumam molestiam,
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Iam ille illuc ad erum quom Amphitruonem aduenerit,
Narrabit seruom hinc sese a foribus Sosiam
Amouisse; ille adeo illum mentiri sibi
Credet neque credet huc profectum, ut iusserat.
Erroris ambo ego illos et dementiae
Conplebo atque omnem Amphitruonis familiam,
Adeo usque satietatem dum capiet pater
Illius, quam amat; igitur demum omnes scient,
Quae facta. Denique Alcumenam Iuppiter
Rediget antiquam coniugi in concordiam.

449 nunciare 450 lumbifrangium 454 tuam 457 faciat 459 hoc hodie operis 463 Narrauit 471 in concordiam coniugis

Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri; tum meus pater
Eam seditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter decumo post mense nascetur puer
Quam seminatus*t*, alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Iouis;
Uerum minori puero maior est pater,
Minor maiori. Iamne hoc scitis, quid siet?
Sed Alcumenae huius honoris gratia
Pater curauit, uno ut fetu fieret,
Uno ut labore absoluat aerumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur consuetio.
Quamquam, ut iam dudum dixi, resciscet tamen
Amphitruo rem omnem. Quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenae; nam deum
Non par uidetur facere, delictum suum
Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat.
Orationem conprimam; crepuit foris.
Amphitruo subditiuos eccum exit foras
Cum Alcumena uxore usuraria.

IUPPITER. ALCUMENA. MERCURIUS.

Iuppiter

Bene uale, Alcumena, cura rem communem, quod facis,
Atque inperce quaeso; mensis iam tibi esse actos uides.
Mihi necessest ire hinc; uerum quod erit uatum tollito.

---

472 contiet 473 insimulauit eam proprium meus 478 seminatus 486 celetur suspicio 488 quid agitur 491 Suamque ut culpam 495 quid 496 At quin perge

Alcumena

Quid istuc est, mi uir, negoti, quod tu tam subito domo
Abeas?

Iuppiter

Edepol haud quod tui me neque domi distaedeat;
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum,
Citius quod non factost usus fit quam quod factost opus.

Mercurius

Nimis hic scitust sycophanta, qui quidem meus sit pater.
Obseruatote *eum*, quam blande suppalpatur mulieri.

Alcumena

Ecastor te experior, quanti facias uxorem tuam.

Iuppiter

Satin habes, si feminarum nullast, quam aeque diligam?

Mercurius

Edepol ne illa si istis rebus te sciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem esse malis quam Iouem.

Alcumena

Experiri istuc mauellem me quam mihi memorarier.
Prius abis quam lectus ubi cubuisti concaluit locus.
Heri uenisti media nocte, nunc abis. Hocine placet?

Mercurius

Accedam atque hanc appellabo et supparasitabor patri.
Numquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic ecflictim amare, proinde ut hic te ecflictim deperit.

Iuppiter

Carnufex, non ego te noui? Abin e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatiost rem, uerbero, aut muttitio?
Quoi ego iam *iam* hoc scipione ...

Alcumena

Ah noli.

---

503 Obseruatote quam blande mulieri palpabitur 513 afflictim efflictim 516 Quo lege iam hoc

Iuppiter

Muttito modo.

Mercurius

Nequiter paene expediuit prima parasitatio.

Iuppiter

Uerum quod tu dicis, mea uxor, non te mihi irasci decet.
Clanculum abi*i* a legione; operam hanc subripui tibi,
Ex me primo *ut* prima scires, rem ut gessissem publicam.
Ea tibi omnia enarraui. Nisi te amarem plurumum,
Non facerem.

Mercurius

Facitne ut dixi? timidam palpo percutit.

Iuppiter

Nunc ne legio persentiscat, clam illuc redeundumst mihi,
Ne me uxorem praeuortisse dicant prae re publica.

Alcumena

Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem.

Iuppiter

Tace;
Ne corrumpe oculos; redibo actutum.

Alcumena

Id actutum diust.

Iuppiter

Non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te.

Alcumena

Sentio;
Nam qua nocte ad me uenisti, eadem abis.

Iuppiter

Cur me tenes?
Tempus *est*; exire ex urbe prius quam lucescat uolo.
Nunc tibi hanc pateram, quae dono mi illi ob uirtutem datast,

---

519 abi 520 ut *om.* cessissem 529 est *om.* luciscat 530 illic

Pterela rex qui potitauit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono.

Alcumena

Facis ut alias res soles.
Ecastor condignum donum, qualist qui donum dedit.

Mercurius

Immo sic condignum donum, qualist quoi dono datumst.

Iuppiter

Pergin autem? Nonne ego possum, furcifer, te perdere?

Alcumena

Noli amabo, Amphitruo, irasci Sosiae causa mea.

Iuppiter

Faciam ita ut uis.

Mercurius

Ex amore hic ad modum quam saeuos est.

Iuppiter

Numquid uis?

Alcumena

Ut quom absim me ames, me tuam absentem tamen.

Mercurius

Eamus, Amphitruo; lucescit hoc iam.

Iuppiter

Abi prae, Sosia;
Iam ego sequar. Numquid uis?

Alcumena

Etiam: ut actutum aduenias.

Iuppiter

Licet.
Prius tua opinione hic adero; bonum animum habe. —
Nunc te, nox, quae me mansisti, mitto ut *con*cedas die,
Ut mortalis inlucescas luce clara et candida.

---

533 qualest 534 qualest datust 537 sueuus 539 luciscit
538 metuam te absentem 542 cedas diei

Atque quanto, nox, fuisti longior hac proxuma,
Tanto breuior dies ut fiat faciam, ut aeque dispar et
Dies e nocte accedat. Ibo et Mercurium subsequar.

AMPHITRUO. SOSIA.

Amphitruo

Age i tu secundum.

Sosia

Sequor, subsequor te.

Amphitruo

Scelestissumum te arbitror.

Sosia

Nam quamobrem?

Amphitruo

Quia id, quod neque est neque fuit neque futurumst,
Mihi praedicas.

Sosia

Eccere, iam tuatim
Facis *tu*, ut tuis nulla apud te fides sit.

Amphitruo

Quid est? Quo modo? Iam quidem hercle ego tibi istam
Scelestam, scelus, linguam abscidam.

Sosia

Tuus sum;
Proinde ut commodumst et lubet, quicque facias.
Tamen quin loquar haec, uti facta sunt hic,
Numquam ullo modo me potes deterrere.

Amphitruo

Scelestissume, audes mihi praedicare id,
Domi te esse nunc, qui hic ades?

---

545 disparet 546 Et dies 550 Ecce rei am tuautem 551 Facis ut sit fides 554 commodum siet 556 potest

Sosia

Uera dico.

Amphitruo

Malum quod tibi di dabunt atque ego hodie
Dabo.

Sosia

Istuc tibist in manu; nam tuus sum.

Amphitruo

Tun me, uerbero, audes erum ludificari?
Tune id dicere audes, quod nemo umquam homo antehac
Uidit nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?

Sosia

Profecto, ut loquor, res itast.

Amphitruo

Iuppiter te
Perdat.

Sosia

Quid mali sum, ere, tua ex re promeritus?

Amphitruo

Rogasne, inprobe, etiam qui ludos facis me?

Sosia

Merito maledicas mihi, si id factumst.
Uerum haud mentior, resque uti facta dico.

Amphitruo

Homo hic ebriust, ut opinor.

Sosia

Utinam ita essem!

Amphitruo

Optas, quae facta.

Sosia

Egone?

---

560 Dabo *antecedenti versui additur.* 566 Perdat *item.*

Amphitruo

Tu istic. Ubi bibisti?

Sosia

Nusquam equidem bibi.

Amphitruo

Quid hoc fit homini?

Sosia

Equidem deciens dixi.
Domi ego sum, inquam — ecquid audis? — et apud te adsum Sosia idem.
Satin hoc plane, satin diserte. ere, nunc uideor tibi locutus?

Amphitruo

Uah, apage te a me!

Sosia

Quid est negoti?

Amphitruo

Pestis te tenet.

Sosia

Nam cur istuc
Dicis? Equidem ualeo et saluos sum recte, Amphitruo.

Amphitruo

At te ego faciam
Hodie, proinde ac meritus es, ut *et* minus ualeas et miser sis.
Saluos domum si rediero. Iam
Sequere sis, erum qui ludificas dictis delirantibus;
Qui quoniam erus quod imperauit neglexisti persequi,
Nunc uenis etiam ultro inrisum dominum. Quae neque fieri
Possunt neque fando umquam accepit quisquam, profers, carnufex;
Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia.

Sosia

Amphitruo, miserruma istaec miseriast seruo bono,
Apud erum qui uera loquitur, si id ui uerum uincitur.

---

572 sit hominis 574 locutus esse 576 A te 577 ut minus 583 tergo 585 uerba

Amphitruo

Quo id, malum, pacto potest nam — mecum argumentis puta —
Fieri, nunc ut tu *et* hic sis et domi? Id dici uolo.

Sosia

Sum profecto et hic et illi; hoc quoiuis mirari licet,
Neque tibi istuc, *mi ere*, mirum magis uidetur quam mihi.

Amphitruo

Quo modo?

Sosia

Nihilo, inquam, mirum magis tibi istuc quam mihi;
Neque ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
Donec Sosia ille fecit egomet sibi uti crederem.
Ordine omne*m rem*, ut quicque actumst, dum apud hostis sedimus,
Edissertauit; tum formam una abstulit cum nomine.
Neque lac lacti magis est simile quam ille ego similis est mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum,

Amphitruo

Quid igitur?

Sosia

Prius multo ante aedis stabam quam illo adueneram.

Amphitruo

Quas, malum, nugas? Satin tu sanus es?

Sosia

Sic sum ut uides.

Amphitruo

Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu,
Postquam a me abiit.

Sosia

Fateor; nam sum optusus pugnis pessume.

---

586 potes 587 tu hic 588 illic 589 istuc mirum 592 egomet fecit 593 omne ut 595 ego simile est

Amphitruo
Quis te uerberauit?
Sosia
Egomet memet, qui nunc sum domi.
Amphitruo
Caue quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici uolo.
Sosia
Tuus est seruos.
Amphitruo
Mihi quidem uno te plus etiamst quam uolo,
Neque, postquam sum gnatus, habui nisi te seruom Sosiam.
Sosia
At ego nunc, Amphitruo, dico: Sosiam seruom tuum
Praeter me alterum, inquam, aduenies faciam ut offendas domi,
Dauo prognatum patre eodem quo ego sum, forma, aetate item,
Qua ego sum. Quid opust uerbis? Geminus Sosia hic factust tibi.
Amphitruo
Nimia memoras mira; sed uidistine uxorem meam?
Sosia
Quin intro ire in aedis numquam licitumst.
Amphitruo
Quis te prohibuit?
Sosia
Sosia ille, quem iam dudum dico, is qui me contudit.
Amphitruo
Quis istic Sosiast?
Sosia
Ego, inquam. Quotiens dicundumst tibi?
Amphitruo
Sed quid ais? Num obdormiuisti dudum?

601 uerberabit 608 Dabo pregnatum

Sosia

Nusquam gentium.

Amphitruo

Ibi fortasse istum uidisse quendam in somnis Sosiam.

Sosia

Non soleo ego somniculose eri imperia persequi.
Uigilans uidi, *uti* uigilans nunc uideo, uigilans fabulor,
Uigilantem ille me iam dudum uigilans pugnis contudit.

Amphitruo

Quis homo?

Sosia

Sosia, inquam, ego ille. Quaeso, nonne intellegis?

Amphitruo

Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.

Sosia

Uerum actutum nosces —

Amphitruo

Quem?

Sosia

Illum nosces seruom Sosiam.

Amphitruo

Sequere hac igitur me; nam mihi istuc primum exquisitost opus.
[Sed uide ex naui ecferantur quae imperaui iam omnia.

Sosia

Et memor sum et diligens, ut quae imperes conpareant;
Non ego cum uino simitu ebibi imperium tuum.

Amphitruo]

Utinam di faxint, infecta dicta re eueniant tua.

---

615 forte istum si uidisses 617 uti *om.* 620 blattis 621 nosces quam illum 626 rete ueniant

ALCUMENA ET IDEM AMPHITRUO ET SOSIA.

Alcumena

Satin parua res est uoluptatum in uita atque in aetate agunda,
Praequam quod molestumst? Ita quoique conparatumst in aetate hominum,
Ita dis est placitum, uoluptatem ut maeror comes consequatur,
*At*que incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid.
Nam ego id nunc experior domo atque ipsa de me scio, quoi uoluptas
Parumper datast, dum uiri mei mihi potestas uidendi fuit
Noctem unam modo; atque is repente abiit a me hinc ante lucem.
Sola hic mihi uideor nunc, quia ille hinc abest, quem ego amo praeter omnis.
Plus aegri ex abitu uiri quam ex aduentu uoluptatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quom perduellis
Uicit et domum laudis conpos reuenit.
Id solatiost. Absit, dum [modo] laude parta
Domum recipiat se; feram et perferam usque abitum eius animo
Forti atque offirmato. Id modo si mercedis
Datur mihi, ut meus uictor uir belli clueat,
Satis mihi esse ducam. Uirtus praemiumst optumum;
Uirtus omnibus rebus anteit profecto;
Libertas, salus, uita, res et parentes, patria et prognati
Tutantur, seruantur;
Uirtus omnia in sese habet; omnia adsunt bona, quem penest uirtus.

---

630 Quin incommodi 635 quem coepi 640 mercedes

Amphitruo

Edepol me uxori exoptatum credo aduenturum domum,
Quae me amat, quam contra amo. praesertim re gesta bene,
Uictis hostibus; quos nemo posse superari ratust,
Eos auspicio meo atque inductu primo coetu uicimus.
Certe enim me illi expectatum optato uenturum scio.

Sosia

Quid? Me non rere expectatum amicae uenturum meae?

Alcumena

Meus uir hic quidemst.

Amphitruo

Sequere hac tu me.

Alcumena

Nam quid ille reuortitur,
Qui dudum properare se aibat? An ille me temptat sciens
Atque id se uolt experiri, suum abitum ut desiderem?
Ecastor me*d* haud inuita se domum recipit suam.

Sosia

Amphitruo, redire ad nauem meliust nos.

Amphitruo

Qua gratia?

Sosia

Quia domi daturus nemost prandium aduenientibus.

Amphitruo

Qui tibi istuc in mentem uenit?

Sosia

Qui*a* enim sero aduenimus.

Amphitruo

Qui?

Sosia

Quia Alcumenam ante aedis stare saturam intellego.

---

654 sese aiebat 655 si habitum 656 me 659 tibi nunc istuc
659 Qui enim

Amphitruo

Grauidam ego illanc hic reliqui, quom abeo.

Sosia

Ei, perii miser.

Amphitruo

Quid tibist?

Sosia

Ad aquam praebendam commodum adueni domum,
Decumo post mense, ut rationem te putare intellego.

Amphitruo

Bono animo es.

Sosia

Scin quam bono animo sim? Si situlam cepero,
Numquam edepol tu mihi diuini [quicquam] creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

Amphitruo

Sequere hac me modo; alium ego isti rei adlegabo; ne time.
Magis nunc *me* meum officium facere, si huic eam aduorsum, arbitror.
Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,
Quam omnium Thebis uir unam esse optumam diiudicat,
Quamque adeo ciues Thebani uero rumiferant probam.
Ualuistine usque? Expectatun aduenio?

Sosia

Haud uidi magis.
[Expectatum; eum salutat magis haud quisquam quam canem.]

Amphitruo

Et quom grauidam et quom te pulcre plenam aspicio, gaudeo.

Alcumena

Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia

---

661 illam quam habeo 663 dictare 664 situlam iam 666 occepto 667 alligabo 668 me *om.* faceres huic 671 uerorum mificant 674 quom te grauidam

Sic salutas atque appellas, [quasi dudum non uideris,
Quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus?
Atque me nunc proinde appellas,] quasi multo post uideris.

Amphitruo

Immo equidem te nisi nunc hodie nusquam uidi gentium.

Alcumena

Cur negas?

Amphitruo

Quia uera didici dicere.

Alcumena

Haud aequom facit,
Qui, quod didicit, id dediscit. An periclitamini,
Quid animi habeam? Sed quid huc uos conuortimini tam cito?
An te auspicium conmoratumst an tempestas continet,
Qui non abi*i*sti ad legiones, ita ut*i* dudum dixeras?

Amphitruo

Dudum? Quam dudum istuc factumst?

Alcumena

Temptas. Tam dudum, modo.

Amphitruo

Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis: tam dudum, modo?

Alcumena

Quid enim censes? te ut deludam contra, lusorem meum,
Qui nunc primum te aduenisse dicas, modo qui hinc abieris?

Amphitruo

Haec quidem deliramenta loquitur.

Sosia

Paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum.

Amphitruo

Quaene uigilans somniat?

---

684 abisti ut 685 iam dudum pridem modo 686 iam 688 habieris

Alcumena
Equidem ecastor uigilo et uigilans id quod factumst fabulor;
Nam dudum ante lucem et istunc et te uidi.
Amphitruo
Quo in loco?
Alcumena
Hic in aedibus, ubi tu habitas.
Amphitruo
Numquam factumst.
Sosia
Non taces?
Quid, si e portu nauis huc nos dormientis detulit?
Amphitruo
Etiam tu quoque adsentaris huic*e*?
Sosia
Quid uis fieri?
Non tu scis, Bacchae bacchanti si uelis aduorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet saepius;
Si obsequare, una resoluas plaga?
Amphitruo
At pol qui certa res
Hanc est obiurgare, quae me hodie aduenientem domum
Noluerit salutare.
Sosia
Inritabis crabrones.
Amphitruo
Tace.
Alcumena, unum rogare te uolo.
Alcumena
Quiduis roga.
Amphitruo
Num tibi aut stultitia accessit aut superat superbia?

---

695 huic 698 obsequar funare soluas 700 crabones 701 quid uis rogare roga 702 Nunc

Alcumena

Qui istuc in mentemst tibi ex me, mi uir, percontarier?

Amphitruo

Quia salutare aduenientem me solebas antidhac,
Appellare itidem ut pudicae suos uiros, quae sunt, solent.
Eo more expertem te factam aduenieus offendi domi.

Alcumena

Ecastor equidem te certo heri aduenientem ilico
Et salutaui et ualuissesne usque exquisiui simul,
Mi uir, et manum prehendi et osculum tetuli tibi.

Sosia

Tun*e* heri hunc salutauisti?

Alcumena

Et te quoque etiam, Sosia.

Sosia

Amphitruo, speraui ego istam tibi parituram filium;
Uerum non est puero grauida.

Amphitruo

Quid igitur?

Sosia

Insania.

Alcumena

Equidem sana sum et deos quaeso, ut salua pariam filium;
Uerum tu malum magnum habebis. si hic suum officium facit;
Ob istuc omen, ominator, capies quod te condecet.

Sosia

Enimuero praegnati oportet et malum et malum dari,
Ut quod obrodat sit, animo si male esse occeperit.

Amphitruo

Tu me heri hic uidisti?

Alcumena

Ego, inquam, si uis deciens dicere.

---

703 mente est ex me *om.* 710 Tun 715 istuc ame nominator concedet

Amphitruo

In somnis fortasse?

Alcumena

Immo uigilans uigilantem.

Amphitruo

Uae mihi.

Sosia

Quid tibist?

Amphitruo

Delirat uxor.

Sosia

Atra bili percitast;
Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.

Amphitruo

Ubi tu primum tibi sensisti, mulier, impliciscier?

Alcumena

Equidem ecastor sana et salua sum.

Amphitruo

Cur igitur praedicas,
Te heri me uidisse, qui hac noctu in portum aduecti sumus?
Ibi cenaui atque ibi quieui in naui noctem perpetem
Neque meum pedem huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis eosque ut uicimus.

Alcumena

Immo mecum cenauisti et mecum cubuisti.

Amphitruo

Quid est?

Alcumena

Uera dico.

Amphitruo

Non de hac quidem hercle re; de aliis nescio.

Alcumena

Primulo diluculo abiisti ad legiones.

---

719 Uae misero mihi 728 Quid id est 730 abisti

Amphitruo

Quo modo?

Sosia

Recte dicit, ut conmeminit; somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Ioui
Aut mola salsa hodie aut ture conprecatam oportuit.

Alcumena

Uae capiti tuo.

Sosia

Tua istuc refert, si curaueris.

Alcumena

Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.

Amphitruo

Tace tu. Tu dic: egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?

Alcumena

Quis igitur nisi uos narrauit mihi illi ut fuerit proelium?

Amphitruo

An iam id tu scis?

Alcumena

Quippe qui ex te audiui, ut urbem maxumam
Expugnauisses regemque Pterelam tute occideris.

Amphitruo

Egone istuc dixi?

Alcumena

Tute istic, etiam astante hoc Sosia.

Amphitruo

Audiuistin tu me narrare haec hodie?

Sosia

Ubi ego audiuerim?

Amphitruo

Hanc roga.

Sosia

Me quidem praesente numquam factumst, quod sciam.

---

732 te *om.* 738 An etiam

Alcumena
Mirum quin te aduorsus dicat.
Amphitruo
Sosia, age me huc aspice.
Sosia
Specto.
Amphitruo
Uera uolo loqui te, nolo adsentari mihi.
Audiuistin tu hodie me illi dicere ea quae illa autumat?
Sosia
Quaeso edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas,
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul?
Amphitruo
Qui*d* nunc, mulier? Audin illum?
Alcumena
Ego uero, ac falsum dicere.
Amphitruo
Neque tu illi neque mihi uiro ipsi credis?
Alcumena
Eo fit, quia mihi
Plurumum credo et scio istaec facta proinde ut proloquor.
Amphitruo
Tun me heri aduenisse dicis?
Alcumena
Tun te abisse hodie hinc negas?
Amphitruo
Nego enimuero et me aduenire nunc primum aio ad te domum.
Alcumena
Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dedisse dono hodie, qua te illi donatum esse dixeras?

---

747 ipsos ista ne 748 Qui 748—49 Ego . . . credis *om. pr. man.* 750 ista hec 752 aduenere

Amphitruo

Neque edepol dedi neque dixi; uerum ita animatus fui
Itaque nunc sum, ut ea te patera donem; sed quis istuc tibi
Dixit?

Alcumena

Ego equidem ex te audiui et ex tua accepi manu
Pateram.

Amphitruo

Mane, mane, obsecro te. Nimis demiror, Sosia,
Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc conuenisti et narrauisti haec omnia.

Sosia

Neque edepol ego dixi neque istam uidi nisi tecum simul.

Amphitruo

Quid hoc fit homini?

Alcumena

Uin proferri pateram?

Amphitruo

Proferri uolo.

Alcumena

Fiat. *I* tu, Thessala, intus pateram proferto foras,
Qua hodie meus uir donauit me.

Amphitruo

Secede huc tu, Sosia.
Enimuero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet pateram illam.

Sosia

An [etiam] credis id? Quae in hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur.

Amphitruo

Saluom signumst?

Sosia

Inspice.

---

758 deminor 762 sit hominis 763 i *om.* profecto

Amphitruo
Recte; itast ut obsignaui.
Sosia
Quaeso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri?
Amphitruo
Edepol qui factost opus;
Nam haec quidem edepol laruarum plenast.
Alcumena
Quid uerbis opust?
Em tibi pateram, eccam.
Amphitruo
Cedo mihi.
Alcumena
Age aspice huc sis nunc iam
Tu, qui quae facta infitiare, quem ego iam hic conuincam palam.
Estne haec patera, qua donatus's illi?
Amphitruo
Summe Iuppiter,
Quid ego uideo? Haec east profecto patera; perii, Sosia!
Sosia
Aut pol haec praestigiatrix multo mulier maxumast
Aut hic pateram inesse oportet.
Amphitruo
Agedum, exsolue cistulam.
Sosia
Quid ego istam exsoluam? Obsignatast recte. Res gestast bene;
Tu peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam;
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminauimus.
Amphitruo
Certumst aperire atque inspicere.

---

771 nuntiam 773 donatus 776 eam solue 779 omnis

Sosia

Uide sis signi quid siet,
Ne posterius in me culpam conferas.

Amphitruo

Aperi modo.
Nam haec quidem nos delirantis facere dictis postulat.

Alcumena

Unde haec igitur est nisi abs te, quae mihi dono datast?

Amphitruo

Opus mihist istuc exquisito.

Sosia

Iuppiter, pro Iuppiter!

Amphitruo

Quid tibist?

Sosia

Hic patera nulla in cistulast.

Amphitruo

Quid ego audio?

Sosia

Id quod uerumst.

Amphitruo

At cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo.

Alcumena

Haec quidem apparet.

Amphitruo

Quis igitur tibi dedit?

Alcumena

Qui me rogat.

Sosia

Me captas, quia tute ab naui clanculum huc alia uia
Praecucurristi atque hinc pateram tute exemisti atque eam
Huic dedisti, posthac rursum obsignasti clanculum.

---

780 Vides si signi 786 uerust At tum cruciatulam

Amphitruo

Ei mihi, iam tu quoque huius adiuuas insaniam.
Ain heri nos aduenisse huc?

Alcumena

Aio, aduenIensque ilico
Me salutauisti et ego te et osculum tetuli tibi.

Amphitruo

Iam illuc non placet principium de osculo; pergam exequi.

Alcumena

Lauisti.

Amphitruo

Quid, postquam laui?

Alcumena

Adcubuisti.

Sosia

Euge, optume.
Nunc exquire.

Amphitruo

Ne interpella. Perge porro dicere.

Alcumena

Cena adpositast; cenauisti mecum; ego adcubui simul.

Amphitruo

In eodem lecto?

Alcumena

In eodem.

Sosia

Ei, non placet conuiuium.

Amphitruo

Sine modo argumenta dicat. Quid, postquam cenauimus?

Alcumena

Te dormitare aibas; mensa ablatast; cubitum hinc abiimus.

Amphitruo

Ubi tu cubuisti?

---

800 aiebas abimus

Alcumena

In eodem lecto tecum una in cubiculo.

Amphitruo

Perdidisti.

Sosia

Quid tibist?

Amphitruo

Haec me modo ad mortem dedit.

Alcumena

Quid iam, amabo?

Amphitruo

Ne me appella.

Sosia

Quid tibist?

Amphitruo

Perii miser,
Quia pudicitiae huius uitium me hinc absentest additum.

Alcumena

Obsecro ecastor, cur istuc, mi uir, ex te audio?

Amphitruo

Uir ego tuus sim? Ne me appella, falsa, falso nomine.

Sosia

Haeret haec res, si quidem haec iam mulier factast ex uiro.

Alcumena

Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur mihi?

Amphitruo

Tute edictas facta tua; ex me quaeris, quid deliqueris?

Alcumena

Quid ego tibi deliqui, si quoi nupta sum tecum fui?

Amphitruo

Tun mecum fueris? Quid illac inpudente audaciust?
Saltem, tute si pudoris egeas, sumas mutuum.

---

804 hic 806 falso falso momine 810 delique 811 Tune

Alcumena

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.

Amphitruo

Pro di inmortales! cognoscin tu me saltem, Sosia?

Sosia

Propemodum.

Amphitruo

Cenauin*e* ego heri in naui in portu Persico?

Alcumena

Mihi quoque adsunt testes, qui illud quod ego dicam adsentiant.

Sosia

Nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiamst
Amphitruo alius, [qui forte te hic absente tamen
Tuam rem curet] te qui absente hic munus fungatur tuum.
[Namque de illo subditiuo Sosia mirum nimist;
Certe de istoc Amphitruone iam alterum mirumst magis.]

Amphitruo

Nescio quis praestigiator hanc frustratur mulierem.

Alcumena

Per supremi regis regnum iuro et matrem familias
Iunonem, quam me uereri et metuerest par maxume,
Ut mihi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me inpudicam faceret.

Amphitruo

Uera istaec uelim.

Alcumena

Uera dico, sed nequiquam, quoniam non uis credere.

Amphitruo

Mulier es, audacter iuras.

---

814 inpudicitiæ non potest capere 816 Cenauin 820 teque absenti

Alcumena

Quae non deliquit, decet
Audacem esse, confidenter pro se et proterue loqui.

Amphitruo

Satis audacter.

Alcumena

Ut pudicam decet.

Amphitruo

Id *tu* uerbis probas.

Alcumena

Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur,
Sed pudicitiam et pudorem et sedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam,
Tibi *ut* morigera atque ut munifica sim bonis, prosim probis.

Sosia

Ne ista edepol, si haec uera loquitur, examussimst optuma.

Amphitruo

Delenitus sum profecto ita, ut me qui sim nesciam.

Sosia

Amphitruo's profecto: caue sis ne tu te usu perduis;
Ita nunc homines inmutantur, postquam peregre aduenimus.

Amphitruo

Mulier, istanc rem inquisitam certumst non amittere.

Alcumena

Edepol me lubente facies.

Amphitruo

Quid ais? responde mihi:
Quid, si adduco tuum cognatum huc a naui Naucratem,
Qui mecum una uectust una naui, atque is si denegat
Facta, quae tu facta dicis, quid tibi aequomst fieri?
Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?

---

831 In uerbis 835 Tibi morigera munificas in 837 Delinitus

Alcumena

Si deliqui, nulla causast.

Amphitruo

Conuenit. Tu, Sosia,
Duc hos intro; ego huc ab naui mecum adducam Naucratem.

Sosia

Nunc quidem praeter nos nemost; dic mihi uerum serio,
Ecquis alius Sosia intust, qui mei similis siet?

Alcumena

Abin hinc a me, dignus domino seruos?

Sosia

Abeo, si iubes.

Alcumena

Nimis ecastor facinus mirumst, qui illi conl*ub*itum siet
Meo uiro, sic me insimulare falso facinus tam malum.
Quidquid est, iam ex Naucrate cognato id cognoscam meo.

IUPPITER.

Ego sum ille Amphitruo, quoi est seruos Sosia,
Idem Mercurius qui fit quando commodumst,
In superiore qui habito cenaculo,
Qui interdum fio Iuppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplo aduentum adporto, ilico
Amphitruo fio et uestitum inmuto meum.
Nunc huc honoris uostri uenio gratia,
Ne hanc incohatam transigam comoediam.
Simul Alcumenae, quam uir insontem probri
Amphitruo accusat, ueni ut auxilium feram;
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenae innocenti expetat.

---

847 abducam 849 meis 851 conlitum 858 quo 861 incoatam 863 auxillum

Nunc Amphitruonem memet, ut occepi semel,
Esse adsimulabo atque in horum familiam
Frustrationem hodie iniciam maxumam.
Post igitur demum faciam res fiat palam,
Atque Alcumenae in tempore auxilium feram,
Faciamque ut uno fetu et quod grauidast uiro
Et me quod grauidast pariat sine doloribus.
Mercurium iussi me continuo consequi,
Siquid uellem imperare. Nunc hanc adloquar.

ALCUMENA. IUPPITER.

Alcumena

Durare nequeo in aedibus; ita me probri,
Stupri, dedecoris a uiro argutam meo!
Ea quae sunt facta infecta esse instat, clamitat;
Quae neque sunt facta neque ego in me admisi, arguit,
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram
Aut satis faciat mihi ille atque adiuret insuper,
Nolle esse dicta quae in me insontem protulit.

Iuppiter

Faciundumst mihi illud, fieri quod illaec postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere,
Quando ego quod feci factum [id] Amphitruoni offuit
Atque illi dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit, nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.

Alcumena

Et eccum uideo, qui me miseram arguit
Stupri, dedecoris.

---

868 initium 870 Alcumaene 877 infectare est. at 887 ille

Iuppiter

Te uolo, uxor, conloqui.
Quo*r* te auortisti?

Alcumena

Ita ingenium meumst:
Inimicos semper osa sum optuerier.

Iuppiter

Heia autem inimicos?

Alcumena

Sic est, uera praedico;
Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.

Iuppiter

Nimis iracunda's.

Alcumena

Potin ut abstineas manum?
Nam certo si sis sanus aut sapias satis,
Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissumo.

Iuppiter

Si dixi, nihilo magis es neque ego esse arbitror,
Et id huc reuorti, ut me purgarem tibi.
Nam numquam quicquam meo animo fuit aegrius
Quam postquam audiui, te*d* esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies. Ego expediam tibi.
Non edepol quo te esse inpudicam crederem;
Uerum periclitatus sum animum tuum,
Quid faceres et quo pacto id ferre induceres.
Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa; uel hunc rogato Sosiam.

Alcumena

Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,

---

892 Quo   896 uerecunda es. ALC. Potin es ut   899 Cum fatu loco   900 nisi si sis   904 te   905 didixisti

Testem quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non uenisse?

Iuppiter

Siquid dictumst per iocum,
Non aequomst id te serio praeuortier.

Alcumena

Ego illud scio quam doluerit cordi meo.

Iuppiter

Per dext*e*ram tuam te, Alcumena, oro, obsecro,
Da mihi hanc ueniam, ignosce, irata ne sies.

Alcumena

Ego istaec feci uerba uirtute inrita.
Haec quando factis me inpudicis abstinet,
Ab inpudicis dictis auorti uolo.
Ualeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben mihi ire comites?

Iuppiter

Sanan*e* es?

Alcumena

Si non iubes,
Ibo egomet; comitem mihi pudicitiam duxero.

Iuppiter

Mane, arbitratu tuo ius iurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Iuppiter,
Quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies.

Alcumena

Ah, propitius sit potius.

Iuppiter

Confido fore;
Nam ius iurandum uerum te aduorsum dedi.
Iam nunc irata non es?

---

915 illum 916 dextram 919 Nunc abstines 922 Sannan 928 Apropicius

Alcumena

Non sum.

Iuppiter

Bene facis.

Nam in hominum aetate multa eueniunt huius modi:
Capiunt uoluptates, capiunt rursum miserias;
Irae interueniunt, redeunt rursum in gratiam.
Uerum irae siquae forte eueniunt huius modi
Inter eos, rursum si reuentum in gratiamst,
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.

Alcumena

Primum cauisse oportuit ne diceres;
Uerum eadem si idem mihi purgas, patiunda sunt.

Iuppiter

Iube uero uasa pura adornari mihi,
Ut quae apud legionem uota uoui, si domum
Redissem saluos, ea ego exsoluam omnia.

Alcumena

Ego istuc curabo.

Iuppiter

Euocate huc Sosiam;
Gubernatorem, qui in mea naui fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo inpransus ludificabitur,
Quom ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.

Alcumena

Mirum quid solus secum secreto ille agat.
Atque aperiuntur aedes; exit Sosia.

---

938 isdem

SOSIA. IUPPITER. ALCUMENA.

Sosia

Amphitruo, assum. Siquid opus est impera, imperium exequar.

[Iuppiter

Optume aduenis.

Sosia

Iam pax est inter uos duos?]

Nam quia uos tranquillos uideo, gaudeo et uolup est mihi.
Atque ita seruom par uidetur frugi sese instituere:
Proinde eri ut sint, ipse item sit; uoltum e uoltu conparet;
Tristis sit, si eri sint tristes; hilarus sit, si gaudeant.
Sed age responde: iam uos redistis in concordiam?

Iuppiter

Derides, qui scis haec dudum me dixisse per iocum.

Sosia

An id ioco dixisti? Equidem serio ac uero ratus.

Iuppiter

Habui expurigationem; facta pax est.

Sosia

Optumest.

Iuppiter

Ego rem diuinam intus faciam, uota quae sunt.

Sosia

Censeo.

Iuppiter

Tu gubernatorem a naui huc euoca uerbis meis
Blepharonem, *hic* ut re diuina facta mecum prandeat.

Sosia

Iam hic ero, quom illic censebis esse me.

Iuppiter

Actutum huc redi.

---

953 item ipse fit 956 hæc iam dudum 958 expurgationem
961 hic *om.*

Alcumena

Numquid uis, quin abeam iam intro, ut adparentur quibus opus?

Iuppiter

I sane et quantum potest parata fac sint omnia.

Alcumena

Quin uenis quando uis intro; faxo haud quicquam sit morae.

Iuppiter

Recte loquere et proinde diligentem ut uxorem decet.
[Iam hi ambo, et seruos et era, frustra sunt duo.
Qui me Amphitruonem rentur esse, errant probe.]
Nunc tu diuine huc fac adsis Sosia.
Audis quae dico, tametsi praesens non ades.
Fac Amphitruonem iam aduenientem ab aedibus
Ut abigas; quouis pacto *hoc* fac conmentus sis.
Uolo deludi illunc, dum cum hac usuraria
Uxore nunc mihi morigero. Haec curata sint
Fac sis, proinde adeo ut uelle me*d* intellegis,
Atque ut ministres mihi, mihi quom sacruficem.

MERCURIUS.

Concedite atque abscedite omnes, de uia decedite.
Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obuiam obsistat mihi.
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam seruolo in comoediis?
Ille nauem saluam nuntiat aut irati aduentum senis;
Ego sum Ioui dicto audiens, eius iussu nunc huc me adfero;
Quam ob rem mihi magis par est uia decedere et concedere.
Pater uocat me, eum sequor, eius dicto imperio sum audiens.

---

964 facta 970 præses 972 pacto fac cum mentus sies 973 diludi illum edum cum 974 sient 975 me 976 cum mihi

Ut filium bonum patri esse oportet, item ego sum patri.
Amanti subparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo;
Siquid patri uolup est, uoluptas ea mihi multo maxumast.
Amat; sapit. Recte facit, animo quando obsequitur suo,
Quod omnis homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem uolt deludi meus pater; faxo probe
Iam hic deludetur, spectatores, uobis spectantibus.
Capiam coronam mihi in caput, adsimulabo me esse ebrium,
Atque illuc sursum escendero; inde optume aspellam uirum
De supero, quom huc accesserit; faciam ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum sufferet suus seruos poenas Sosia;
Eum fecisse ille hodie arguet, quae ego fecero hic; quid *id* mea?
Meo me aequomst morigerum patri *esse*; eius studio seruire addecet.
Sed eccum Amphitruonem, aduenit. Iam ille hic deludetur probe,
[Si quidem uos uoltis auscultando operam dare.
Ibo intro, ornatum capiam qui potis decet;
Dein susum ascendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.]

AMPHITRUO.

Naucratem quem conuenire uolui, in naui non erat,
Neque domi neque in urbe inuenio quemquam qui illum uiderit;
Nam omnis plateas perreptaui, gymnasia et myropolia;
Apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras

---

985 itidem ego ego 986 subparasitabor 989 flat 993 cispellam 996 quid mea 997 esse *om.* 1002 Naugratem

Sum defessus quaeritando; nusquam inuenio Naucratem.
Nunc domum ibo atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suum stupri conpleuerit;
Nam me quam illam quaestionem inquisitam hodie amittere
Mortuom satiust. Sed aedis occluserunt. Eugepae!
Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt. Feriam foris.
Aperite hoc! heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

MERCURIUS. AMPHITRUO.

Mercurius

Quis ad foris est?

Amphitruo

Ego sum.

Mercurius

Quid? ego sum?

Amphitruo

Ita loquor.

Mercurius

Tibi Iuppiter
Dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas foris.

Amphitruo

Quo modo?

Mercurius

Eo modo, ut profecto uiuas aetatem miser.

Amphitruo

Sosia.

Mercurius

Ita; sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.
Quid nunc uis?

Amphitruo

Sceleste, at etiam quid uelim, id tu me rogas?

Mercurius

Ita rogo; paene ecfregisti, fatue, foribus cardines.
An foris censebas nobis publicitus praeberier?
Quid me aspectas, stolide? quid nunc uis tibi aut quis tu's homo?

Amphitruo

Uerbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum Acheruns?
Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam feruentem flagris.

Mercurius

Prodigum te fuisse oportet olim in adulescentia.

Amphitruo

Quidum?

Mercurius

Quia senecta aetate a me mendicas malum.

Amphitruo

Cum cruciatu tuo istaec hodie, uerna, uerba funditas.

Mercurius

Sacrufico ego nunc tibi.

Amphitruo

Qui?

Mercurius

Quia enim te macto infortunio.

Amphitruo

At ego te cruce et cruciatu mactabo, mastigia.

. . . .

Mercurius

Erus Amphitruo *est* occupatus.

. . . .

1019 effregistis 1020 publicius 1024 adolescentiam 1028—50 *desunt in codicibus.*

1028 *Nonius p. 342:* Mactare malo afficere significat. Plautus Amphitryone: At ego certo cruce et cruciatum mactabo. exuo mastigia.

1029 *Nonius p. 354 sq.* Occupatus, impeditus, ut Græce dicitur ἀσχολεῖ, id est: Uacuus non est. Plautus in Amphitryone: Erus Amphitryo occupatus.

Optumo iure infringatur aula cineris in caput.

. . . .

Ne tu postules, matula iam iam tibi aquam infundo in caput.

Amphitruo

Quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores?

. . . .

Ibi scrobes ecfodito *tu* plus sexagenos in dies

. . . .

Noli pessumo precari.

. . . .

animam comprime

... quae me absente corpus uolgauit suum.

Alcumena

Quæse aduenienti morbo medicamen tibi.
Tu certe aut laruatus aut cerritus *es*.

. . . .

1030 *Non. p. 543 voc.* Aula.

1031 *Non. p. 543:* Matella, aquarium vas, Plautus in Amphitryone: Ne tu postules matulam unam tibi aquam infundi in caput.

1032 *Non. p. 473:* Minitas pro minitaris ... Plautus in Amphitryone: Quid etc.

1033 *Priscian. V, 41, p. 168 H.:* Scrobs . . et masculino genere invenitur. Plautus in Amphitrione: Ibi scrobes effodi duplus sexagenos in dies. *Id. VII, 40, p. 321:* Plautus masculino genere profert in Amphitryone: Ibi scrobes effodito plus sexagenos in dies. *Nonius p. 225:* Scrobes feminino genere; masculino Plautus Amphitryone: Ibi scrobes fodito sexagenos in dies. *Cf. etiam Prob. Lindem. C. Gr. I, p. 120.*

1034 *Servius ad Æn. VIII, 127:* Sane veteres et precor illi pro precor pro illo dicebant. Plautus in Amphitruone „Noli pessimo precari" hoc est pro pessimo noli precari.

1035 *Nonius p 233:* Anima iterum significat iracundiam vel furorem, unde et animosi dicuntur iracundi. Plautus Amphitryone: animam comprime.

1036 *Nonius p. 182:* Vulgauit honeste positum, vile habuit et quasi in vulgus dedit. Plautus Amphitryone: Cuiusque me absente etc.

1037 sq. *Nonius p. 44:* Cerriti et laruati male sani . . . Plautus Am-

Exiurauisti te mihi dixe per iocum

. . . .

Nec nobis præsente alius quisquam ...
Nisi seruos.

. . . .

Nisi hoc ita factumst proinde ut factum esse autumo,
Non causam dico quin iure insimules probri.

. . . .

abiendi nunc tibi etiam occasiost.

Iuppiter

Manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti.

Amphitruo

Immo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam
Impudicitia impediuit, teneo thensaurum stupri.

. . . .

---

phitryone: Laruatus. Edepol hominem miserum! medicum quæritat. Idemque supra: Quasi aduenienti morbo medicati iuuem tu certe aut laruatus es aut cerritus. *Id. p. 247:* Aduenire, incipere. Plautus Amphitryone: Quaeso aduenienti moribo iure.

1039 *Nonius p. 105:* Exiurare et deiurare i. e. valde iurare, ut deamare. Plautus Amphitryone: Exiurauisti etc.

1040 sq. *Nonius p. 76:* Absente nobis et præsente nobis pro præsentibus nobis et absentibus nobis. Plautus Amphitryone: Nec nobis præsente aliquis quisquam nisi seruus.

1042 sq. *Non. p. 237:* Autumare est dicere .... Plautus Amphitryone: Nisi hoc ita factum est proinde ut factum esse autumo, Non causam dico uerum quin simules probri.

1044 *Priscian. XI, 24, p. 564 H:* Plautus abiendi dixit pro abeundi in Amphitryone: abiendi etc.

1045 *Nonius p. 453:* Furtum etiam non ablata res, sed omne quidquid occulte geritur, auctoritate veterum dici potest. Virgilius Georg. (IV, 346). Plautus Amphitryone: Manifestum etc.

1046 sq. *Nonius p. 331:* Impedire .... sordidare, ad probrum ducere. Plautus Amphitryone: Immo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam impudicitia impediuit. *Id. p. 456:* Thesaurum etiam copiam pessimæ rei dici posse Plautus voluit in Amphitryone: Qui domi uxorem meam Impudicitia impediuit, teneo thesaurum stupri.

Nihilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi?

. . . .

Blepharo

Laruatus. Edepol hominem miserum! medicum quærita.

. . . .

Amphitruo

Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo decernere.

Blepharo

Uos inter uos *istaec* partite; ego abeo. mihi negotiumst;
Neque ego umquam usquam tanta mira me uidisse censeo.

Amphitruo

Blepharo, quaeso ut aduocatus mi adsis neue abeas.

Blepharo

Uale.
Quid opus me aduocato, qui utri sim aduocatus nescio?

Iuppiter

Intro ego hinc eo; Alcumena parturit.

Amphitruo

Perii miser.
Quid ego *ago*, quem aduocati iam atque amici deserunt?
Numquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est.
Iam ad regem recta me ducam resque ut factast eloquar.
Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum ueneficum,
Qui peruorse perturbauit familiae mentem meae.
Sed ubi illest? Intro edepol abiit, credo ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter uiuit miserior? quid nunc agam?
Quem omnes mortales ignorant et ludificant ut lubet.
Certumst, intro rumpam in aedis; ubi quemque hominem aspexero,

---

1048 *Nonius p. 453 sq.:* Ingredi non solum, ut est manifesta eius verbi significatio, sed et venire ac se ostendere auctoritate Plauti possumus dicere in Amphitryone: Nihilne etc.

1049 *vid. ad 1038.*

1050 *Nonius p. 285:* Decernere est constituere, definire .... Plautus in Amphitryone: Qui nequeas etc.

1051 uos parcite 1054 quin 1056 ego quem 1057 Numquem ludificauit 1058 Nam iam 1064 aedibus

Siue ancillam, siue seruom, si uxorem, si adulterum,
Seu patrem, siue auom uidebo, optruncabo in aedibus;
Neque me Iuppiter neque di omnes id prohibebunt, si uolent,
Quin sic faciam uti constitui. Pergam in aedis nunc iam.

BROMIA. AMPHITRUO.

Bromia

Spes atque opes uitae meae iacent sepultae in pectore
Neque ullast confidentia iam in corde, quin amiserim;
Ita mihi uidentur omnia, mare, terra, caelum concoqui,
Iam ut opprimar, ut enicer. Me miseram; quid agam nescio;
Ita tanta mira in aedibus sunt facta; uae miserae mihi!
Animo malest, aquam uelim; corrupta sum atque absumpta sum.
Caput dolet neque audio neque oculis prospicio satis,
Nec me miserior feminast neque ulla uideatur magis.
Ita erae meae hodie contigit; nam ubi parturit deosque inuocat,
Strepitus, crepitus, sonitus tonit; ut subito, ut propere, ut ualide tonuit!
Ubi quisque institerat, concidit crepitu. Ibi nescio quis maxuma
  Uoce exclamat: 'Alcumena, adest auxilium, ne time:
  Et tibi et tuis propitius caeli cultor aduenit.
Exurgite' inquit 'qui terrore meo occidistis prae metu'.
Ut iacui, exurgo. Ardere censui aedis; ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena; ea res me horrore adficit.
Erilis praeuortit metus; adcurro ut sciscam quid uelit;
Atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor,

1065 siue uxorem seu 1068 aedibus 1071 consequi 1072 inicier 1077 deos sibi invocat 1078 tonitrius 1084 Alcumena iam ea 1085 meotus

Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque prouidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex,
Qui ante aedis nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iuppiter?
Credo edepol; nam, pro Iuppiter, sepultust, quasi sit mortuus.
Ibo et cognoscam, quisquis est. *Est* Amphitruo hic quidem erus meus.
Amphitruo.

Amphitruo

Perii.

Bromia

Surge.

Amphitruo

Interii.

Bromia

Cedo manum.

Amphitruo

Quis me tenet?

Bromia

Tua Bromia ancilla.

Amphitruo

Totus timeo, ita me increpuit Iuppiter,
Nec secus est, quasi si ab Acherunte ueniam. Sed quid tu foras
Egressa's?

Bromia

Eadem nos formido timidas terrore inpulit
In aedibus, tu ubi habitas. Nimia mira uidi; uae mihi,
Amphitruo! ita mihi animus etiam nunc abest.

Amphitruo

Agedum expedi:
Scin me tuum esse erum Amphitruonem?

1091 cognosco quisquis est Amphitrio 1095 Egessa es

Bromia

Scio.

Amphitruo

Uide etiam nunc.

Bromia

Scio.

Amphitruo

Haec sola sanam mentem gestat meorum familiarium.

Bromia

Immo omnes sani sunt profecto.

Amphitruo

At me uxor insanum facit
Suis foedis factis.

Bromia

At ego faciam, tu idem ut aliter praedices,
Amphitruo. Piam et pudicam tuam esse uxorem ut scias,
De ea re signa atque argumenta paucis uerbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.

Amphitruo

Ain tu, geminos?

Bromia

Geminos.

Amphitruo

Di me seruant.

Bromia

Sine me dicere,
Ut scias tibi tuaeque uxori deos esse omnis propitios.

Amphitruo

Loquere.

Bromia

Postquam parturire hodie uxor occepit tua,
Ubi utero exorti dolores, ut solent puerperae,
Inuocat deos inmortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. Ibi continuo contonat

1099 saccam mearum 1108 Ibi

Sonitu maxumo; aedis primo ruere rebamur tuas:
Aedes totae confulgebant tuae, quasi essent aureae.

Amphitruo

Quaeso, absoluito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde?

Bromia

Dum haec aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audiuimus;
Ita profecto sine dolore peperit.

Amphitruo

Iam istuc gaudeo,
Utut erga me meritast.

Bromia

Mitte ista atque haec quae dicam accipe.
Postquam peperit, pueros lauere iussit nos. Occepimus.
Sed puer ille, quem ego laui, ut magnust et multum ualet!
Neque eum quisquam conligare quiuit incunabulis.

Amphitruo

Nimia mira memoras. Si istaec uera sunt, diuinitus
Non metuo quin meae uxori latae suppetiae sient.

Bromia

Magis iam faxo mira dices. Postquam in cunas conditust,
Deuolant angues iubati deorsum in inpluuium duo
Maxumi; continuo extollunt ambo capita.

Amphitruo

Ei mihi!

Bromia

Ne paue. Sed angues oculis omnis circumuisere.
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi;
Ego cunas recessim rursum uorsum trahere et ducere
Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues acrius
Persequi. Postquam conspexit anguis ille alter puer,

1114 sit 1117 istec 1118 lauare 1124 iuuati 1128 recessum

Citus e cunis exilit, facit recta in anguis inpetum:
Alterum altera prehendit eos manu perniciter.

Amphitruo

Mira memoras; nimis formidolosum facinus praedicas;
Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere.

Bromia

Puer ambo anguis enicat.
Dum haec aguntur, uoce clara inclamat uxorem tuam

Amphitruo

Quis homo?

Bromia

Summus imperator diuom atque hominum Iuppiter.
Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubitibus,
Eumque filium suum esse, qui illos anguis uicerit;
Alterum tuum esse dixit puerum.

Amphitruo

Pol me haud paenitet,
Si licet boni dimidium mihi diuidere cum Ioue.
Abi domum, iube uasa pura actutum adornari mihi,
Ut Iouis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam coniectorem aduocabo et consulam,
Quid faciundum censeat, simul hanc rem ut factast eloquar.
Sed quid hoc? quam ualide tonuit! di, obsecro uostram fidem.

IUPPITER. AMPHITRUO.

Iuppiter

Bono animo es; adsum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis.
Nihil est quod timeas; hariolos, haruspices

1131 *proximo postponitur* 1135 sit 1138 cubilibus 1144 Ego te res iam


Mitte omnis; quae futura et quae facta eloquar,
Multo adeo melius quam illi, quom sum Iuppiter.
Primum omnium Alcumenae usuram corporis
Cepi et concubitu grauidam feci filio.
Tu grauidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus's; uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro quist susceptus semine,
Suis factis te inmortali adficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi; haud promeruit quam ob rem uitio uorteres;
Mea ui subactast facere. Ego in caelum migro.

Amphitruo

Faciam ita ut iubes et te oro promissa ut serues tua.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.

Ω

Nunc spectatores, Iouis summi causa clare plaudite.



1154 Profectus parto 1161 te res iam 1162 Ω *om.*

ASINARIA.

ARGUMENTUM.

Amanti argento filio auxiliarier
Sub inperio uiuens uolt senex uxorio.
Itaque ob asinos relatum pretium Saureae
Numerari iussit seruo*lo* Leonidae.
Ad amicam id fertur; cedit noctem filius.
Ruit alius amens ob *p*raereptam mulierem.
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat;
Adcurrit uxor ac uirum e lustris ra*pit.*

Discrepantia scripturæ codicis Palatino-Vaticani 1615 (Ritschelii B).

Argumentum prologo postponitur 4 seruo 6 Ruimus amens obre ıeptam 8 uirum eius tris rae

PERSONAE.

Libanus seruos
Demaenetus senex
Argyrippus adulescens
Cleareta lena
Leonida seruos
Mercator
Philænium meretrix
Diabolus adulescens
Parasitus
Artemona uxor
Grex.

PROLOGUS.

Hoc agite sultis, spectatores, nunc iam,
Quae quidem mihi atque uobis res uortat bene
Gregique huic et dominis atque conductoribus.
Face iam nunc tu praeco omnem auritum poplum. —
Age nunc reside; caue modo ne gratiis.
Nunc quid processerim huc et quid mihi uoluerim
Dicam; ut sciretis nomen huius fabulae;
Nam quod ad argumentum attinet, sane breuest.
Nunc quod me dixi uelle uobis dicere
Dicam: huic nomen Graece Onagost fabulae;
Demophilus scripsit, Macius uortit barbare;
Asinariam uolt esse, si per uos licet.
Inest lepos ludusque in hac comoedia;
Ridicula res est; date benigne operam mihi.
Ut uos item alias, pariter nunc Mars adiuuet!

---

1 si uultis 4 Eace 5 negratis 10 onagrost 11 Maccus

LIBANUS SERUOS. DEMAENETUS SENEX.

Libanus

Sicut tuum uis unicum gnatum tuae
Superesse uitae sospitem et superstitem,
Ita te*d* optestor per senectutem tuam
Perque illam quam tu metuis uxorem tuam:
Siquid med erga hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor aetatem siet
Atque illa uiua uiuos ut pestem oppetas.

Demaenetus

[Per deum Fidium quaeris; iurato mihi
Uideo necesse esse eloqui quidquid roges.]
Ita me obstinate adgressus'*s*, ut non audeam
Profecto percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum istuc quid sit quod scire expetis
Eloquere; ut ipse scibo, te faciam ut scias.

Libanus

Dice obsecro hercle serio. Quod te rogem,
Caue mihi mendaci quicquam.

Demaenetus

Quin tu ergo rogas?

Libanus

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

Demaenetus

Quid istuc est aut ubi istuc est terrarum loci?

---

18 te 25 adgressus

Libanus

Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant,
Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi uiuos homines mortui incursant boues.

Demaenetus

Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci:
Ubi *fit* polenta, te fortasse dicere.

Libanus

Ah,
Neque hercle ego istuc dico nec dictum uolo,
Teque obsecro hercle ut quae locutus's despuas.

Demaenetus

Fiat; geratur mos tibi.

Libanus

Age age, usque excrea.

Demaenetus

Etiamne?

Libanus

Age quaeso hercle usque ex penitis faucibus.
Etiam amplius.

Demaenetus

Nam quo usque?

Libanus

Usque ad mortem uolo.

Demaenetus

Caue sis malam rem.

Libanus

Uxoris dico, non tuam.

Demaenetus

Dono te ob istuc dictum ut expers sis metu.

Libanus

Di tibi dent quaequomque optes.

---

33 homines nequam pransitant 37 fit *om.* Ahe 38 ergo 39 herclae locutus 41 *legitur post 54.*

Demaenetus

Redde operam mihi.
Cur hoc ego ex te quaeram, aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris?
Aut cur postremo filio suscenseam,
Patres ut faciunt ceteri?

Libanus

Quid istuc nouist?
Demiror quid sit, et quo euadat sum in metu.

Demaenetus

Equidem scio iam filius quod amet meus
Istanc meretricem e proxumo Philaenium.
Estne hoc ut dico, Libane?

Libanus

Rectam instas uiam;
Ea res est; sed eum morbus inuasit grauis.

Demaenetus

Quid morbist?

Libanus

Quia non suppetunt dictis data.

Demaenetus

Tune es adiutor nunc amanti filio?

Libanus

Sum uero, et alter noster est Leonida.

Demaenetus

Bene hercle facitis, et a me initis gratiam.
Uerum meam uxorem, Libane, nescis qualis sit.

Libanus

Tu primus sentis; nos tamen in pretio sumus.

Demaenetus

Fateor eam esse inportunam atque incommodam.

Post v. 46:

Quid istud est aut ubi istuc sit nequeo noscere?
Ubi flent nequam homines qui polentam pinsitant.

50 *legitur post 82.* 53 instans *Post v. 54 legitur 41.* 59 siet

Libanus

Posterius istuc dicis quam credo tibi.

Demaenetus

Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequentiam;
[Quippe qui mage amico utantur gnato et beniuolo;]
Atque ego me id facere studeo; uolo amari a meis,
Uolo me patris mei similem, qui causa mea
Nauclerico ipse ornatu per fallaciam
Quam amabam abduxit ab lenone mulierem;
Neque puduit eum id aetatis sycophantias
Struere et beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretumst persequi mores patris.
Nam me hodie orauit Argyrippus filius,
Uti sibi amanti facerem argenti copiam;
Et id ego percupio obsequi gnato meo,
[Uolo amori obsecutum illius, uolo amet me patrem.]
Quamquam illum mater arte contenteque habet,
Patres ut consuerunt; ego mitto omnia haec,
Praesertim quom is me dignum quoi concrederet
Habuit. Me habere honorem eius ingenio decet,
Quom me adiit, ut pudentem gnatum aequomst patrem.
Cupio esse amicae quod det argentum suae.

Libanus

Cupis id, quod cupere te nequiquam intellego;
Dotalem seruom Sauream uxor tua
Adduxit, quoi plus in manu sit quam tibi.

Demaenetus

Argentum accepi, dote inperium uendidi.
Nunc uerba in pauca conferam quid te uelim.
Uiginti iam usust filio argenti minis;
Face id ut paratum iam sit.

---

64 obsequellam 66 amori 68 Nauclerio 77 contemteque
Post 82 leguntur versus 50—51.

Libanus

Unde gentium?

Demaenetus

Me defraudato.

Libanus

Maxumas nugas agis;
Nudo detrahere uestimenta me iubes.
[Defrudem te ego? age sis, tu sine pennis uola.]
Tene ego defrudem, quoi ipsi nihil est in manu,
Nisi quid tu porro uxorem defraudaueris?

Demaenetus

Qua me, qua uxorem, qua tu seruom Sauream
Potes, circumduce, aufer; promitto tibi
Non offuturum, si *tu* id hodie ecfeceris.

Libanus

Iubeas una opera me piscari in aere,
Uenari autem rete*i* iaculo in medio mari.

Demaenetus

Tibi optionem sumito Leonidam;
Fabricare quiduis, quiduis conminiscere;
Perficito argentum hodie ut habeat filius,
Amicae quod det.

Libanus

Quid ais tu, Demaenete?
[Quid si forte in insidias deuenero?]
Tun redimes me, si me hostes interceperint?

Demaenetus

Redimam.

Libanus

Tum tu igitur aliud cura quidlubet.

Demaenetus

Ego eo ad forum, nisi quid uis.

---

95 Qua me arte qua   96 Potest   97 si hodie   99 rete

Libanus

I, bene ambula.

Demaenetus

Atque audin etiam?

Libanus

Recte.

Demaenetus

Si quid te uolam,
Ubi eris?

Libanus

Ubiquomque lubitum erit animo meo.
Profecto nemost quem iam dehinc metuam mihi
Ne quid nocere possit, quom tu mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuum.
Quin te quoque ipsum facio haud. magni, si hoc patro.
Pergam quo occepi atque ibi consilia exordiar.

Demaenetus

Audin tu? apud Archibulum ego ero argentarium.

Libanus

Nempe in foro?

Demaenetus

Ibi, siquid opus fuerit, —

Libanus

Meminero.

Demaenetus

Non esse seruos peior hoc quisquam potest
Nec magis uorsutus nec quo ab caueas aegrius.
Eidem homini, siquid recte curatum uelis,
Mandes; moriri se*se* misere mauolet,
Quam non perfectum reddat quod promiserit.
Nam ego illuc argentum tam paratum filio

---

107 Fietne ambula 108 etiam Ecce Siquid 109 Ubi eris *antecedenti versui adhæret.* 110 Profecto *item.* 112 Oratione *item.* 120 se 122 illud

Scio esse quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quo inceperam?
[Atque ibi manebo apud argentarium.]

ARGYRIPPUS ADULESCENS.

Sicine hoc fit? foras aedibus me eici?
Promerenti optume hocine preti redditur?
Bene merenti mala's, male merenti bona's.
At malo cum tuo; nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad trisuiros uostraque ibi nomina
Faxo erunt; capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebrae, pernicies, adulescentum exitium.
Nam mare haud est mare; uos mare acerrumum;
Nam in mari repperi, hic elaui bonis.
Ingrata atque inrita esse omnia intellego
Quae dedi et quod bene feci; at posthac tibi
Male quod potero facere faciam, meritoque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eodem unde orta's, ad egestatis terminos;
Ego edepol te faciam ut quae sis nunc et quae fueris scias.
Quae prius quam istam adii atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido uitam oblectabas pane in pannis inopia,
Atque ea si erant, magnam habebas omnibus dis gratiam,
Eadem nunc, quomst melius, me, quoius operast, ignoras, mala.
Reddam ego te ex fera fame mansuetem; me specta modo.
Nam isti quod suscenseam ipsi nihil est, nihil quicquam meret;
Tuo facit iussu, tuo inperio paret; mater tu eadem era's.
Te ego ulciscar, te ego ut digna's perdam atque ut de me meres.

---

123 comtui 124 quod incoeperam 132 permities 136 ac 142 magnas gratias 144 mansuetam 145 quid

At scelesta uiden ut ne id quidem me dignum esse existumat,
Quem adeat, quem conloquatur quoique irato supplicet?
Atque eccam inlecebra exit tandem. — Opinor hic ante ostium
Meo modo loquar quae uolam, quoniam intus non licitumst mihi.

LENA CLEARETA. ADULESCENS ARGYRIPPUS.

Cleareta

Unum quodque istorum uerbum nummis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc a me, siquis emptor uenerit;
Nec recte quae tu in nos dicis, aurum atque argentum merumst.
Fixus hic apud nos est animus tuus clauo Cupidinis;
Remigio ueloque quantum poteris festina et fuge;
Quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum refert.

Argyrippus

Ego pol istum portitorem priuabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita's de me et mea re, tractare exequar,
Quo*nia*m tu me ut meritus sum non tractas, quae *me* eicis domo.

Cleareta

Magis istuc percipimus lingua dici quam factis fore.

Argyrippus

Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli;
Solus si ductem, referre gratiam numquam potes.

Cleareta

Solus ductato, si semper solus quae poscam dabis;
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.

149 conlocatur 160 Quom quæ cicis 162 te datque

Argyrippus

Qui modus dandi? nam numquam tu quidem expleri potes.
Modo quom accepisti, haud multo post aliquid quod poscas paras.

Cleareta

Quid modist ductando, amando? numquamne expleri potes?
Modo remisisti, continuo iam ut remittam ad te rogas.

Argyrippus

Dedi equidem quod mecum egisti.

Cleareta

Et tibi ego misi mulierem.
Par pari datum hostimentumst, opera pro pecunia.

Argyrippus

Male agis mecum.

Cleareta

Quid me accusas, si facio officium meum?
Nam neque fictum usquamst neque pictum neque scriptum in poëmatis,
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse uolt.

Argyrippus

Mihi quidem te parcere aequomst tandem, ut tibi durem diu.

Cleareta

Non tu scis? quae amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis itidemst amator lenae; nequamst nisi recens.
Is habet sucum, is suauitatem; eum quouis pacto condias,
Uel patinarium uel assum. uorses quo pacto lubet.
Is dare uolt, is se aliquid posci; nam ibi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat; illi rei studet:
Uolt placere sese amicae, uolt mihi, uolt pedisequae,

---

167 Modo quod 173 Nam neque usquam pictum neque scriptum
177 laene 180 ubi 182 pedis æquæ

Uolt famulis, uolt etiam ancillis, et quoque catulo meo
Subblanditur nouos amator, se ut quom uideat gaudeat.
Uera dico; ad suum quemque hominem quaestum esse aequomst callidum.

Argyrippus

Perdidici istaec esse uera damno cum magno meo.

Cleareta

Si ecastor nunc habeas quod des, alia uerba praehibeas;
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas?

Argyrippus

Non meumst.

Cleareta

Nec meum quidem edepol ad te ut mittam grati*i*s.
Uerum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuisti potius quam decori tibi,
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris causa grati*i*s dono dabo.

Argyrippus

Quid, si non est?

Cleareta

Tibi non esse credam; illa alio ibit tamen.

Argyrippus

Ubi illaec, quae dedi ante?

Cleareta

Abusa; nam si ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te, numquam quicquam poscerem.
Diem aquam solem lunam noctem, haec argento non emo;
Cetera quae uolumus uti Graeca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, uinum ex oenopolio,
Si aes habent, dant mercem; eadem nos discip*u*lina utimur:
Semper oculatae manus sunt nostrae, credunt quod uident.
Uetus est 'nihili coactiost', scis cuius; non dico amplius.

---

187 perhibeas 189 gratis 193 gratis 200 Sies disciplina 201 occulatæ 202 coactio

Argyrippus

Aliam nunc mihi orationem despoliato praedicas,
[Longe aliam, inquam, praebes nunc atque olim quom dabam]
Aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blande ac benedice.
Tum mihi aedes quoque arridebant, quom ad te ueniebam, tuae.
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare aibas mihi.
Ubi quid dederam, quasi columbae pulli in ore ambae meo
Usque eratis; meo de studio studia erant uostra omnia.
Usque adhaerebatis; quod ego iusseram, quod uolueram,
Faciebatis; quod nolebam ac uotueram, de industria
Fugiebatis neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid uelim neque nolim facitis magni, pessumae.

Cleareta

Non tú scis? hic noster quaestus aucupi simillumust.
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum;
Aues adsuescunt; necessest facere sumptum qui quaerit lucrum.
Saepe edunt; semel si sunt captae, rem soluont aucupi.
Itidem hic apud nos: aedis nobis areast, auceps sum ego,
Escast meretrix, lectus inlex est, amatores aues.
Bene salutando consuescunt, conpellando blanditer,
Osculando, oratione uinnula, uenustula.
Si papillam pertractauit, haud est ab re aucupis.
Sauium si sumpsit, sumere eum licet sine retibus.
Haecine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?

Argyrippus

Tua ista culpast, quae discipulum semidoctum abs te amoues.

Cleareta

Remeato audacter, mercedem si eris nanctus; nunc abi.

---

207 aiebas 218 Ititidem 222 pertractabit

Argyrippus

Mane, mane; audi; dic, quid me aequom censes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit?

Cleareta

Tune? uĭginti minas;
Atque ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu uale.

Argyrippus

At ego est etiam prius quam abis, quod uolo loqui.

Cleareta

Dic quod lubet.

Argyrippus

Non omnino iam perii: est relicuum, quo peream magis.
Habeo unde istuc tibi quod poscis dem; sed in leges meas
Dabo, ut*i* scire possis, perpetuum annum hunc mihi uti seruiat
Nec quemquam interea alium admittat prorsus quam me ad se uirum.

Cleareta

Quin, si tu uoles, domi serui qui sunt castrabo uiros.
Postremo, ut uoles nos esse, syngraphum facito adferas.
Ut uoles, ut tibi lubebit, nobis legem inponito;
Modo tecum una argentum adferto, facile patiar cetera.

Argyrippus

Portitorum simillumae sunt ianuae lenoniae;
Si adfers, tum patent; si non est quod des, aedes non patent.
Interii, si non inuenio ego illas uiginti minas,
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundumst mihi.
Nunc pergam ad forum atque experiar opibus, omni copia;
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum uidero.
Dignos, indignos adire atque experiri *stat* mihi;
Nam si mutuas non potero, certumst sumam faenore.

---

231 reliquum 233 ut 236 syngrapham 245 experiri certust mihi

LIBANUS SERUOS.

Hercle uero, Libane, nunc te meliust expergiscier;
[Atque argento comparando fingere fallaciam.]
Iam diust factum, quom discesti ab ero atque abiisti ad forum.
Igitur, inueniundo argento ut fingeres fallaciam,
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio?
Quin tu abs te socordiam omnem reice et segnitiem amoue
Atque ad ingenium uetus uorsutum recipe te tuum?
Serua erum; caue tu idem faxis, alii quod serui solent,
Qui ad eri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Unde sumam? quem interuortam? quo hanc celocem conferam?
Inpetritum, inauguratumst; quouis admittunt aues.
Picus et cornix ab laeua, coruos, parra ab dextera
Consuadent; certum herclest nostram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerariumst.
Certe hercle ego quantum ex augurio eius pici intellego,
Aut mihi in mundo sunt uirgae aut atriensi Saureae.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit huc Leonida?
Metuo, quom illic obscaeuauit meae falsae fallaciae.

LEONIDA LIBANUS, SERUI DUO.

Leonida

Ubi ego Libanum nunc requiram aut familiarem filium,
Ut ego illos lubentiores faciam quam Lubentiast?
Maxumam praedam et triumphum eis adfero aduentu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent,

---

249 abisti 253 te recipis 257 amittunt 258 cornex est ab porro 261 augurio auspicii 264 quod illic obsceruauit

Hanc quidem, quam nanctus praedam, pariter cum illis partiam.

Libanus

Illic homo aedis conpilauit, more si fecit suo;
Uae illi qui tam indiligenter obseruauit ianuam!

Leonida

Aetatem uelim seruire, Libanum ut conueniam modo.

Libanus

Mea quidem hercle opera liber numquam fies ocius.

Leonida

Etiam de tergo ducentas plagas praegnatis dabo.

Libanus

Largitur peculium; omnem in tergo thensaurum gerit.

Leonida

Nam huic occasioni tempus si se supterduxerit,
Numquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.
Erum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.
Sed si mecum occasionem opprimere hanc quae obuenit studet,
Maxumas opimitates gaudio ecfertissumas
Suis eris ille una mecum pariet, gnatoque et patri,
Adeo ut aetatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro deuincti beneficio.

Libanus

Uinctos nescio quos ait.
Non placet; metuo in conmune ne quam fraudem frausus sit.

Leonida

Perii ego oppido, nisi Libanum inuenio iam, ubi ubist gentium.

Libanus

Illic homo socium ad malam rem quaerit quem adiungat sibi.
Non placet; pro monstro extemplost, quando qui sudat tremit.

---

272 Aetate 276 Nam si huic occasioni tempus sese 281 erit 284 siet 287 quando *om.*

Leonida

Sed quid ego hic properans concesso pedibus lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quae loquens lacerat diem?

Libanus

Edepol hominem infelicem, qui patronam conprimat!
Nam siquid sceleste fecit, lingua pro illo perierat.

Leonida

Adproperabo, ne post tempus praedae praesidium parem.

Libanus

Quae illaec praedast? ibo aduorsum atque electabo quidquid est.
Iubeo te saluere uoce summa, quoad uires ualent.

Leonida

Gymnasium flagri, salueto.

Libanus

Quid agis, custos carceris?

Leonida

O catenarum colone.

Libanus

O uirgarum lasciuia.

Leonida

Quot pondo te esse censes nudum?

Libanus

Non edepol scio.

Leonida

Scibam ego te nescire; at pol ego qui te expendi scio.
Nudus uinctus centum pondo's, quando pendes per pedes.

Libanus

Quo argumento istuc?

Leonida

Ego dicam, quo argumento et quo modo.
Ad pedes quando adligatumst aequom centumpondium,

301 adligatus est

Ubi manus manicae conplexae sunt atque adductae ad trabem,
Nec dependes nec propendes, quin — malus nequamque sis.

Libanus

Uae tibi.

Leonida

Istoc testamento Seruitus legat tibi.

Libanus

Uerbis uelitationem fieri conpendi uolo;
Quid istud *tibi* negoti exortumst? Credere audacter licet.

Leonida

Sis amanti subuenire familiari filio,
Tantum adest boni inprouiso, uerum conmixtum malo:
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usust nobis inuenta et dolis.
Tantum facinus modo ego inueni, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse quo cruciatus confluant.

Libanus

Ergo mirabar quod dudum scapulae gestibant mihi,
Hariolari quae occeperunt sibi esse in mundo malum.
Quidquid est eloquere.

Leonida

Magnast praeda cum magno malo.

Libanus

Si quidem omnes coniurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quaeram foris.

Leonida

Si istam firmitudinem animi optines, salui sumus.

Libanus

Quin si tergo res soluendast, rapere cupio publicum.
Pernegabo atque obdurabo, periurabo denique.

---

303 dependis propendis 304 Hoc 306 istud negotii est certum est. licet sis 311 inueni ego 317 familiare 319 si ergo re soluenda est

Leonida

Hem, ista uirtus est, quando usust, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.

Libanus

Quin rem actutum edisseris? Cupio malum nanciscier.

Leonida

Placide ergo unum quidquid rogita, ut adquiescam; non uides
Me ex cursura anhelitum etiam ducere?

Libanus

Age age, mansero
Tuo arbitratu, uel adeo usque dum peris.

Leonida

Ubinamst erus?

Libanus

Maior apud forumst, minor hic est intus.

Leonida

Iam satis est mihi.

Libanus

Tum igitur tu diues es factus?

Leonida

Mitte ridicularia.

Libanus

Mitto; istuc quod adfers aures expectant meae.

Leonida

Animum aduorte, ut aeque mecum haec scias.

Libanus

Taceo.

Leonida

Beas.
Meministine asinos Arcadicos mercatori Pelleo
Nostrum uendere atriensem?

Libanus

Memini; quid tum postea?

---

322 post patitur bonum 324 quisq. derogita 331 Pellæo

Leonida

Em, ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureae
Pro asinis; adulescens uenit modo, qui id argentum attulit.

Libanus

Ubi is homost?

Leonida

Iam deuorandum censes, si conspexeris?

Libanus

Ita enimuero; sed tamen — tu nempe eos asinos praedicas
Uetulos, claudos, quibus subtritae ad femina iam erant ungulae?

Leonida

Ipsos, qui tibi subuectabant rure huc uirgas ulmeas.

Libanus

Teneo; atque idem te hinc uexerunt uinctum rus.

Leonida

Memor es probe.
Uerum in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier,
Ecquem filium Stratonis nouerim Demaenetum.
Dico me nouisse extemplo, et me eius seruom praedico
Esse et aedis demonstraui nostras.

Libanus

Quid tum postea?

Leonida

Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae,
Uiginti minas; sed eum non nouisse hominem qui siet;
Ipsum uero se nouisse callide Demaenetum.
Quoniam ille elocutus haec sic —

Libanus

Quid tum?

Leonida

Ausculta ergo; scies.
Extemplo facio facetum me atque magnificum uirum;

---

334 quid argentum 340 meme 345 eum sese non 346 *ponitur post 347.*

Dico me*d* esse atriensem. ‘Sit hoc’ respondit mihi
‘Ego pol Sauream non noui neque qua facie sit scio;
Te non aequomst suscensere; erum si uis Demaenetum,
Quem ego noui, adduce; argentum non morabor quin feras.’
Ego me dixi erum adducturum et me domi praesto fore.
Ille in balineas iturust; inde huc ueniet postea.
Quid nunc consili captandum censes? dic.

Libanus

Hem istuc ago,
Quo modo argento interuortam et aduentorem et Sauream.
Iam hoc opus est exasciatum; nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solum seorsum ab aedibus;
Mihi tibique interminatust nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo essent uiginti argenti minae.
Iussit uel nos atriensem uel nos uxorem suam
Defraudare; dixit sese operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad erum et narra haec ut nos acturi sumus:
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum adferat mercator pro asinis.

Leonida

Faciam ut iubes.

Libanus

Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte aduenerit.

Leonida

Quid ais?

Libanus

Quid uis?

Leonida

Pugno malam si tibi percussero
Mox, quom imitabor Sauream, caueto ne suscenseas.

---

349 me Si 351 si erum 353 dixeram 357 exasceatum 369 Sauream imitabor

Libanus

Hercle uero tu cauebis ne me attingas, si sapis,
Ne hodie malo cum auspicio nomen conmutaueris.

Leonida

Quaeso aequo animo patitor.

Libanus

Patitor tu item, quom ego te referiam.

Leonida

Dico ut usus fieri.

Libanus

Dico hercle ego quoque ut facturus sum.

Leonida

Ne nega.

Libanus

Quin promitto, inquam, hostire contra ut merueris.

Leonida

Ego abeo; tu iam, scio, patiere. Sed quis hic est? Is est;
Illest ipsus. Iam ego recurro huc; tu hunc interea hic tene;
Uolo seni narrare.

Libanus

Quin tu*um* officium facis ergo ac fugis?

LIBANUS SERUOS. MERCATOR.

Mercator

Ut demonstratae sunt mihi, hasce aedis esse oportet,
Demaenetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta
Atque atriensem Sauream, sist intus, euocato huc.

Libanus

Quis nostras sic frangit foris? Ohe, inquam, si quid audis.

Mercator

Nemo etiam tetigit; sanusne es?

---

370 si me sapis 377 tu hac

Libanus

At censebam attigisse
Propterea huc quia habebas iter. Nolo ego foris conseruas
Meas a te uerberarier; sane ego sum amicus nostris.

Mercator

Pol haud periclumst cardines ne foribus ecfringantur,
Si istoc exemplo omnibus qui quaerunt respondebis.

Libanus

Ita haec moratast ianua; extemplo ianitorem
Clamat, procul si quem uidet ire ad se calcitronem.
Sed quid uenis? Quid quaeritas?

Mercator

Demaenetum uolebam.

Libanus

Si sit domi, dicam tibi.

Mercator

Quid? eius atriensis?

Libanus

Nihilo mage intus est.

Mercator

Ubist?

Libanus

Ad tonsorem ire dixit.

Mercator

Conueni. Sed post non rediit?

Libanus

Non edepol. Quid uolebas?

Mercator

Argenti uiginti minas, si adesset, accepisset.

Libanus

Qui pro istuc?

---

384 meas *superiori versui adhæret* nostris ædibus 385 efrangantur *m. pr.* 392 Cum uenisset

Mercator

Asinos uendidit Pellaeo mercatori
Mercatu.

Libanus

Scio; tu id nunc refers? Iam hic credo eum adfuturum.

Mercator

Qua facie uoster Saureast? — Si is est, iam scire potero.

Libanus

Macilentis malis, rufulus, aliquantum uentriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.

Mercator

Non potuit pictor rectius describere eius formam.
Atque hercle ipsum adeo contuor; quassanti capite incedit;
Quisque obuiam huic occesserit irato, uapulabit.
Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit,
Si me*d* iratus tetigerit, iratus uapulabit.

LEONIDA LIBANUS, SERUI. CHLAMYDATUS.

Leonida

Quid hoc est negoti, neminem meum dictum magni facere?
Libanum in tonstrinam iusseram uenire, is nullus uenit.
Ne ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore.

Mercator

Nimis inperiosust.

Libanus

Uae mihi hodie.

Leonida

Saluere iussi
Libanum libertum? Iam manu emissus'*s*?

---

400 quansanti 401 huc 402 eachidinis animusq. incedit 403 Sime 404 QUID HOSSIT negocii 405 ut iusseram. 408 emissus

Libanus

Obsecro te.

Leonida

Ne tu hercle cum magno malo mihi obuiam occessisti.
Cur non uenisti, ut iusseram, in tonstrinam?

Libanus

Hic me moratust.

Leonida

Si quidem hercle nunc summum Iouem te dicas detinuisse
Atque is precator adsiet, malam rem ecfugies numquam.
Tu uerbero inperium meum contempsisti?

Libanus

Perii hospes.

Mercator

Quaeso hercle noli, Saurea, mea causa hunc uerberare.

Leonida

Utinam nunc stimulus in manu mihi sit,

Mercator

Quiesce quaeso.

Leonida

Qui latera conteram tua, quae occalluere plagis.
Abscede ac sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit,
Quoi numquam unam rem me licet semel praecipere furi,
Quin centiens eadem inperem atque ogganniam; itaque iam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Iussin, sceleste, ab ianua hoc stercus hinc auferri?
Iussin columnis deiici operas araneorum?
Iussine in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est; tamquam si claudus sim, cum fustist ambulandum.
Quia triduum hoc unum modo foro dedi operam adsiduam,
Dum reperiam qui quaeritet argentum in faenus, hic uos

411 detimuisse 416 occaluere 419 imparem 422 aranearum 425 operam adsiduam dedi

Dormitis interea domi atque erus in hara, haud aedibus habet.
Em ergo hoc tibi.

Libanus

Hospes, te obsecro, defende.

Mercator

Saurea, oro
Mea causa ut mittas.

Leonida

Eho † ecquis pro uectura oliui
Rem soluit?

Libanus

Soluit.

Leonida

Quoi datumst?

Libanus

Sticho uicario ipsi
Tuo.

Leonida

Uah, delenire adparas. Scio mihi uicarium esse
Neque eo esse seruom in aedibus eri qui sit pluris quam illest.
Sed uina quae heri uendidi uinario Exaerambo,
Iam pro is satis fecit Sticho?

Libanus

Fecisse satis opinor;
Nam uidi huc ipsum adducere trapezitam Exaerambum.

Leonida

Sic dedero; prius quae credidi, uix anno post exegi;
Nunc sat agit; adducit domum etiam ultro et scribit nummos.
Dromo mercedem rettulit?

Libanus

Dimidio minus, opinor.

---

427 habitat 428 Hem 429 Eo 430 Resoluit? LI. Resoluit 433 ille sit 435 adducere et rapezitam Exerambum 436 quam

Leonida

Quid relicuum?

Libanus

Aibat reddere, quom extemplo redditum esset;
Nam retineri, ut quod sit sibi operis locatum ecficeret.

Leonida

Scyphos quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?

Libanus

Non etiam.

Leonida

Hem, non? Si *quid* uelis da*re*, commoda homini amico.

Mercator

Perii hercle; iam hic me abegerit suo odio.

Libanus

Heus, iam satis; tu
Audin quae loquitur?

Leonida

Audio et quiesco.

Mercator

Tandem opinor
Conticuit; nunc adeam optumumst prius quam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das?

Leonida

Ehem, optume; quam dudum tu aduenisti?
Non hercle te prouideram; quaeso ne uitio uortas;
Ita iracundia obstitit oculis.

Mercator

Non mirum factumst.
Sed si domist Demaenetum uolebam.

Leonida

Negat esse intus?
Uerum istuc argentum tamen mihi si uis denumerare,
Repromittam istoc nomine solutam rem futuram.

---

439 reliquum? LI. Alebat reddere quam 442 Si uelis da

Mercator
Sic potius ut Demaeneto tibi ero praesente reddam.
Libanus
Erus istunc nouit atque erum hic.
Mercator
Ero huic praesente reddam.
Libanus
Da modo meo periculo; rem saluam ego exhibebo.
Nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
Suscenseat, quoi omnium rerum ipsus semper credit.
Leonida
Non magni pendo; ne duit, si non uolt; sic sine astet.
Libanus
Da, inquam; uah, formido miser ne hic me tibi arbitretur
Suasisse sibi ne crederes; da quaeso ac ne formida;
Saluom hercle erit.
Mercator
Credam fore, dum quidem ipsus in manu habeo.
Peregrinus ego sum; Sauream non noui.
Libanus
At nosce sane.
Mercator
Sit, non sit, non edepol scio; si is est, eum esse oportet;
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.
Leonida
Hercle istum di omnes perduint! Uerbo caue supplicassis;
Ferox est, uiginti minas meas tractare sese.
Nemo accipit; aufer te domum, abscede hinc, molestus ne sis.
Mercator
Nimis iracunde; non decet superbum esse hominem seruom.
Leonida
Malo hercle iam magno tuo, ni isti nec recte dicis.

---

454 periclo 456 qui credidit 458 uahe 460 ipse 464 perdunt 466 accepit aufert te

Libanus

Inpure, nihili, non uides irasci?

Leonida

Perge porro.

Libanus

Flagitium hominis, da obsecro argentum huic, ne male loquatur.

Mercator

Malum hercle uobis quaeritis.

Leonida

Crura hercle defringentur,
Ni istum inpudicum percies.

Libanus

Perii hercle; age inpudice,
Sceleste, non audes mihi scelesto subuenire?

Leonida

Pergin precari pessumo?

Mercator

Quae res? Tun libero homini
Male seruos loquere?

Leonida

Uapula.

Mercator

Id tibi quidem hercle fiet,
Ut uapules, Demaenetum simul ac conspexero hodie.
[In ius uoco te.

Leonida

Non eo.

Mercator

Non is? memento.

Leonida

Memini.

Mercator

Dabitur pol supplicium mihi de tergo uostro.

---

471 diffringentur 474 homine 475 Malo flet 477 Nonus

Leonida

Uae te:
Tibi quidem supplicium, carnufex, de nobis, detur?

Mercator

Atque etiam
Pro dictis uostris maledicis poenae pendentur mihi hodie.]

Leonida

Quid, uerbero?

Mercator

Ain tu, furcifer?

Leonida

Erum me fugitare censes?
I nunc iam ad erum, quo uocas, iam dudum quo uolebas.

Mercator

Nunc demum? Tamen numquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare iusserit Demaenetus.

Leonida

Ita facito; age ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum quam tu.

Mercator

Scilicet ita res est.

Leonida

Sequere hac ergo.
Praefiscini hoc nunc dixerim; nemo etiam me accusauit
Merito meo, neque me alter est Athenis hodie quisquam,
Quoi credi recte aeque putent.

Mercator

Fortassis; sed tamen me
Numquam hodie induces ut tibi credam hoc argentum ignoto.

---

480 maledictis 481 erum nosmet 482 Ei 487 Perficisci ni 488 Athenis alter est

Lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit non nouit.

Leonida

Iam nunc secunda mihi facis. *S*cibam huic te capitulo hodie
Facturum satis pro iniuria. Quamquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum nec potest peculium enumerari.

Mercator

Fortasse.

Leonida

Etiam hodie Periphanes Rhodo mercator diues
Absente ero solus mihi talentum argenti soli
Numerauit et mihi credidit neque*st* deceptus in eo.

Mercator

Fortasse.

Leonida

Atque etiam tu quoque ipse si esses percontatus
Ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers.

Mercator

Haud negassim.

CLEARETA LENA. PHILAENIUM MERETRIX.

Cleareta

Nequeone ego te*d* interdictis facere mansuetem meis?
An ita tu es animata ut qui expers matris inperi sies?

Philaenium

Ibi piem pietatem, si istoc more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?

Cleareta

[An decorumst aduorsari meis te praeceptis? Quid est?]
Hocinest pietatem colere, inperium matris minuere?

---

492 cibam 495 Etiam nunc dico 497 Adnumerauit st *om.* 499 Me ex aliis quo id 500 te mansuetam 501 matris expers 502 Ubi isto 505 matris imperium

Philaenium

Neque quae recte faciunt culpo neque quae delinquunt amo.

Cleareta

Satis dicacula es amatrix.

Philaenium

Mater, is quaestust mihi:
Lingua poscit, corpus quaerit, animus orat, res monet.

Cleareta

Ego te uolui castigare; tu mihi accusatrix ades.

Philaenium

Neque edepol te accuso neque id me facere fas existumo.
Uerum ego meas queror fortunas, quom illo quem amo prohibeor.

Cleareta

Ecqua pars orationis de die dabitur mihi?

Philaenium

Et meam partem loquendi et tuam trado tibi,
Ad loquendum atque ad tacendum tu ut habeas portisculum.
Quin pol si reposiui remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiae causa consistit tibi.

Cleareta

Quid ais tu, quam ego unam uidi mulierem audacissumam?
Quotiens te uotui Argyrippum filium Demaeneti
Conpellare aut contrectare conloquiue aut contui?
Quid dedit? Quid deportari iussit ad nos? Tu tibi
Uerba blanda esse aurum rere, dicta docta pro datis.
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi iubes.
Illos qui dant, eos derides; qui deludunt deperis.
An te id expectare oportet, siquis promittat tibi
Te facturum diuitem, si moriatur mater sua?
Ecastor nobis periclum et familiae portenditur,
Dum eius expectamus mortem, ne nos moriamur fame.

---

512 Egoua 514 tute habeas 520 An tu tibi 522 accersi 523 dederis 525 moritur mater tua 526 periclum magnum

Nunc adeo nisi mihi huc argenti adfert uiginti minas,
Ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summust apud me inopiae excusatio †

Philaenium

Patiar, si cibo carere me iubes, mater mea.

Cleareta

Non uoto ted amare qui dant, qua amentur gratia.

Philaenium

Quid si hic animus occupatust? Mater, quid faciam, mone.

Cleareta

Hem,
Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.

Philaenium

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas ouis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum animi causa, quem uolo.

Cleareta

Intro abi; nam te quidem edepol nihil est inpudentius.

Philaenium

Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

LIBANUS LEONIDA, SERUI DUO.

Libanus

Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas,
Quom nostris sycophantiis dolis astutiisque,
Scapularum confidentia, uirtute ulmorum spreta,
Aduorsum stetimus lamminas crucesque conpedesque
Neruos, catenas, carcerem, numellas, pedicas, boias
Inpactoresque acerrumos gnarosque nostri tergi.
[Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt]

---

542 freti 543 Qui aduorsum stimulos lamminas 544 carceris 545 Indoctoresq.

Eae nunc legiones copiae exercitusque eorum
Ui pugnando periuriis nostris fugae potiti.
Id uirtute huius conlegae meaque comitate
Factumst; qui me uir fortior [est] ad sufferundas plagas?

Leonida

Edepol uirtutis qui tuas nunc possis conlaudare,
Sicut ego possim, quae domi duellique male fecisti?
Ne illa edepol pro merito tuo memorari multa possunt,
Ubi fidentem fraudaueris, ubi ero infidelis fueris,
Ubi uerbis conceptis sciens lubenter periuraris,
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus,
Ubi saepe causam dixeris pendens aduorsus octo
Artutos audacis uiros, ualentis uirgatores.

Libanus

Fateor profecto ut praedicas, Leonida, esse uera;
Uerum edepol ne etiam tua quoque male facta iterari multa
Et uero possunt, ubi sciens fideli infidus fueris,
Ubi prensus in furto sies manufesto et uerberatus,
Ubi periuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
Ubi eris damno molestiae et dedecori saepe fueris,
Ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris,
Ubi amicae quam amico tuo fueris magis fidelis,
Ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo
Ualidos lictores ulmeis adfectos lentis uirgis.
Num male relatast gratia, ut conlegam conlaudaui?

Leonida

Ut meque teque maxume atque ingenio nostro decuit.

Libanus

Iam omitte ista atque hoc quod rogo responde.

Leonida

Rogita quod uis.

---

547 forum 548 eugae 550 sufferandas 558 Astutos 560 ni 562 et manifesto

Libanus

Argenti uiginti minas habesne?

Leonida

Hariolare.

Edepol senem Demaenetum lepidum fuisse nobis;
Ut adsimulabat Sauream me esse, quam facete!
Nimis aegre risum continui, ubi hospitem inclamauit,
Quod se*se* absente mihi fidem habere noluisset.
Ut memoriter me Sauream uocabat atriensem.

Libanus

Manedum.

Leonida

Quid est?

Libanus

Philaenium estne illaec, quae intus exit
Atque Argyrippus [una]?

Leonida

Opprime os; is est; subauscultemus.

Libanus

Lacrumantem lacinia tenet lacrumans; quidnam esse dicam?
Tacite auscultemus.

Leonida

Attatae! modo hercle in mentem uenit:
Nimis uellem habere perticam.

Libanus

Quoi rei?

Leonida

Qui uerberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.

---

574 quem 576 se 577 haec 581 Atate 582 Quo cui rei

ADULESCENS MERETRIX SERUI DUO.

Argyrippus

Cur me retentas?

Philaenium

Quia tui amans abeuntis egeo.

Argyrippus

Uale.

Philaenium

Aliquanto amplius ualerem, si hic maneres.

Argyrippus

Salue.

Philaenium

Saluere me iubes, quoi tu abiens offers morbum?

Argyrippus

Mater supremum mihi tua dixit; domum ire iussit.

Philaenium

Acerbum funus filiae faciet, si te carendumst.

Libanus

Homo hercle hinc exclusust foras.

Leonida

Ita res est.

Argyrippus

Mitte quaeso.

Philaenium

Quo nunc abis? quin tu hic manes?

Argyrippus

Nox si uoles manebo.

Libanus

Audin hunc opera ut largus est nocturna? Nunc enim esse
Negotiosum interdius uidelicet Solonem,
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat. Gerrae!

---

590 Mox 591 est 592 Negotiosus Solonem est

Qui sese parere adparent huius legibus, profecto
Numquam bonae frugi sient, dies noctisque potent.

Leonida

Ne iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit,
Qui nunc festinat atque ab hac minatur sese abire.

Libanus

Sermoni iam finem face tuo; huius sermonem accipiam.

Argyrippus

Uale.

Philaenium

Quo properas?

Argyrippus

Bene uale! apud Orcum te uidebo;
Nam equidem me iam quantum potest a uita abiudicabo.

Philaenium

Cur tu obsecro inmerito meo me morti dedere optas?

Argyrippus

Ego*n* te? quam si intellegam deficere uita, iam ipse
Uitam meam tibi largiar et de mea ad tuam addam.

Philaenium

Cur ergo minitaris tibi te uitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis faxis?
Mihi certum[st] ecficere in me omnia eadem quae tu in te faxis.

Argyrippus

O melle dulci dulcior.

Philaenium

Mihi certe enim tu uita's.
Conplectere.

Argyrippus

Facio lubens.

Philaenium

Utinam sic ecferamur.

---

602 Ego 607 dulce dulcior mihi tu es. PH. Certe enim tu uita es mihi

Leonida

O Libane, ut miser est homo qui amat.

Libanus

Immo hercle uero

Qui pendet multost miserior.

Leonida

Scio qui periclum feci.

Circumsistamus; alter hinc, hinc alter appellemus.

Libanus

Ere, salue. Sed num fumus est haec mulier quam amplexare?

Argyrippus

Quidum?

Libanus

Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogaui.

Argyrippus

Patronus qui uobis fuit futurus, perdidistis.

Libanus

Equidem hercle nullum perdidi, ideo quia numquam ullum habui.

Leonida

Philaenium, salue.

Philaenium

Dabunt di quae uelitis uobis.

Leonida

Noctem tuam et uini cadum uelim, si optata fiant.

Argyrippus

Uerbum caue faxis, uerbero.

Leonida

Tibi equidem, non mihi, opto.

Argyrippus

Tum tu igitur loquere quod lubet.

Leonida

Hunc hercle uerberare.

---

613 lacrimantis

Libanus

Quisnam istuc adcredat tibi, cinaede calamistrate?
Tun uerberes, qui pro cibo habeas te uerberari?

Argyrippus

Ut uostrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe,
Qui hodie numquam ad uesperum uiuam.

Libanus

Quapropter quaeso?

Argyrippus

Quia ego hanc amo et haec me amat; huic quod dem nusquam quicquamst;
Hinc med amantem ex aedibus deiecit huius mater.
Argenti uiginti minae me ad mortem adpulerunt,
Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit,
Ut hanc ne quoquam mitteret nisi ad se hunc annum totum.
Uidetin uiginti minae quid pollent quidue possunt?
Ille qui illas perdit saluos est; ego qui non perdo pereo.

Libanus

Iam dedit argentum?

Argyrippus

Non dedit.

Libanus

Bone animo es; ne formida.

Leonida

Secede huc, Libane; te uolo.

Libanus

Siquid uis.

Argyrippus

Obsecro uos,
Eadem istac opera suauiust conplexos fabulari.

Libanus

Non omnia eadem aeque omnibus, ere, suauia esse scito.
Uobis est suaue amantibus conplexos fabulari;

---

624 numquam   625 delegit   634 atque

Ego conplexum huius nihil moror, meum autem haec aspernatur;
Proinde istud facias ipse, quod faciamus nobis suades.

Argyrippus

Ego uero et quidem edepol lubens; interea, si uidetur,
Concedite istuc.

Leonida

Uin' erum deludi?

Libanus

Dignust sane.

Leonida

Uin faciam ut me Philaenium praesente hoc amplexetur?

Libanus

Cupio hercle.

Leonida

Sequere hac.

Argyrippus

Ecquid est salutis? satis locuti?

Leonida

Auscultate atque operam date et mea dicta deuorate.
Primum omnium seruos tuos nos esse non negamus;
Sed tibi si uiginti minae argenti proferentur,
Quo nos uocabis nomine?

Argyrippus

Libertos.

Leonida

Non patronos?

Argyrippus

Id potius.

Leonida

Uiginti minae hic insunt in crumina;
Has ego si uis tibi dabo.

Argyrippus

Di te seruassint semper,

---

639 Dignum est

Custos erilis, decus popli, thensaurus copiarum,
Salus interioris † hominis amorisque inperator.
Hic pone, hic istam conloca cruminam in collo plane.

Leonida

Nolo ego te, qui erus sis mihi, onus istuc sustinere.

Argyrippus

Quin tu labore liberas te atque istam inponis in me?

Leonida

Ego baiulabo, tu ut decet dominum ante me ito inanis.

Argyrippus

Quid nunc? Quid est? Quin tradis huc cruminam erum pressatum?

Leonida

Hanc, quoi daturus'*s* hanc, iube petere atque orare mecum;
Nam istuc procliuest, quo iubes me plane conlocare.

Philaenium

Da meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea uoluptas,
Leonida, argentum mihi; ne nos diiunge amantis.

Leonida

Dic me igitur tuum passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, haedillum me tuum dic esse uel uitellum;
Prehende auriculis, conpara labella cum labellis.

Argyrippus

Tene osculetur, uerbero?

Leonida

Quam uero indignum uisumst?
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.

Argyrippus

Quiduis egestas inperat; fricentur; dan quod oro?

Philaenium

Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti ero salutem;

---

654 pressatum erum 655 daturus 656 quod 657 animae 658 deiunge 659 igitur me 663 confringantur 664 dant

Redime istoc beneficio te ab hoc et tibi eme hunc isto
argento.

Leonida

Nimis bella's atque amabilis; et si hoc meum esset, hodie
Numquam me orares quin darem. Illum te orare meliust;
Illic hanc mihi seruandam dedit; i sane bella belle.
Cape hoc sis, Libane.

Argyrippus

Furcifer, etiam me delusisti?

Leonida

Numquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Age sis tu in partem nunc iam hunc delude atque amplexare hanc.

Libanus

Taceas, me spectes.

Argyrippus

Quin ad hunc, Philaenium, adgredimur,
Uirum quidem pol optumum et non similem furis huius?

Libanus

Inambulandumst; nunc mihi uicissim supplicabunt.

Argyrippus

Quaeso hercle, Libane, sis erum tuis factis sospitari,
Da mihi istas uiginti minas; uides me amantem egere.

Libanus

Uidebitur; factum uolo; redito huc conticinno.
Nunc istanc tantisper iube petere atque orare mecum.

Philaenium

Amandone exorarier uis te*d* an osculando?

Libanus

Enimuero utrumque.

Philaenium

Ego obsecro te, utrumque nostrum serua.

---

677 meam ante megere 679 istac 680 uiste 681 te et tu

Argyrippus

O Libane, mi patrone, mihi trade istuc; magis decorumst
Libertum potius quam patronum onus in uia portare.

Philaenium

Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris,
Amabo, faciam quod uoles; da istuc argentum nobis.

Libanus

Dic igitur me *tuam* aneticulam, columbam uel catellum,
Hirundinem, monerulam, passerculum putillum;
Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam,
Circumdato me bracchiis, meum collum circumplecte.

Argyrippus

Ten conplectatur, carnufex?

Libanus

Quam uero indignus uideor?
Ne istuc nequiquam dixeris tam indignum dictum in me,
Uehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speras.

Argyrippus

Tene ego ueham?

Libanus

Tun*e* hoc feras argentum aliter a me?

Argyrippus

Perii hercle; sin erum quidemst decorum uehere seruom,
Inscende.

Libanus

Sic isti solent superbi subdomari.
Asta igitur, ut consuetus es puer olim; scin ut dicam?
Hem, sic; abi, laudo, nec te equo magis est equos ullus sapiens.

Argyrippus

Inscende actutum.

---

686 me aniticulam 687 putillum passerculum 688 bestiam eduplicem 689 Circumdatorque 692 speres 693 Tun 694 si uerum quidem est decorum erum uehere 695 istuc 696 stin

Libanus

Ego fecero. Hem, quid istuc est? ut tu incedis?
Demam hercle iam de hordeo, tolutim ni badissas.

Argyrippus

Amabo, Libane, iam sat est.

Libanus

Numquam hercle hodie exorabis;
Nam iam calcari quadrupedo agitabo aduorsum cliuom,
Postea *te* ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.
Asta ut descendam nunc iam in procliui, quamquam nequam es.

Argyrippus

Quid? nunc quoniam ambo ut est lubitum nos delusistis,
Datisne argentum?

Libanus

Si quidem mihi statuam et aram statuis
Atque ut deo mihi hic inmolas bouem; nam ego tibi Salus sum.

Leonida

Etiam tu, ere, istunc amoues abs te atque ipsum me adgredere
Atque illa, sibi quae hic iusserat, mihi statuis supplicasque?

Argyrippus

Quem te deum autem nominem?

Leonida

Fortunam, atque Obsequentem.

Argyrippus

Iam istoc es melior.

Libanus

An quid est homini Salute melius?

Argyrippus

Licet laudem Fortunam tamen, ut ne Salutem culpem.

---

699 badizas 702 te *om.* 704 amabo ut 707 ipse 709 autem deum 710 est olim homini

Philaenium

Ecastor ambae sunt bonae.

Argyrippus

Sciam, ubi boni quid dederint.

Leonida

Opta id, quod ut contingat tibi uis.

Argyrippus

Quid, si optaro?

Leonida

Eueniet.

Argyrippus

Opto annum hunc perpetuum mihi huius operas.

Leonida

Inpetrasti.

Argyrippus

Ain uero?

Leonida

Certe inquam.

Libanus

Ad me ad*i* uicissim atque experire.
Exopta id, quod uis maxume tibi euenire; fiet.

Argyrippus

Quid ego aliud exoptem amplius nisi illud, quoius inopiast,
Uiginti argenti commodas minas, huius quas dem matri?

Libanus

Dabuntur; animo sis bono face; exoptata optingent.

Argyrippus

Ut consuere, homines Salus frustratur et Fortuna.

Leonida

Ego caput huic argento fui *tibi* hodie reperiundo.

Libanus

Ego pes fui.

---

715 ad uicissim 718 quasdam 721 huc tibi *om.*

Argyrippus

Quin nec caput nec pes sermoni adparet;
Nec quid dicatis nec me cur ludatis scire possum.

Leonida

Satis iam delusum censeo; nunc rem ut est eloquamur.
Animum, Argyrippe, aduorte sis: pater nos ferre hoc iussit
Argentum ad te.

Argyrippus

Ut tempore opportuneque attulistis.

Leonida

Hic inerunt uiginti minae bonae mala opera partae;
Has tibi nos pactis legibus dare iussit.

Argyrippus

Quid id est quaeso?

Leonida

Noctem huius et cenam ut sibi dares.

Argyrippus

Iube aduenire;
Meritissumo eius quae uolet faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos conpulit.

Libanus

Patierin, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum?

Argyrippus

Haec faciet facile ut patiar.
Leonida, curre obsecro; patrem huc orato ut ueniat.

Leonida

Iam dudumst intus.

Argyrippus

Hac quidem non uenit.

Leonida

Angiporto

---

722 necaput sermones 729 aduenire quæso 731—32 Nostros dispulsos conpulit. LEON. Hæc faciet facile ut patiar 733 hic

Illac per hortum circumit clam, ne quis se uideret
Huc ire familiarium; ne uxor resciscat metuit.
De argento si mater tua sciat, ut sit factum . .

Argyrippus

Heia,
Bene dicite.

Libanus

Ite intro cito.

Argyrippus

Ualete.

Leonida

Et uos amate.

DIABOLUS ADULESCENS. PARASITUS.

Diabolus

Agedum istum ostende quem conscripsti syngraphum
Inter me et amicam et lenam; leges perlege;
Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.

Parasitus

Horrescet faxo lena, leges quom audiet.

Diabolus

Age quaeso mihi hercle translege.

Parasitus

Audin?

Diabolus

Audio.

Parasitus

'Diabolus Glauci filius Clearetae
Lenae dedit dono argenti uiginti minas,
Philaenium ut secum esset noctis et dies
Hunc annum totum.'

---

735 nequisse uiderit 739 conscripsisti 744 clauci claearatæ

Diabolus

Neque cum quiquam alio quidem.

Parasitus

Addone?

Diabolus

Adde, et scribas uide plane et probe.

Parasitus

'Alienum hominem intro mittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum nominet
Aut quod illa amicae *suae* amatorem praedicet,
Fores occlusae omnibus sint nisi tibi;
In foribus scribat occupatam esse se.
Aut quod illa dicat peregre adlatam epistulam,
Ne epistula quidem ulla sit in aedibus
Nec cerata adeo tabula, et si qua inutilis
Pictura sit, eam uendat: ni in quadriduo
Abalienarit, quo ex argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit; conburas, si uelis,
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Uocet conuiuam neminem illa; tu uoces.
Ad eorum ne quem oculos adiciat suos;
Si quem alium aspexit, caeca continuo siet.
Tecum una postea aeque pocla potitet,
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas,
Ne illa minus aut plus quam tu sapiat.'

Diabolus

Satis placet.

Parasitus

'Suspiciones omnis ab se segreget,
Neque illaec ulli pede pedem homini premat,
Quom surgat, neque *quom* in lectum inscendat proxumum,
Neque quom descendat inde, det quoiquam manum.

748 Ade 750 neminem 751 amica amatorem *Post* 753 *legitur v. 732* 762 forum aditiat 769 quom *om.*

Spectandum ne quoi anulum det neque roget.
Talos ne quoiquam admoueat homini nisi tibi.
Quom iaciat, "te" ne dicat, nomen nominet.
Deam inuocet sibi quam lubebit propitiam,
Deum nullum; si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat; tu pro illa ores ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet nictet adnuat.
Post si lucerna extincta erit, nequid sui
Membri conmoueat quicquam in tenebris.'

Diabolus

Optum*um*st.
Ita scilicet facturam; uerum in cubiculo —
Deme istuc — equidem illam moueri gestio.
Nolo illam habere causam et uotitam dicere.

Parasitus

Scio, captiones metuis.

Diabolus

Uerum.

Parasitus

Ergo, ut iubes,
Tollam.

Diabolus

Quid ni?

Parasitus

Audi relicua.

Diabolus

Loquere; audio.

Parasitus

'Neque ullum uerbum faciat perplexabile
Neque ulla lingua sciat loqui nisi Attica.
Forte si tussire occepsit, ne sic tussiat,
Ut quoiquam linguam in tussiundo proserat.

---

773 iaceat 778 est 779 Optumst 782 habere illam 784 reliqua 785 perplexibile 787 sit

Quod illa autem simulet, quasi grauedo profluat,
Hoc ne sic faciat; tu labellum abstergeas
Potius quam quoiquam sauium faciat palam.
Nec mater lena ad uinum accedat interim,
Neque ulli uerbo male dicat; si dixerit,
Haec multa ei esto, uino uiginti dies
Ut careat.'

Diabolus

Pulcre scripsti; scitum syngraphum.

Parasitus

'Tum si coronas, serta, unguenta iusserit
Ancillam ferre Ueneri aut Cupidini,
Tuus seruos seruet, Uenerine eas det an uiro.
Si forte pure uelle habere dixerit,
Tot noctis reddat spurcas, quot pure habuerit.'
Haec sunt non nugae; non enim mortualia.

Diabolus

Placent profecto leges; sequere intro.

Parasitus

Sequor.

ADULESCENS ET PARASITUS. DV

Diabolus

Sequere hac. Egone haec patiar aut taceam? Emori
Me malim, quam haec non eius uxori indicem.
An tu apud amicam munus adulescentuli
Fungare, uxori excuses te et dicas senem?
Praeripias scortum amanti atque argentum obicias
Lenae? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendam potius me, quam tacita haec auferas.

---

795 scriptis 800 puras *In titulo* DVO 805 Ain 808 suppelles 809 Suspendas tacita tu hæc

Iam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu prope diem,
Nisi [quidem] illa ante occupassit te, ecfliges scio,
Luxuriae sumptus suppeditare ut possies.

Parasitus

Ego sic faciundum censeo: me honestiust
Quam te palam hanc rem facere, ne illa existumet
Amoris causa percitum id fecisse te
Magis quam sua causa.

Diabolus

At pol qui dixti rectius.
Tu ergo fac ut illi turbas, litis concias.
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare iam *pridem*, mone.

Parasitus

Ego istuc curabo.

Diabolus

At ego te opperiar domi.

ADULESCENS SENEX.

[Argyrippus

Age decumbamus sis, pater.

Demaenetus

Ut iusseris,
Mi gnate, ita fiet.

Argyrippus

Pueri, mensam adponite.]

Demaenetus

Numquidnam tibi molestumst, gnate mi, si haec nunc mecum adcubat?

---

810 probe 811 occupas site 819 iam emone 823 molestus est

Argyrippus

Pietas, pater, oculis dolorem prohibet; quamquam ego istanc amo,
Possum equidem inducere animum, ne aegre patiar, quia tecum adcubat.

Demaenetus

Decet uerecundum esse adulescentem, Argyrippe.

Argyrippus

Edepol, pater,
Merito tuo facere possum.

Demaenetus

Age ergo hoc agitemus conuiuium
Uino et sermone suaui; nolo ego metui, amari mauolo,
Mi gnate, me abs te.

Argyrippus

Pol ego utrumque facio, ut aequomst filium.

Demaenetus

Credam istuc, si esse te hilarum uidero.

Argyrippus

An tu esse me tristem putas?

Demaenetus

Putem ego quem uideam aeque esse maestum, quasi dies si dicta sit?

Argyrippus

Ne dixis istuc.

Demaenetus

Ne sic fueris; ilico ego non dixero.

Argyrippus

Hem, aspecta, rideo.

Demaenetus

Utinam male qui mihi uolunt sic rideant.

Argyrippus

Scio equidem quam ob rem me, pater, tu tristem credas nunc tibi:

---

828 ut 831 ut quasi ducta

Quia istaec est tecum; atque ego quidem hercle ut uerum tibi dicam, pater,
Ea res me male habet, at non eo quia tibi non cupiam quae uelis;
Uerum istam amo; aliam tecum esse equidem facile possum perpeti.

Demaenetus

At ego hanc uolo.

Argyrippus

Ergo sunt quae exoptas; mihi quae ego exopto, ea uolo.

Demaenetus

Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi
Cum hac annum ut esses atque amanti argenti feci copiam.

Argyrippus

Hem, istoc me facto tibi deuinxti.

Demaenetus

Quin te ergo hilarum das mihi?

MULIER PARASITUS SENEX ADULESCENS MERETRIX.

Artemona

Ain tu, meum uirum hic potare, obsecro, cum filio
Et ad amicam detulisse argenti uiginti minas,
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?

Parasitus

Neque diuini neque mihi humani posthac quicquam adcreduas,
Artemona, si huius rei me esse mendacem inueneris.

---

836 ac non eo quin 838 exoptem uolo 841 deuinxisti 842 mecum

Artemona

At scelesta ego praeter alios meum uirum *e*gregi*um* rata,
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.

Parasitus

At nunc dehinc scito illum ante omnis minumi mortalem preti,
Madidum, nihili, incontinentem atque osorem uxoris suae.

Artemona

Pol ni uera ista essent, numquam faceret ea, quae nunc facit.

Parasitus

Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus;
Uerum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una atque una amicam ductet decrepitus senex.

Artemona

Hoc ecastor est quod illic ad cenam cotidie
Ait sese ire ad Archidemum, Chaeream, Chaerestratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem;
Is apud scortum corruptelaest liberis, lustris studet.

Parasitus

Quin tu illum iubes ancillas rapere sublimem domum?

Artemona

Tace modo; ne illum ecastor miserum habebo.

Parasitus

Ego istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.

Artemona

Ego censeo
Eum † etiam hominem in senatu dare operam aut cluentibus;
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille foris opere faciundo lassus noctu aduenit;
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam corruptus porro suum corrupit filium.

---

847 uirum frugi rata 851 ista uera 855 ille it ad 857 dinian demostenen 858 corruptelæ et 864 opere foris

Parasitus

Sequere hac me modo; iam faxo ipsum hominem manufesto opprimas.

Artemona

Nihil ecastor est quod facere mauelim.

Parasitus

Manedum.

Artemona

Quid est?

Parasitus

Possis, si forte adcubantem tuum uirum conspexeris
Cum corona amplexum amicam, si uideas, cognoscere?

Artemona

Possum ecastor.

Parasitus

Em tibi hominem.

Artemona

Perii.

Parasitus

Paulisper mane;
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.

Argyrippus

Quid modi, pater, amplexando facies?

Demaenetus

Fateor, gnate mi . .

Argyrippus

Quid fatere?

Demaenetus

Me ex amore huius corruptum oppido.

Parasitus

Audin quid ait?

Artemona

Audio.

---

867 me *om.* 871 Hem 873 amplexandi

Demaenetus

Ego ne ut non domo uxori meae
Subripiam in deliciis pallam quam habet atque ad te deferam,
Non edepol conduci possum uita uxoris annua.

Parasitus

Censen tu illum hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?

Artemona

Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar atque insontis miseras cruciabam.

Argyrippus

Pater,
Iube dari uinum; iam dudum factumst quom primum bibi.

Demaenetus

Da, puere, ab summo; age, tu interibi ab infumo da sauium.

Artemona

Perii misera; ut osculatur carnufex, capuli decus.

Demaenetus

Edepol animam suauiorem aliquanto quam uxoris meae.

Philaenium

Dic amabo, an foetet anima uxoris tuae?

Demaenetus

Nauteam
Bibere malim, si necessum sit, quam illam oscularier.

Philaenium

Miser ecastor es.

Artemona

Ecastor dignus est.

Argyrippus

Quid ais, pater?
Ecquid matrem amas?

Demaenetus

Egone illam? Nunc amo, quia non adest.

---

880 cruciebam 881 dare 885 *legitur post 894.* 886 est 888—91 *leguntur post 885.*

Argyrippus

Quid, quom adest?

Demaenetus

Perisse cupio.

Parasitus

Amat homo hic te, ut praedicat.

Artemona

Ne illa ecastor faenerato funditat; nam si domum
Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissumum.
Ain tandem? Edepol ne tu istuc cum malo magno tuo
Dixisti in me. Sine; uenias modo domum, faxo ut scias
Quid pericli sit dotatae uxori uitium dicere.

Argyrippus

Iace, pater, talos, ut porro nos iaciamus.

Demaenetus

Maxume.
Te, Philaenium, mihi atque uxori mortem. — Hoc Ueneriumst.
Pueri, plaudite et mihi ob iactum cantharo mulsum date.

Artemona

Non queo durare.

Parasitus

Si non didicisti fulloniam,
Non mirandumst. In oculos inuadi nunc est optumum.

Artemona

Ego pol uiuam et tu istaec hodie cum tuo magno malo
Inuocasti.

Parasitus

Ecquis currit pollictorem arcessere?

Argyrippus

Mater, salue.

Artemona

Sat salutis.

---

890 ille 892—94 *leguntur post 887.* 895 iaceamus *Post* 897 *repetuntur 886—87.* 900 tuis hæc 901 Et quis

Parasitus

Mortuust Demaenetus.
Tempus est subducere hinc me; pulcre hoc gliscit proelium.
Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta ut uoluerit,
Atque interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant.
Poste demum hunc cras adducam ad lenam, ut uiginti minas
Ei det, in parte*m* hac amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari spero poterit ut sinat
Sese alternas cum illo noctis hac frui; nam ni inpetro,
Regem perdidi; ex amore tantumst homini incendium.

Artemona

Quid tibi hunc receptio ad test meum uirum?

Philaenium

Pol me quidem
Miseram odio enicauit.

Artemona

Surge amator, i domum.

Demaenetus

Nullus sum.

Artemona

Immo es, ne nega, omnium *hominum* pol nequissumus.
At etiam cubat cuculus. Surge amator, i domum.

Demaenetus

Uae mihi.

Artemona

Uera hariolare. Surge amator, i domum.

Demaenetus

Abscede ergo pau*lu*lum istuc.

Artemona

Surge amator, i domum.

Demaenetus

[Iam] obsecro, uxor.

---

903 est *om.* hic 906 huc 907 parte 912 enicabit 913 hominum *om.* 916 paulum

Artemona

Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo, quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.

Demaenetus

Totus perii.

Artemona

Quid tandem? Anima foetetne uxoris tuae?

Demaenetus

Myrram olet.

Artemona

Iam subripuisti pallam quam scorto dares?

Philaenium

Ecastor qui subrepturum pallam promisit tibi.

Demaenetus

Non taces?

Argyrippus

Ego dissuadebam, mater.

Artemona

Bellum filium.
Istoscine patrem aequom morest liberis largirier?
Nihilne te pudet?

Demaenetus

Pol si aliud nihil sit, tui me, uxor, pudet.

Artemona

Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit.

Demaenetus

Non licet manere — cena coquitur — dum cenem modo?

Artemona

Ecastor cenabis hodie, ut *te* dignumst, magnum malum.

Demaenetus

Male cubandumst; iudicatum me uxor abducit domum.

Argyrippus

Dicebam, pater, tibi ne matri consuleres male.

---

924 tume 926 ut dignum est 928 adducit

Philaenium
De palla memento, amabo.
Demaenetus
Iuben hanc hinc abscedere?
[Philaenium
Immo intus potius sequere hac me, mi anime.
Demaenetus
Ego uero sequor.]
Artemona
I domum.
Philaenium
Da sauium etiam prius quam abis.
Demaenetus
I in crucem.

GREX

Hic senex si quid clam uxorem suo animo fecit uolup,
Neque nouom neque mirum fecit nec secus quam alii solent.
Nec quisquamst tam ingenio duro nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quicque occasionis sit, sibi faciat bene.
Nunc si uoltis deprecari huic seni ne uapulet,
Remur inpetrari posse, plausum si clarum datis.

---

932 I domum *antecedenti versui adhærent.* abiis 933 uoluptatis 936 quaque 938 si plausum is

PROLEGOMENA.

I.

De Plauti poetæ nomine.

Plautus poeta, quem hoc uno nomine et nos appellare solemus et antiqui plerumque appellabant, quæ alia nomina habuerit, diu dubitatum est, nec sine causa. Nam in codicibus Plautinis nihil aliud præscriptum est quam „Plauti comœdiæ", eandemque simplicitatem antiquissimæ editiones secutæ sunt; sed quum viri docti ex Plinio et Festo integrum poetæ nomen sibi eruisse visi essent, primum ed. Saraceni (Venetiis 1499) et Pii (Mediolani 1500), deinde ceteræ M. Accium Plautum usurpabant; idque per tria sæcula et dimidium omnes editiones obtinuit, dum Ritschelius in palimpsesto Ambrosiano T. Maccium Plautum legi docuit, idque quum in Parergis Plautinis Terentianisque (1845) verum nomen esse probari studuisset, suæ editioni præposuit. Secuti sunt recentiores fere omnes. Adversatus est Geppertus in Jahnii Annalib. philol. et pædog. vol. supplement. XIX (1853) p. 262 sqq. et Vallaurius Taurinensis, quumque causam Ritschelii strenue egisset Martinus Hertzius primum in libello, qui inscribitur „T. Maccius Plautus oder M. Accius Plautus", deinde in Indice lectionum Vratislaviensium anni 1867—68, Geppertus denuo argumenta sua breviter exposuit in „Plautinische Studien" I, p. 11 sqq. (1870). Videamus igitur, quibus utraque sententia nitatur argumentis.

In epitome Festi, p. 239 M., hæc leguntur: „Ploti appellantur, qui sunt planis pedibus, unde et poeta Accius, quia Umber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea

Plautus est dictus". Ipsius Festi locus in cod. Farnesiano admodum lacer est: „.... Umbri pedibus planis .... us poeta, quia Umber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus cœptus est dici". Illud legimus, quod male omisit epitomator, Umbrorum fuisse hunc usum verbi quod est plotus; nomen poetæ periit, ut inde error epitomæ corrigi non possit. Sed errorem inesse manifestum est, nam Accius non est Plautus; ubi autem Accii nomen simpliciter dicitur, nemo non L. Accium celeberrimum tragœdiarum scriptorem intelligit; nec si Plautus eodem nomine fuisset, fieri potuit, quin grammatici antiqui hanc rem animadvertissent ac diserte monuissent, ne communitas nominis turbarum causa et occasio esset. Emendandi viam monstrabat Plinius, qui in primo Naturalis historiæ libro inter auctores librorum XIV, XV, XVIII „Maccium Plautum" nominat; sed non intelligebant viri docti, et, vel quia nomen minus notum offendebat, vel quia epitome Festi mentibus obversabatur, non Maccium, sed M. Accium legendum censebant. Qualis divisio quum per se non improbabilis sit, tamen iure animadversum est, Plinium nullum præterea auctorem tribus nominibus appellasse, sed paucos uno nomine, plerosque duobus, nec in codicibus ullum talis divisionis vestigium Detlefsenius invenit.

At nostra aetate novum accessisse testimonium dicitur, Frontonis, apud quem in Epistula ad M. Antoninum de orationibus (p. 131 Niebuhr, 162 Naber) hæc Maius legit: „... hoc genus uerborum Accius Plautus sanus ...." Ibi, aiunt, sine dubio extat id nomen, de quo ambigitur. Ritschelius quidem non iniuria animadvertit facile fieri potuisse, ut littera finalis vocis q. e. verborum initialem nominis Maccii hauriret; nam quod Geppertus obiicit, terminari versum in voc. „verborum", id tum demum valeret, si ipsius Frontonis manu codex scriptus esset. Sed ante omnia tenendum, ex lacunoso loco, cuius extrema vox *sanus* corrupta sit, definiri non posse, utrum de uno Plauto an de Accio et Plauto sermo fuerit, præsertim quum nulla causa cogitari possit, cur, qui in hoc opusculo semper Sallustium uno nomine appellet, Plautum duplici appellaverit.

Nihilo plus efficitur ex ambiguo Varronis loco L. L. VIII, 36: „Dissimile Plautus et Plautius et commune ut huius Plauti

et Marci Plauti". Nam coniecturam Mülleri „commune Lucii Plauti" iure improbavit Ritschelius p. 24 sq. Equidem locum sic intelligo: „Plautus et Plautius dissimilem casum rectum habent, communem genetivum, ut huius Plauti (i. e. poetæ, quem quum maxime tractamus) et Marci Plauti (i. e. M. Plautii Silvani, qui legem iudiciariam tulit anno 89). — Gravius corruptus alter Varronis locus est, VII, 104: „sueta frendice frunde et frutinni suauiter maccius in casina a fringuilla. Quid fringutis? quid istuc tam cupide petis?" Ubi quod olim legebatur „M. Accius in Casina", maiore iure „Maccius" legi poterat; sed ne hoc quidem recte, nam Varro semper Plautum appellat; quare etiam hoc loco, si poetæ nomen scriptum esset, legeremus „Plautus in Casina". Sed in nota fabula poetæ nomen indicare Varroni supervacuum visum est. Ut paulo ante (§ 103) post Pacuvii fragmentum legitur „in Aulularia", sic hoc quoque loco omissum est Plauti nomen, voc. sine dubio corruptum „maccius" cum antecedentibus iungendum est.

Apud Gellium III, 3, 9 hæc leguntur: „M. tamen Varro in libro de comœdiis Plautinis primo Accii verba hæc ponit: Nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Bœotia unquam fuit, neque adeo Agrœcus neque Commorientes w̄ accii titi". Extrema verba antiquiores sic emendaverant: „neque Commorientes, sed M. Aquilii"; Ritschelius: „neque Commorientes Macci Titi", ut his quoque verbis non veri poetæ nomen indicetur, sed tantum modo hæc quoque fabulæ Plauti esse negentur. Quod quamvis duram orationis formam reddat, nec repetitio illa eiusdem personæ alio nomine significatæ obscuritate careat, tamen propter facilitatem emendationis plerique amplexi sunt. Nos dubitamus, sed nec verborum ordinem obstare censemus, nam similiter Ennius locutus est apud Ciceron. Brut. 15: „Ore Cethegus Marcus Tuditano collega" et qui Pacuvii epitaphium scripsit apud Gell. I, 24, 4: „Hic sunt poetæ Pacuvi Marci sita Ossa", nec nomen ipsum Macci, quod aliis minimeque spernendis testimoniis Plauto uindicatur.

Horum gravissimum est, quod in palimpsesto Ambrosiano post Casinam legitur T MACCI PLAUTI CASINA EXPLICIT,

et post Epidicum MACCI PLAUTI EPIDICUS EXPLICIT. Geppertus quidem utroque loco M. Acci legit, T illud, quod in priore loco antepositum est, ex coronide (i. e. signo terminali) male intellecta ortum statuens, v. Plautinische Studien I, p. 11 sqq. cf. II, Vorwort p. IV. Nobis qui solus clare et diserte testis locutus est non temere spernendus videtur, præsertim quum in duobus ex prologis iis, qui brevi post poetæ mortem fabulis eius additi videntur, eiusdem nominis si non certa memoria, at vestigia admodum probabilia servata sint. Nam in Mercatore v. 9 sq. hæc sunt: „Græce hæc uocatur Emporos Philemonis, Eadem Latine Mercator Mactiti"; sic B; Mattici C; ed. pr. Martici; Pius „Marci Attii" emendabat, Ritschelius demum *Macci Titi*, tam leni mutatione, ut de veritate dubitare vix liceat. In Asinaria autem v. 11, ubi Codd. „Demophilus scripsit, Maccus uortit barbare", superiores editores Marcus scripserant, quod, quia innumeri in civitate Romana Marci fuerunt, ferri non potuit; post Ritschelium *Maccius* scribitur aut *Macius*, quod vel ideo præfero, quia Plauti ætate consonantes geminari non solebant. Eandem nominis formam ex titulo quodam Perusino, ubi est P. Macius Verus quidam filiusque P. Macius Iustus, attulit Ritschelius, Parerg. p. 38. Mattios quoque aut Matios si quis eosdem esse dicat, nec Ritschelium nec me repugnantem habebit. Teneat igitur Plautus nomen illud, quod et palimpsestus Ambrosianus et Plinii codices ei tribuunt.

II.

De Plauti comœdiis antiquo tempore actis et lectis.

Plautum Ennio aliquanto maiorem, Nævio minorem fuisse, senemque mortuum esse Catone censore, i. e. a. Chr. n. 184, Ciceroni credimus (Brut. 15, 60. Cat. mai. 14, 50). Sarsinæ in Umbria natum histrionibus adfuisse et Varro et alii tradiderant; quum in operis artificum scenicorum aliquid pecuniæ peperisset, mercaturæ studuisse, sed perditis omnibus, inopem

Romam rediisse vitæque sustentandæ causa ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, pistori operam suam locasse. In pistrino tres eum fabulas scripsisse — duarum nomina Gellius III, 3, 14 meminerat, Saturionem et Addictum — quæ quum placuissent, populi favore elatum liberaliter vivere potuisse magnumque fabularum numerum per multos annos docuisse. Quæ quamvis exaggerata esse possint, tamen in universum veri similitudine non carent. Fabulas docere iam secundi Punici belli tempore inceperat, si quidem Nævium, qui anno 204 mortuus esse dicitur, ut vivum commemorat in Milite, v. 213; nec multo ante mortem desiisse censemus, quippe quem senili ætate Truculentum et Pseudolum scripsisse Cicero testetur. Atque utinam extarent didascaliæ Plautinæ, quarum fide freti suum cuique fabulæ annum tribuere possemus! Sed numquam extitisse videntur. Nam Terentianis similes si Plautinarum fabularum didascaliæ fuissent, non tam incerta esset harum rerum omnium cognitio, nec de auctore ipso tam vehementer dubitassent antiqui. Quare si quæ postea editis fabulis additæ legebantur didascaliæ, eas necesse est addiderint primi editores, Stilo eiusque æquales grammatici. Eorum autem tanta religio fuit, ut non temere talia fingerent, sed tum demum litteris consignarent, si quid aliunde traditum se habere putarent, id quod perraro fieri potuit. Unum eius modi exemplum Pseudolus afferri posse videtur, cuius didascaliæ reliquiæ exiguæ admodum in palimpsesto Ambrosiano inventæ sunt. Quas si recte interpretatum est Ritschelii acumen (Parerg. Plautin. Ter. p. 283 sqq.), hanc fabulam Plautus docuit anno a. Chr. n. 191 ludis Megalesibus in dedicatione ædis Magnæ Matris habitis. Alteram didascaliam ad annum 200 pertinentem iam Maius in eodem codice legerat; accuratius edidit Ritschelius in Parergis p. 261. Eam Stichi esse Ritschelius suspicabatur, et huic fabulæ præposuit Fleckeisenius in editione; cautius ipse Ritschelius omisit, quippe quam ad Terentii Adelphos pertinere et nomen ipsum ostendat et exitus Hecyræ Terentianæ in aversa folii parte lectus a Gepperto (Ueber den Codex Ambrosianus p. 10); cuius fabulæ ætati quo errore quadraginta anni additi sint, nos divinare non possumus. Externis testimoniis destituti, quo tempore quæque fabula acta sit, indiciis

10

ex ipsarum fabularum stilo petitis quidam viri docti indagare conati sunt. Quæ omnia incertiora sunt, quam ut hoc quidem loco afferri debeant; in commentariis singularum fabularum fortasse unum et alterum commemorabitur.

Florebat illo tempore comœdia Romana Nævio, Plauto, Cæcilio, Terentio aliisque nova semper et egregia de Græco fonte derivantibus. Sed post Terentii mortem sive exhausto fonte sive deficiente haurientium opera per aliquod tempus nihil admodum novi proveniebat, quod favore populi et eruditorum laude dignum esset. Quare histriones veteres fabulas referre cœperunt, maxime Plauti, quas qui adulescentes spectaverant, grata memoria etiam tum tenebant, cuius rei luculentissimum testimonium extat Casinæ prologus, ubi hæc, quæ commemoravimus, copiose et lepide exponuntur. Nec verendum erat, ne illæ fabulæ non plerosque etiam novitate delectarent. Nam illo tempore Romani nondum litteris dediti erant, nec multa legebantur. Plauti comœdiæ scenæ, non cubiculo compositæ erant nec a librariis nitide descriptæ in tabernis apud forum prostabant, sed tenebant eas qui egerant histriones. Qui quum eas denuo referrent, nulla causa erat, cur non ea omitterent, quæ parum placitura putarent, ea adderent, quæ vel mutati temporis ratio vel ipsorum iudicium desiderare videretur. Prologorum plerosque eos addidisse apparet; alia quoque accessisse suspicamur, sed quæ quoque tempore addita sint, nos quidem diiudicare non possumus. Illud negari vix potest, non raro has fabulas additamentis tam ineptis et putide otiosis inquinatas esse, quæ nisi longo post Plauti mortem tempore addi non potuerint.

Verum si Plauti comœdiæ non legentium manibus tractabantur, at spectatorum memoria celebrabantur, nec deerant, qui eas ceteris omnibus præferrent. Sedigitus etiam, qui Cæcilio sive propter gravitatem sive propter argumenta (ut ait Varro apud Nonium p. 373) palmam tribuit, Plautum ceteros facile exsuperare ait (Gell. XV, 24); L. Stilo Musas Plautino sermone locuturas fuisse aiebat, si Latine loqui vellent (Quintil. X, 1, 99), nec nimia videbatur laus epigrammatis, quod M. Varro posuerat in libro de poetis primo:

Postquam est mortem aptus Plautus, comœdia luget,
Scena est deserta; dein Risus, Ludus Iocusque
Et numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt.

Quis non miretur Gellium (I, 24, 3), qui hoc epigramma ab ipso Plauto abiudicare non audeat? Immo eorum, qui proxime secuti sunt, hoc iudicium fuit. Quod quamvis Horatii aspernetur elegantia, tamen idem poeta proavos testatur et sales et numeros Plautinos laudasse (Ep. in Pis. 270) et fervorem animi impetumque omnia secum ferentem, quo Epicharmum æmulari videretur (Epist. II, 1, 58). Itaque quum exeunte secundo a. Chr. n. sæculo Romani curiosius litteris operam dare cœpissent et antiquiora non Græca solum, sed etiam sua scripta cognoscere cupissent, litterati homines Plauti quoque fabulas describendas et edendas curarunt. Hi quin religiosissime egerint, non est quod dubitemus, sed ab histrionibus, quos supra commemoravimus, non ab ipso Plauto fabulas accipiebant, nec ipsi tam sagaci iudicio erant, ut genuina ab additiciis secernere possent, præsertim quum sæpe artissime iuncta et intermixta essent. Illud suum esse putabant, ut omnia colligerent, iudicioque id maxime relictum esse, ut quæ Plauti fabulæ essent, quæ non essent, decernerent. Nam quum circiter centum et triginta fabulæ sub Plauti nomine ferrentur, eas non omnes illius esse facile animadversum est. Erroris causam M. Varro inde repetebat, „quod Plautius quidam fuisset poeta comœdiarum; cuius quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas, quum essent non a Plauto Plautinæ, sed a Plautio Plautianæ" (Gell. III, 3, 10); quod non incredibile est, si modo fuit aliquis poeta Plautius nomine. Quod autem ipsi Gellio „non dubium videtur, quin istæ, quæ scriptæ a Plauto non videntur et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractatæ et expolitæ sint ac propterea resipiant stilum Plautinum", id omnino abiiciendum; Plautus enim Græcorum fabulas, non Latinorum antiquorum in suum usum convertebat, stilique similitudo fieri potest ut eiusdem ætatis, non utique eiusdem poetæ indicium sit. Incertam rem fuisse, non est mirum, quam ab initio nemo admodum curasset, posteriores autem histrionum fere auctoritate nisam accepissent. Histriones

autem, ut fabulæ, quas acturi erant, populo placerent, quam splendidissimo nomine eas ornare solebant.

Itaque viri litterarum studiosi, L. Ælius Stilo, L. Accius, Volcatius Sedigitus, Claudius, Aurelius, Manilius, alii alios indices composuerant Plautinarum fabularum. L. Ælius quinque et viginti eius esse solas existimabat (Gell. l. l. § 12). Accius et alias multas fabulas, quæ Plauto adscribebantur, ab eo abiudicabat et Bœotiam, eaque nescio an illo auctore Aquilii esse dicebatur; sed M. Varro non dubitabat, quin Plauti esset, Gelliumque studiose adstipulantem habuit (§ 4). M. Varronis maxima in hac re auctoritas fuit; qui ut via et ratione procederet, primum „fabulas unam et viginti", ut ait Gellius § 3, „a ceteris segregavit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur"; deinde „quasdam etiam alias probavit adductus filo atque facetia sermonis Plauto congruentis, easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit". Earum unam Bœotiam Gellius nominat, ceteras ignoramus, et qui ex solis nominibus fabularum eas invenire conatus est, Ritschelius (Parerg. Plautin. Terent. p. 73 sqq.), nobis quidem oleum et operam perdidisse videtur. Nec quam rectum in hac re Varronis iudicium fuerit, nos iudicare possumus, qui nec illas fabulas nec Varronis quinque libros Quæstionum Plautinarum habemus. Illud apparet, quamvis probaverint eius iudicium posteriores, tamen eo solo contentos non fuisse vel potius eadem modestia usos esse; nam quæ postea sub Plauti nomine ferebantur fabulæ et vel a studiosis litterarum legebantur vel etiam, si quando veterem comœdiam mimo præferre placuerat, in scena agebantur, illæ erant XXI, quas Varro, quia omnium consensu probarentur, segregaverat; eæque in eius honorem Varronianæ appellatæ sunt. Harum corpus quamvis mutilum ad nos pervenit fabulis ad litterarum ordinem ordinatis. Fuit autem in ceterorum codicum archetypo hic ordo, quem nos quoque in edendo sequemur: Amphitryo, Asinaria, Aulularia, Bacchides, Captivi, Curculio, Casina, Cistellaria, Epidicus, Mostellaria, Menæchmi, Miles gloriosus, Mercator, Pseudolus, Pœnulus, Persa, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus, Vidularia. In Ambrosiano palimpsesto, ne fortuita commemorem,

intra M litteram ita variatur, ut hoc ordine se excipiant fabulæ: Mercator, Mostellaria, Miles, Menæchmi.

Quanto studio M. Varro et ceteros poetas scenicos et Plautum amplexus sit, tam ex titulis librorum, qui deperditi sunt, quam ex iis quæ extant de lingua Latina libris, constat, nec antiquitate solum, sed etiam ingenio poetæ eum delectatum esse apparet, quippe quem „in sermonibus" ceteros superare censeret (Non. p. 373). Cicero quoque quum duo posuisset iocandi genera (Off. 1, 29, 104), unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, huius exemplum ex Plauto petiit. Diversum Horatii iudicium fuit, qui et stultos appellat, qui versus et facetias eius mirentur, et personarum mores eum parum diligenter tueri dicit (Ep. in Pis. 270 sqq. Ep. II, 1, 170). Non multum dissentit Quintilianus, cui vix levem umbram Græcæ elegantiæ Romani comici consecuti esse videbantur (X, 1, 99). Hic vero quum spretis recentioribus Ciceronem imitandum esse docuisset, secuti sunt, quibus ne Cicero quidem ipse satis purus et elegans videretur. Hi antiquorum simplicitatem unice admirati Sallustium, Gracchum, Catonem etiam veteresque comicos æmulabantur, Plautum vero in deliciis habebant, qui Gellio quidem „verborum Latinorum elegantissimus" videtur et „homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps".

Eadem ætate vixisse videntur grammatici, qui argumenta fabularum versibus ad Plauti exemplar factis scripserunt. Hæc enim tam similia sunt periochis Vergilianis et Terentianis, quæ Sulpicium Apollinarem Carthaginiensem auctorem profitentur, ut non temere Ritschelius (Prolegg. Trinum. p. 317 sq.) horum quoque saltem alteram seriem eidem adtribuisse videatur. Nam ut Æneidis librorum singulorum argumenta senis hexametris, Terentianarum fabularum duodenis senariis, ita Plauti fabularum argumenta grammaticus quindenis senariis complexus est præter Amphitryonem, cuius periocha decem versuum est*). Sed horum

*) Huius discrepantiæ quæ causa sit, pro certo iudicare non possumus. Quod Ritschelius (p. 318 not.) suspicatur quinque versus intercidisse, minime credibile est, nam nihil desideratur.

argumentorum pleraque perierunt. Nam quum ab initio omnium fabularum fuisse videantur, hodie in Plautinis codicibus quattuor extant, Amphitryonis, Aululariæ, Militis, Mercatoris, in palimpsesto Ambrosiano Pseudoli argumentum servatum est et vestigia obscura argumenti in Persam (v. Ritsch. Parerg. p. 297). Altera autem periocharum series argumenta omnium fabularum continet, quæ extent quidem, nam Vidularia tota et Bacchidum initium periit. Eæ acrostichis scriptæ sunt, nec eiusdem auctoris atque illæ, quas nuper commemoravimus, esse videntur, nam et narratio minus felix et oratio asperior est. Uterque poeta antiquitatem sectatur, atque interdum, maxime acrostichorum scriptor, ipso Plauto antiquior evadit. Huc pertinet, quod versus parum iucundi etiam hiatibus abundant, quibus quum Plautus ipse modestius usus sit, argumentorum scriptor nusquam temperat. Nam quod Ritschelius (p. 319) inertiam illorum culpat, qui, quod in Plauto vix sint toleraturi, imputare tamen argumentis non vereantur, id nobis potius sanæ rationis esse videtur.

Proximis sæculis quum studia senescerent semperque exiliora fierent, antiquissimi quique scriptores omnino perierunt, ac ne Plautus quidem nisi raro legebatur, vel quia totum genus minus placebat, vel quia difficilior lectu videbatur. Venerabantur eum grammatici „quasi sacrum vetustate lucum“, et eruditionis causa glossas inde excerptas colligebant et interpretabantur; sed soli antiquiores ipsum Plautum noverant, ceteri antiquiorum fide nisi, quæ apud eos invenerant, exscribebant. Qua ratione fieri non potuit quin errores orerentur, sed universa res religiosissime agebatur. Hoc vel inde apparet, quod ne manifestos quidem librariorum errores corrigere audebant, velut Gellius I, 7, 11 „Plautus“ inquit „in Casina, quum de puella loqueretur, occisurum dixit, non occisuram“, idque dici potuisse aliis librariorum erroribus probare conatur. Multa huius generis exempla Nonius præbet, cui uni plus quam ceteris omnibus grammaticis crisis Plautina debet. Is sæpe librariorum errores pro vera antiquorum loquendi ratione venditat. Ex ingenti autem numero quem affert Plautinorum versuum quum alios habeat emendatius scriptos quam nostri codices, alios minus

emendate, interdum ea vel apertissimorum vitiorum societas est, ut fere idem Plauti contextus, quem nobis exhibent codex Palatino-Vaticanus ceterique, etiam Nonio obversatus esse videatur.

III.

De Plauti fabulis posteriore tempore descriptis et editis.

Criticam quam dicunt fabularum Plauti historiam Ritschelius in dissertationibus Museo Rhenano a. 1835 al. insertis, quas postea in Opusculorum vol. II repetiit, in Parergis, in Prolegomenis Trinummi tam accurate et copiose enarravit, ut fere nihil addi possit. Nobis vel legentium in usum, vel ut nostram in recensendo rationem explicemus, summa breviter percurrere liceat.

Primum confitendum est, Plautinas fabulas, quales ipse Plautus scripserit, restitui non posse, quippe quas ne Varro quidem aliter scriptas habuerit, quam ab histrionibus acceperat, qui a maioribus traditas etiam post Plauti mortem egerant. Aureo et argenteo litterarum Romanarum sæculis XXI illæ, quas Varro secreverat, fabulæ vulgo legebantur, scriptæ illæ quidem ea ratione, qua tum utebantur homines, non nullis tamen relictis antiquioris moris vestigiis; nec si vota facienda sunt, ultra progredi licet, quam ut illam speciem vel antiquorum testimoniis vel felici coniectura revocare contingat; sed longe abest. Atque utinam extaret integrum illud exemplar, cuius lacera fragmenta ex Ambrosiano codice palimpsesto eruta sunt, ut talem saltem legeremus Plautum, qualem Servius et Donatus legerant! nostrorum codicum fons vel archetypus et ætate inferior fuisse videtur*) et mature gravem iniuriam passus est.

*) *Calliopio,* quem Terentianas fabulas recensuisse constat, hanc quoque Plauti recensionem Ritschelius (Proleg. Trin. p. 41) tribuendam censebat, quia in cod. Ottoboniano eius nomen ante extremos Casinæ et Cistellariæ versus legitur; sed codicis anno 1468 scripti nulla auctoritas est, nec dubitari potest, quin illud

Extremæ fabulæ, Vidulariæ, titulus solus relictus est. Periit extrema Aululariæ et prior Bacchidum pars, atque adeo avulsis foliis, quibus Aululariæ ultima pars (a v. 820) et Bacchides scriptæ erant, ita ut Aululariæ versum 819 Captivi exciperent, quum postea inventa essent, quæ Bacchides præter initium continebant, ea non suo loco reposita sunt, sed ante Mostellariam, i. e. in principio secundi voluminis; nam propter amplitudinem corpus fabularum Plautinarum in duas partes divisum erat, quarum prior octo fabulas continebat vel, dum Bacchides suum locum obtinebant, novem, altera ceteros.

Renascentibus litteris in Italia prior tantum pars, octo fabulæ notæ erant. Earum non pauci, sed parum boni codices ferebantur, unde etiam typis excusæ sunt, v. Ritsch. Op. II p. 34 sq. Sed in Germania et ceterarum fabularum codices extabant et harum non paulo meliores. Eorum primus innotuit, quem tempore Basileensis concilii Nicolaus Trevirensis invenit, quem quum Ursinus cardinalis emisset Romæque describendum curasset, ex codicibus inde derivatis una cum prius notis Plauti fabulas XX ediderunt primum Merula (Venetiis 1472), tum Scutarius, Saracenus, Pius, Pylades, Aldus aliique Itali. Codicem ipsum Ursinianum Ritschelius (Proleg. Trin. p. 31) monstravit eum esse, qui hodie in Vaticana bibliotheca numero 3870 signatur (Ritschelii D). Continet Amphitryonem, Asinariam, Aululariam, Captivos usque ad v. 362, duodecim posteriores, codex membranaceus sæculo XII magnis litteris satis bene scriptus; sed meliora et uberiora subsidia etiam tum in Germania latebant. Hæc protulit Joachimus Camerarius (1552), qui duobus potissimum libris usus est, altero sæculi XI, ut videtur, quem ipse „veterem“ appellabat (Ritsch. B), qui omnes XX fabulas continebat, altero XII sæculi (Ritsch. C.), qui solas XII posteriores complectebatur, unde „decurtatum“ appellarunt. His subsidiis nixus Camerarius, vir subtilis ingenii, eum textum Plauti constituit, qui paucis mutatis usque ad nostrum sæculum duravit. Iisdem enim

---

nomen ex Terentii libris librarii aut viri docti alicuius coniectura eo sit illatum. Cf. Studemundii Festgruss aus Würzburg 1868, p. 39 sq.

codicibus, quum post Camerarii mortem in Palatinam bibliothecam pervenissent, et Pareus et Gruterus usi sunt, quorum ille a codicum testimonio nihil fere discedere ausus accuratius, quam illis temporibus fieri solebat, scripturas librorum enotavit, hic acerrimi adversarii partes agens per Taubmannum discipulum quidquid Pareus aut omiserat aut erraverat cum magno convicio correxit. Quo factum est, ut vel abhinc ducentos quinquaginta annos satis accurate, quid in optimis codicibus extaret, sciri potuerit; sed his solis credendum esse nondum intellectum erat, nec paratis satis utebantur editores. Neque hoc mirabitur, qui difficultatem operis consideraverit. Nam etiam optimi codices vitiis abundabant; sermo antiquus non admodum notus erat, res autem a Plauto commemoratæ magnam partem ignotæ. Ante omnia interprete opus erat, qui scriptoris verba et docte et sagaciter et dilucide enarraret. Talis extitit Dionysius Lambinus, vir et de aliis antiquis scriptoribus et de Plauto ita meritus, ut eum nemo facile superet. Eius copiis fere usi sunt, qui postea Plautum enarrare conati sunt, maxime Gronovius (1664), cuius editione usque ad nostrum sæculum ita contenti fuerunt homines, ut vulgo et textum eius et enarrationem sequerentur, utrumque nimis patienter.

Initio huius sæculi Bothius non nihil contulit ad textum constituendum, sed modo audacius modo minus constanter egit; Lindemanni industria intra paucas fabulas substitit, nec Weisii opera res multum promota videbatur, ita ut fuerint, qui, quum has fabulas mendose editas esse animadvertissent nec sine novis codicum subsidiis emendari posse putarent, quasi desperata re a Plauto omnino abstinendum ducerent. Animus philologis additus est, postquam Maius in Ambrosiano palimpsesto Plauti fragmenta invenit et quæ legerat edidit (1815). Statim apparebat rem magni momenti esse, ac si plura legi possent, spes orta est fore ut pristinus nitor scriptori male habito redderetur. Opus arduum aggressus est Fridericus Ritschelius, cuius diligentia et ingenio magni aliquid ac præclari effectum iri sperabatur. Sed Godofredi Hermanni discipulus, suo sæpe iudicio plus tribuens quam antiquorum testimoniis, dum et versus et sententias ad summum nitorem exigere conatur,

textum constituit non inelegantem illum quidem sed nec satis fidum, nec non sæpius a Plauti sermone et sensu alienum, et — quod maxime vituperandum — non verborum solum sed etiam versuum ordinem sæpe summa licentia mutantem. Obfuit viro doctissimo nimia sui fiducia; sed præterquam quod non pauca recte emendavit, hæc ei præter ceteros laus tribuenda est, quod studia languentia erexit Plautumque situ et oblivione laborantem tanto virorum doctorum certamini subiecit, ut sperare liceret has fabulas, quod diligentia et ingenio effici posset, aliquanto saniore formaädituras esse. Ritschelium secutus est Fleckeisenius, qui, quum eandem fere viam insisteret nec nimis longe a magistri vestigiis discederet, tamen non pauca laudabiliter correxit. Unus fere per aliquot annos Ritschelio adversatus est Geppertus, qui et ipse Ambrosianum palimpsestum diligenter tractaverat nec pauca, quæ Ritschelium fugerant, legerat. Sensim plures exorti sunt, qui vel propriis libris vel minoribus diariorum philologicorum dissertationibus Plauto emendando operam darent. Quorum quum alius alia conaretur, non raro studiose investigantibus inter errores vera via inventa est; sed nihil dum totum effectum est. Nec illorum, quos nominavi, editiones absolutæ sunt, nec ullo modo inter viros doctos de ratione operis convenit. Feliciorem speramus fore, qui novam Plauti recensionem promisit, Gulielmum Studemundium, quo nemo diligentius aut maiore cum fructu palimpsestum Ambrosianum tractavit. Atque utinam iam prodisset eius editio, ut omissis rei criticæ spinetis solo enarrandi opere lectores teneremus! Interim ne diu præparata res in incertum differatur, nostra ratione nostrisque copiis rem aggrediemur; sed criticam rem quam brevissime tractabimus, eos, qui plura et copiosiora optant, a Ritschelio et Studemundio petere iubentes.

Ac breviter tractari res potest. Nam in octo prioribus fabulis Plauti contextus ex uno codice vetere Camerarii (B) pendet, in duodecim posterioribus ex utroque (B et C). Si cui codici præter hos testimonium deferendum est, is erit Ursinianus (D); sed is in posterioribus fabulis fere geminus est codici C, in prioribus ita cum B consentit vel in levissimis rebus, velut vocibus perperam divisis, et in erroribus manifestis,

ut ex ipso cod. B descriptus possit videri; utut est, sine magna molestia testimoniis eius carere possumus. Idem confidentius etiam de codice musei Britannici octo priorum fabularum (Ritschelii I) affirmare possum. Qui quamvis antiquitate memorabilis sit, nam XI aut XII sæculo scriptus videtur, tamen nihil omnino novi offert præter errores, qui et ipsi ex eodem fonte (B) male derivato orti videntur. Quare eius scripturas, quamvis ante aliquot annos enotaverim, hic publicare inutile mihi visum est. Facilius etiam excusabitur, quod ceterorum codicum, qui multo recentiores sunt et fere XV sæculo scripti, scripturas non enotavi. Quorum quamvis unicus patronus extiterit Geppertus (Stud. Plaut. I, p. 89 sqq. al.) Italicam quandam Plauti recensionem laudans et Parisini codicis a se collati merita prædicans, nihil tamen attulit, quo dubitaremus, quin a cod. D originem trahant. Nam sicubi veriora præbent, hæc aut felici virorum doctorum coniectura inventa sunt aut ex grammaticorum, maxime Nonii et Prisciani, libris fluxerunt; pro testimonio esse non possunt.

Duobus, quos sequendos elegimus, codicibus tertius accedit palimpsestus Ambrosianus (Ritsch. A), cui, si integer extaret, vel propter antiquitatem — nam quinto post Christum natum sæculo scriptus videtur — primus omnium locus tribuendus erat; sed librarius, qui octavo fere sæculo aliarum membranarum inopia Plautini codicis foliis usus est, quibus Vetus Testamentum Latine versum scriberet, deleta antiqua scriptura, reliquias eius novis litteris crassissimo calamo ductis ita occultavit, ut perpauca hodie legi possint. Qua re quam pretiosum subsidium amissum sit, mutila, quæ extant, et incertæ lectionis fragmenta ostendunt; nam vel ex his et integri versus erui potuerunt, qui in ceteris codicibus exciderant, et errores emendati versusque rectius descripti sunt. Facile apparet hunc codicem nostris integriorem fuisse; sed illud quoque apparet, non eiusdem recensionis fuisse nec pro fonte ceterorum haberi posse; immo eius quoque errores interdum ceterorum testimonio convincuntur, nec semper grammaticorum ingenio tales emendationes deberi possunt.

Codicem, ut diximus, Maius invenit, qui pauca eius fragmenta nec optime lecta anno 1815 edidit. Tum Ritschelius codicem, quem diu et accurate tractaverat, in epistola ad Hermannum (1837, Opusc. II, p. 166 sqq.) descripsit et quæ inde enotaverat in novem fabulis a se editis publicavit. Quis miretur in tam difficili opera interdum erratum esse, aut plura ab aliis felicius erui potuisse? Hoc nomine non Ritschelius vituperandus est, sed illi laudandi. Schwarzmanni collationem, quæ ad Fleckeisenium pervenit, non novi, Geppertum laudabo, qui et in fabulis, quas edidit, palimpsesti scripturas protulit et Ritschelii convicio coactus a. 1847 libellum scripsit non inutilem „Ueber den Codex Ambrosianus und seinen Einfluss auf die Plautinische Kritik", et nuper in secundo fasciculo „Studiorum Plautinorum" (1871) alia non pauca eius testimonia attulit. Sed ceteris diligentius et felicius Gul. Studemund Ambrosianas schedas examinavit; qui postquam et in Hermæ vol. II et in programmate concilii philologici Wirceburgi a. 1868 habiti, in Annalibus philol. a. 1866, aliisque locis pretiosissima quæque ex illo thesauro protulit, integram totius codicis et accuratissimam editionem promittit. Ego quoque palimpsesti folia examinare incepi, sed valetudine opus imperfectum abrumpere coactus perpauca iis, quæ alii viderunt, addere possum. — Pertinent autem horum fragmentorum ad tres primas fabulas nullum; ne Curculionis quidem quidquam extat. Quæ ceterarum fabularum relicta sunt, enumeravit Geppert, Ueber d. Codex Ambr. p. 26 sq. Hoc autem ordine fabulæ scriptæ erant: Bacchides, Captivi, Casina, Cistellaria, Epidicus, Mercator, Mostellaria, Miles, Menæchmi, Trinummus, Truculentus, Vidularia, Persa, Pœnulus, Pseudolus, Rudens, Stichus, ita ut Trinummum, Truculentum, Vidulariam alieno loco positas esse appareat. Vidulariæ fragmenta Studemundius edidit in indice scholarum Gryphiswald. a. $18^{70}/_{71}$.

Codex uncialibus litteris admodum nitidis scriptus fuit. Versus plerique singulis lineis scripti sunt, nisi quod longiores interdum ita dividuntur, ut duas lineas occupent. Variati numeri fere ita indicantur, ut ante breviores versus latior, ante longiores augustior margo relinquatur. Personarum nomina nulla inveniuntur, sive spatia iis relicta numquam expleta sunt,

ive in miniatis litteris delendis felicior quam in atris spongia diluentis fuit. Verum hæc omnia, ut dixi, satis monstrabit, quum prodierit, Studemundii editio.

Codex vetus Camerarii (B), quem post eius mortem in Palatinam bibliothecam pervenisse diximus, inde in Vaticanam migravit, ubi etiamnunc servatur inter Palatinos n. 1615. Huius libri præter Pareanas et Gruterianas copias in novem fabulis Ritschelii collatione usus sum, in Truculento Spengelii, in ceteris mea. Membranaceus est formæ maximæ, sæculo XI scriptus, sed non eadem manu. Describendi opere inter plures diviso, quæ varii librarii scripserant, in unum collecta sunt. In principio libri Querulus additur, quam fabulam prosa oratione ad imitationem Aululariæ ultimo fere antiquitatis sæculo scriptam esse constat; Vidulariæ titulus solus extat. Codex utpote variis manibus scriptus quum interdum speciem præbeat admodum elegantem, plerumque magis lectu facilis quam pulchritudine insignis est. Modo laxe scriptus est, ut spatio non parcatur, modo presse et minutis litteris. In eiusmodi locis non raro fit, ut aut duo versus una linea comprehendantur, aut pagina in duas columnas dividatur, id quod v. c. in Rudente magnam partem fit. Ceterum versus plerumque accurate distinguuntur, ac si quando longior versus in proximam lineam transit, plerumque maiuscula littera rem indicat, nam omnes versus a maioribus litteris incipiunt. — Singulis scenis personarum nomina superscripta sunt rubris litteris. Hæc postea addita sunt, nec fortasse ab eodem librario; in Pœnuli quidem priore parte personarum nomina rubro colore scenis præscripta sunt, sed eadem iam antea librarius atramento scripserat poetæ verbis continuata, quasi et ipsa versus aut versus partes essent. Per ipsas scenas in primis fabulis personarum nomina rubro colore in margine scripta sunt, aut, ubi oratio in medio versu incipit, in eo spatio, quod librarius reliquerat; sed in longe plerisque fabulis eam rationem librarius secutus est, quæ vulgo, etiam in Terentii codicibus, in usu erat, ut singulis litteris personæ signarentur. Hæ quoque rubro, postquam cetera scripta erant, addebantur, nec priori librario aliud curandum erat, quam ut suis locis spatia vacua relinqueret. Quod eos non numquam aut omnino non fecisse aut

parum accurate servasse dolendum est; in nominibus autem vel nominum notis, quæ postea addebantur, maiores etiam et omissiones et turbæ inveniuntur, nec iis tantum auctoritatis tribuere possumus, quantum ipsis poetæ verbis, sed in hac re plus sibi critica ratio licere putabit*). Hæ notæ maximam partem Latinæ litteræ sunt et quidem ipsæ nominum initiales, in non nullis fabulis, ubi antiquior ratio accuratius servatur, Græcæ, quod etiam in Terentianis codicibus fit; velut in Pœnulo *A* Agorastocles, *B* Milphio, *Γ* Adelphasium, *Δ* Anterastilis, [*E* Lycus, *Z* Antamœnides], *H* Advocati, *Θ* Collabiscus, *K* Syncerastus, *X* Hanno, *N* Giddeneme; in Trinummo *A* Megaronides, *B* Callicles, *Δ* Philto, *E* Lysiteles, *Z* Lesbonicus, *Θ* Charmides, *K* Stasimus, *X* Sycophanta. Extrema fabularum verba, quibus poeta finem adesse significat plausumque precatur, extrema alphabeti littera *ω* notantur. Quarum litterarum etiam si in describendo una et altera minus accurate reddita est**), tamen facile apparet eam esse universam rationem, ut quæ prima incedit persona prima littera signetur, quæ sequitur, secunda etc. — Archetypi speciem librarius fideliter expressit. Si quid legere non poterat, spatium vacuum relinquebat, cuius rei maxime Casina et Rudens exempla præbent; quæ non intelligebat — eaque multa fuisse videntur — corrigere non conabatur, sed religiose describebat. Emendationum, quæ in codice inveniuntur, paucæ quædam ab eodem librario profectæ videntur, qui minio personarum notas addidit, pleraque multo posterioris ætatis sunt neque ullam testimonii vim habent. Maxime querendum est, quod interdum cultro emendator usus est et radendo aliam scripturam effecit; quod ubi factum est, nec qua manu correctio facta sit nec semper quid ab initio scriptum fuerit intelligitur.

Scribendi ratio, quam orthographiam dicimus, vulgaris est, sed aliqua remanent antiquitatis vestigia, et frequentiora quidem, quo longius progreditur librarius, velut initio plerumque *uerto*,

---

*) Cf. Ritschelii Præfat. Trinum. ed. alt. p. 48 sq.

**) Tali errore in Trinummo Philtoni fere *A*, non *Δ* nota additur, nec inde effici potest, quod censuit Ritschelius Proleg. Trin. ed. alt. p. 56, eundem histrionem Megaronidis et Philtonis partes egisse.

seruus, *cum*, *cuius*, *maximus*, postea non raro *uorto*, *seruos*, *quom*, *quoius*, *maxumus*, similia scribuntur; *est* plerumque plene scribitur, rarius *homost*, *opust*, *ratust*, similia; *es* prope constanter; *mihi* et *nihil* item; nam ubi $\overset{\text{i}}{\text{m}}$ scribitur, brevitatis hoc causa fit, non quia unam syllabam efficiat. Pro Græco υ aut y aut i ponitur, perraro u, quamvis hæc antiquior ratio fuisse videatur, eamque nos cum ceteris editoribus in Amphitruonis nomine propter argumentum acrostichis scriptum retinendam duximus. In æ et e scribendis summa inconstantia est, ut et e pro diphthongo inveniatur et æ pro simplici vocali, nec in assimilatione præpositionum maior constantia est. — Editori severiores leges imponuntur. Itaque nos quum in ceteris rebus hunc codicem ita sequendum duxerimus, ut quidquid ab eo discreparet nostra scriptura, in margine adnotaremus, in orthographia maiorem constantiæ rationem habuimus. Qua de re quum iam semel, in præfatione Captivorum a. 1869 edita, disputaverim, hic breviter declarare sufficiat eam me amplecti scribendi rationem, qua primo p. Chr. n. sæculo utebantur, paucis retentis antiquioris moris vestigiis. Itaque non solum *quom* scribo, sed etiam *quoius*, *quoi*, *uorto*, *seruos*, *maxumus*, nec in his rebus codicis discrepantiam enotavi; in *est*, ubi cum præcedenti syllaba coniungitur, vocalem omitto; secundæ personæ, *es*, quoniam minus certa ratio videbatur, antecedente altera vocali vocalem reliqui, antecedente s littera, apostrophæ signum posui. Y et z, ch et ph in Græcis vocibus retinui, ae et e suis quæque locis posui, ne in his quidem adscripta nisi perraro codicis discrepantia. *Mihi* et *nihil* plene scripsi lectoris arbitrio relinquens, utrum una an duabus syllabis legendum putet, id quod non semper pro certo diiudicari potest, quoniam non raro utrumque licebit. In assimilatione præpositionum id constanter tenui, ut ante duras consonantes non ob, sed op ponerem; ante s litteram b retinui; in ceteris plerisque consonantem non assimilavi, quamquam hic quidem vereor, ne non semper mihi constiterim. Codicis inconstantiam retinui in *iis* et *is* scribendis, ut et hoc pro dativo aut ablativo contracto inveniri possit, et illud metro iubente contrahi debeat; *ei* autem pro *i* (verbi eundi), quod interdum invenitur, v. ad Asin. 482, ne fallerentur lectores,

scribere nolui. *Cur* quoque ad communem morem scripsi, non qur aut quor, nisi ubi hoc aut ipsum cod. præbet, ut Mil. 1252, aut corrupta eius scriptura („quo“ Amph. 893) eo ducere videtur.

Codex alter Camerarii (C), quem Pareus decurtatum appellavit, quia duodecim tantum posteriores fabulas (i. e. Bacchides, Mostellariam cett.) continet, hodie Heidelbergæ servatur. Sæculo XII scriptus est in membranis formæ quadratæ litteris satis magnis. Ex eodem cum codice B fonte aut ex prorsus gemino fluxisse apparet, et, quamvis ætate inferior sit, non pauca habet præferenda. Versus, exceptis senariis, ac ne his quidem omnibus, non distinguit; nec personarum notæ inveniuntur. Initiales etiam scenarum litteræ, quæ rubro colore addendæ erant, quasi opere non absoluto desunt. Qualis codex sit, optime perspicitur ex „Plauti Truculento e codice Heidelbergensi expressa“, quam E. Schneider edidit Vratislaviæ 1834.

IV.

De prologis.

Prologi nomine Aristotelem novimus eam antiquarum fabularum partem significasse, quæ primum chori cantum antecederet. Hæc a ceteris fabulæ partibus (episodiis, exodo) non diversa erat, statimque ab initio personæ fabulæ, ut dramati conveniebat, inter se agebant et loquebantur nulla spectatorum ratione habita; quin comœdiæ scriptor si quid spectatoribus dicendum censebat, hoc non in fabulæ principio, sed in media fabula per *παράβασιν* facere solebat. Euripides primus, vel ubi in rebus versabatur minus notis aut aliter, quam ipse acturus erat, vulgo narratis, vel omnino quia ratione id fieri arbitrabatur, ea, quæ ante initium fabulæ acta esse spectatores novisse volebat, diserte narrare incepit, sive deo aliquo rerum omnium gnaro interprete usus, sive unam ex ipsius fabulæ personis omnem rem inde ab initio ordine narrantem introducens. Talis narratio senariis exhibita simplicibus parum tragica multis visa est; cui enim ignota est cavillatio Aristophanis in Ranis, v. 1200 sqq., qua

Euripidem in prologis adeo remotum esse arguit ab arte et gravitate tragica, ut fere in singulis versibus „ampullam perdidisse“ videretur? Comœdiæ alia condicio erat. Ab ea non abhorrebat pedestris narrandi ratio, et in fictis rebus et sæpe mirifice implicatis, quas spectatores per se nosse aut intelligere non possent, interdum magnam commoditatem habebat succincta argumenti narratio. Nec displicebat poetæ talis occasio populi alloquendi, si quid forte gravius per iocum admonere libuerat, qualia olim in parabasi dicebantur. Itaque interdum propriæ fabulæ anteposita est scena, qua aut una aliqua ex fabulæ personis aut deus aliquis aut ipsius poetæ nomine progressus histrio ad spectatores conversus argumentum fabulæ et si quæ alia libuit exponit. Hæc scena a reliqua fabula aliquantum diversa prologus usurpabatur, non quia ante primum canticum chori, qui iam nullus erat, sed quia ante ipsam fabulam pronuntiabatur. Huius generis prologos comœdiis Græcis mediæ et recentioris ætatis sæpe additos fuisse, quamvis ipsæ fabulæ perierint, tamen aliis documentis constat. Anaxandridis *Εὐσεβῶν* prologum Aristoteles commemorat Rhetor. III, 12, et quod apud Stobæum Flor. XLIII, 27 Heniochi „Urbium“ affertur fragmentum, prologi fuisse videtur. Menandri autem Hydriæ et Georgi prologos commemorat Quintilianus XI, 3, 91; ex Thaidis prologo Plutarchus de audiendis poetis 4 locum affert, ubi poeta ipse Musam alloqui videtur; ex Dardani s. Xenologi prologo Theon Progymn. 4, 9, ex Dyscoli prologo Harpocratio s. v. *Φυλή* locos affert; Luciano denique in Pseudologista 4 videbatur *παρακλητέος τῶν Μενάνδρου προλόγων εἷς, ὁ Ἔλεγχος, φίλος ἀληθείᾳ καὶ παρρησίᾳ θεός, οὐχ ὁ ἀσημότατος τῶν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαινόντων* (poetæ locum restituit Meineke, Com. fr. IV, p. 307 sq.). Philemonem porro noto Stobæi loco, Elog. physic. I, 31, *τῷ Ἀέρι* videmus prologi partes tribuisse; Diphili autem prologos quasi frigidos cavillabatur Gnathæna amica eius v. Athen. XIII, 43*), sicut nobis Latinorum prologorum qui extant pleraque frigere videntur.

*) In his magnam partem Dziatzkonem secutus sum, cuius et alia de prologis Plauti et Terentii scripta sunt et programma Lucerni a. 1866—67 editum: „Ueber die Plautinischen Prologe. Allgemeine Gesichtspunkte“.

Sed quum his documentis appareat, recentioribus Græcorum comœdiis sæpe prologos præmissos fuisse, tum minime necessarium fuit tale additamentum. Quod olim placuerat, ut spectator statim ab initio in medias res raperetur, id semper placebat; atque etiam, ubi argumentum implicatius poeta accurate spectatoribus explicare necesse habuerat, hoc interdum non in ipso principio fabulæ factum est, sed quum prima scena id propositum habuisset, ut personarum, quæ præcipuæ erant, ingenia et mores quam maxime dilucide spectatoribus ostenderentur, hac demum finita argumentum explicatum est. Fit hoc in Plauti Milite glorioso, cuius prima scena perridiculum militis et parasiti colloquium habet, secunda servum exhibet in enarrando argumento prologi partibus fungentem; fit in Cistellaria, ubi præmisso egregio colloquio puellarum diversi ingenii et lenæ tum demum Auxilium dea prologi more argumentum fabulæ exponit. Quorum utrumque quin ex Græcis exemplaribus fluxerit, non est quod dubitemus; quin præisse huic rationi quodam modo Euripidis Iphigeniam Aulidensem ab aliis animadversum est.

Menandrum et æquales eius secutus Plautus quoque prologi partes aut deo alicui tribuit, ut in Aulularia Lari familiari, in Rudente Arcturo, in Trinummo Luxuriæ cum filia Inopia, aut uni ex fabulæ personis, ut in Mercatore adulescenti, aut histrioni poêtæ nomine spectatores alloquenti, ut in Truculento; verum persæpe nullo prologo usus videtur. Sed placuisse Romanis spectatoribus videtur eius modi allocutio, qua favorem poeta sibi conciliare studeret et cum præsentibus festive colloqueretur et populo Romano bene precaretur. Sensim eo perducta est res, ut nulla fere fabula sine prologo ageretur. Terentium videmus, quamvis narrationes argumenti inutiles duceret, tamen prologis usum esse, ut spectatorum gratiam captaret et se ipse ab inimicis defenderet; soli Hecyræ, quum primum acta est, prologus defuit; et ceteris et huic ipsi, quum iterum et tertium relata est, prologi additi sunt. Hos autem prologos non una aliqua ex personis fabulæ nec deus omnium rerum gnarus pronuntiabat, sed histrio iuvenis fere speciem gerens (v. Ter. Heaut. 1) et ad hanc ipsam rem ornatus, v. Ter.

Hec. prolog. II: „Orator ad uos uenio ornatu prologi", i. e. oleæ ramum gerens, quod supplices decebat, qualem pictura expressum videre licet in Vaticano Terentii codice (v. Wieseler: Theatergebäude u. Denkmäler des Bühnenwesens X, 8).

Nec minus necessarii iis visi sunt prologi, qui mox deficientibus novis fabulis antiquas Plauti comœdias retulerunt. Cuius rei certissimum testimonium extat Casinæ prologus, ubi histrio postquam spectatores salvere iussit,

„Nos "inquit„ postquam populi rumore intelleximus,
Studiose expetere uos Plautinas fabulas,
Antiquam eius edidimus comœdiam,
Quam uos probastis, qui estis in senioribus;
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio".

Huic tam similis est Pœnuli prologus, Amphitruonis etiam, quem Mercurius Sosiæ personam gerens, et Captivorum, quem parasitus pronuntiat, ut eiusdem ætatis similisque originis esse appareat, Plautoque aut nihil aut perexigua eorum pars assignari posse videatur. Quem enim non offendunt vel frigidi ioci vel inutilis loquacitas horum prologorum? Noli igitur dubitare, quin eos recte Ritschelius (Parerg. Plautin. Terent. p. 180 sqq.) ad medium a. Chr. n. sæculum proximosque annos retulerit, quo tempore Casinæ prologus se ipse scriptum esse testatur, præsertim quum accurate examinanti historiam rei scenicæ apud Romanos huic demum ætati ea theatri species, quæ in his prologis commemoratur, convenire videatur. Si quidem anno a. Chr. n. 154 quum Cassius Longinus censor theatrum lapideum facere instituisset, hoc senatus Scipione Nasica auctore demoliendum censuit, et senatus consulto cautum est, ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet (Val. Max. II, 4, 2); quo factum est, ut populus aliquamdiu stans ludos spectaret, ut ait qui Livii librum XLVIII in epitomen contraxit, populus quidem, i. e. plebs, nam senatoribus iam a. 194 a. Chr. n. secretus a populo spectandi locus præbitus erat, ut ait Livius XXXIV, 54. Sed tam severa abstinentia non diu duravit, et post paucos annos ad exemplar Græcorum theatrorum non lapideis quidem, sed ligneis spectaculorum gradibus cavea complebatur. Nam nisi certi gradus spectatoribus

structi essent, non commemoraretur in Pœnuli prologo dissignator spectatores sessum ducens, non Amphitruonis prologus conquisitores fieri voluisset in singula subsellia theatralis ambitus cohibendi causa, non Ergasilus parasitus ultimos illos, qui sedendi locum non assecuti erant, aut tacere aut abire iussisset (Capt. 11).

Non orationis tantum colore aut rerum indicio, sed quasi suis ipsi verbis alii prologi se a Plauto abiudicandos esse testantur: Asinariæ dico prologum, qui histrionibus et conductoribus bene precatur, poetæ nihil optat, quippe qui iam mortuus esset, Menæchmorum, qui inter alias, quibus excellit, ineptias v. 3 „Adporto“ inquit „uobis Plautum lingua, non manu“, Pseudoli, cuius exitus solus extat: „Plautina longa fabula in scenam venit“.

Quod si integros prologos posteriore tempore ab histrionibus additos esse constat, quis miretur, si etiam eos, quos re vera Plautus reliquerat, iidem histriones novis additamentis interpolaverint? qualia in Mercatoris, in Truculenti, in Trinummi prologis prope manifesto deprehendere licet.

V.

De actibus.

Scenicæ antiquorum fabulæ vix umquam sine musica actæ sunt, sed alias alia modorum et cantus ratio fuit. Nam quum ab antiquissimis temporibus chori in deorum honorem cum saltatione cantassent, postea factum est, ut inter chori carmina prodiret histrio fabulam agens, sensimque aucto actorum numero ita crevit tragœdia et comœdia, ut non actores intervalla chori sed chorus actuum intervalla expleret, et qui ab initio omnia occupavisset, minor fabulæ pars fieret. Ab Euripidis autem et Agathonis tempore interdum chori carmina tam laxo atque adeo nullo vinculo cum argumento fabulæ coniuncta erant, ut ne pars quidem fabulæ viderentur, sed additamentum vix neces-

sarium. Talia ἐμβόλιμα et Aristotelem (Poetic. 18 extr.) improbasse novimus et Horatium, qui Art. poet. 193 sqq.: „Actoris" inquit „partes chorus officiumque virile Defendat, neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat et hæreat apte". Nec tamen choro carere tragœdia potuit, sed quem dudum comœdia abiecerat, eum gravior tragœdiæ ars retinebat, chorique carminibus actus fabulæ distinguebantur.

Nota est Horatii lex (Art. poet. 189 sq.): „Neve minor neu sit quinto productior actu Fabula, quæ posci vult et spectata reponi". Sed eam legem eamque divisionem antiquiores non noverant. Aristotelem si consulimus (Poet. 12), partes tragœdiæ hæ sunt: *πρόλογος*, *ἐπεισόδιον*, *ἔξοδος*, *χορικόν*. Pergit idem: *Ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου, ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν, ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος. Ἐπεισόδιον* autem et ipsum carminibus chori (*στασίμοις*) in partes dividebatur, sed numerum partium nulla lex finiebat; quot chori cantus et quot fabulæ partes, sive actus dicere malis, facturus esset, ex argumenti ratione poeta iudicabat. Interdum duobus choricis interpositis episodium tripertitum fit, ut accedentibus prologo et exodo quinque actus numerari possint, velut in Æschyleis Prometheo, Septem, Agamemnone, Choephoris, Eumenidibus, in Sophocleis Electra et Trachiniis, in Euripideis Hippolyto et Troadibus; sed non minus sæpe bipertito episodio quattuor actus fiunt, ut in Euripideis Supplicibus, Heraclidis, Iphigenia Taurica, Rheso; sæpe pluribus intercedentibus carminibus augetur actuum numerus, sicut sex tales actus Sophocles habet in Aiace et Oedipo utroque, Euripides in Alcesti, Iphigenia Aulidensi, Hecuba, Andromacha, Bacchidibus, Ione, Phœnissis, septem Sophocles in Antigona, Euripides in Medea et Hercule. Alexandriæ illa lex nata videtur, quæ unamquamque tragœdiam quinque actus habere iubet, ac si extarent illæ fabulæ, quas *Πλειὰς* Alexandrina reliquerat, in iis sine dubio accurate observatam legem inveniremus. Quæ solæ post hoc tempus ad nos pervenerunt tragœdiæ, Senecæ, numquam ab ea recedunt.

Varronis quidem et Ciceronis tempore hæc fabularum divisio vulgo recepta erat, et similitudinem inde ductam etiam ad alias res transferre solebant, velut Cicero Cat. mai. 2, 5: „extremum actum tamquam ab inerti poeta esse neglectum". 19, 70: „neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo in quocumque fuerit actu probetur, nec sapienti usque ad Plaudite veniendum est". Or. p. Marcello 9, 27: „Hæc igitur tibi reliqua pars est; hic restat actus; in hoc elaborandum est, ut rem publicam constituas". Lucceio autem quum persuadere cuperet, ut consulatus sui historiam separatim scriberet, Ep. V, 12, 6: „Secernas" inquit „hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum, habet enim varios actus mutationesque et consiliorum et temporum". Verr. II, 6, 18: „Etenim quis dubitare posset, quum istius in quæstura fugam et furtum recognosceret, quum in legatione oppidorum fanorumque spoliationes cogitaret, quum videret in foro latrocinia præturæ, qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset". Ep. ad Quintum I, 1, 16, 46: „ut hic tertius annus imperii tui tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur". Varro autem in partibus sive capitibus disputationum significandis eadem imagine utitur. Sic quum in primo de re rustica libro (cap. 5) Scrofa quattuor agriculturæ partes fecisset, postea (cap. 26) Agrius, cui longior oratio videbatur „Vereor" inquit „ne ante æditimus veniat huc, quam hic ad quartum actum". Ibid. II, 10 init. „Reliquum enim in hoc actu, quot et quod genus sint habendi pastores". III, 11 extr. „Quod ad villaticarum pastionum primum actum pertinere sum ratus, dixi".

Scripserat M. Varro de actionibus scenicis libros, quorum quintum laudat Charisius p. 95 K., tres solos Hieronymi catalogus agnoscit. Ibi enim sic legitur: „de actionibus scenicis III; de actis scenicis III". Horum posterius aut malæ antecedentium repetitioni (dittographiæ) debetur, aut pro *actis* scribendum est *actibus*, quod Ritschelio placuit. Quod si Varro re vera tantum opus de tam exigua re scripserit, hæc, nisi fallor, causa fuit, quod non satis habuit legem illam pronuntiare, ut argumentum fabulæ quinque actibus explicaretur, sed etiam antiquos poetas eam secutos esse arbitratus est, fabulasque eorum quamvis

maxime refragantes ad eam exigere conatus est, opus non arduum, sed vanum et inutile aggressus. Illud quoque affirmare ausim, eos, qui primi legem de quinque actibus proposuerunt, de tragœdia tantum cogitasse; nam ibi demum chorus remanebat, in comœdia pridem abolitus erat, nec ulla causa erat, cur actus separarentur, nisi forte uno aut altero loco argumenti ratio tale quid suadebat. Posteriores vero tam comœdias quam tragœdias in quinque actus describebant, velut M. Antoninus in extremo libri *εἰς ἑαυτὸν* capite „Quid quereris“ inquit „si te rerum natura ex hac vita dimittit *οἷον εἰ κωμῳδὸν ἀπολύει τῆς σκηνῆς ὁ παραλαβὼν στρατηγός*? tum respondentem facit comœdum: *Ἀλλ’ οὐκ εἶπον τὰ πέντε μέρη, ἀλλὰ τὰ τρία.*

Nolim equidem Euanthio credere, malo auctori (De tragœdia et comœdia p. XIV Klotz) Menandrum, quum choros prætermitteret, locum tamen iis reliquisse, Latinosque demum comicos ne hoc quidem fecisse. An credibile est, si ea lex Græcorum fuisset, eius nullum extare vestigium, non dico apud Plautum, sed ne apud Terentium quidem? Immo mirari licet iam Varronem illi legi tam addictum fuisse, ut etiam in Plauto et Terentio actus explicare conaretur. Quo in conatu non nulla satis prudenter animadvertit, velut quod docuit — ut Donati verbis utar in argumento Hecyræ extr. — „non esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero, quum hæc distributio in rerum descriptione, non in numero versuum, constituta sit“; ideoque „in eundem actum posse coniici et tres et quattuor scenas introeuntium et exeuntium personarum“ (Adelph. arg. extr.). Varronem Donatus secutus esse videtur in describendis fabularum actibus, quod quum in ceteris minus difficile visum esset, in Eunucho maius negotium creavit. „Actus“ inquit Donatus „implicatiores sunt in ea et qui non facile a parum doctis distingui possint, ideo quia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodam modo atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum ante aulæa sublata fastidiosus spectator exsurgat“. Num clarius dici potest, fabulam in actus divisam non fuisse? Neque ceteris examinatis Plauti et Terentii fabulis aliud invenietur. Nam si actuum termini ibi demum quæri pos-

sunt, ubi personæ omnes proscenium relinquunt, tales locos in plerisque fabulis tot inveniemus, ut eorum causa actuum numerus iusto maior futurus sit*); sed editores ex his locis quattuor eligere solent a ceteris nulla re diversos, eaque ratione fabulam in quinque actus distinguunt, quasi maius in istis locis intervallum sit aut esse debeat quam in ceteris, id quod sæpe contra est. Sed in nonnullis fabulis paucioribus etiam locis proscenium vacat, velut ter in Mostellaria (v. 80. 846. 1025), in Truculento (447. 635. 686), in Heautontimorumeno (410. 874. 1023), bis in Andria (301. 820), ut his fabulis summum quattuor et tres actus tribui possint. Quare abiecta putida illa subtilitate ingenue fateamur, Plauti et Terentii fabulas sine ulla actuum divisione uno tenore usque ad aulæa sublata peractas esse. Unum excipiendum est, ubi eadem persona, quæ proscenium reliquit, quasi interiecto temporis spatio iterum redit in proscenium. Fit hoc in Pseudolo eo loco, ubi editores primum actum terminant. Ibi servus callidus se aliquantisper intro concessurum dicit, ut fallacias struat, mox invento consilio, quod placeat, iterum redit. Quare pausa aliqua intercesserit necesse est, quam quo modo

*) Duabus tantum in fabulis quater hoc fit, ut facili negotio quinque actus describi possint, in Milite glorioso et in Pœnulo. His Cistellaria adiungi potest. si Auxilii orationem (146—199) non pro actu sed pro intervallo actuum habemus, et Amphitruo, si quidem Amphitruo fulmine perculsus (v. 1064) proscenium non relinquit. Quinque intervalla sunt in Casina (144. 492. 509. 708. 797), Epidico (167. 317. 378. 598. 656), Pseudolo (576. 772. 909. 1052. 1242), Trinummo (224. 601. 729. 820. 1115), Eunucho (391. 507. 539. 615. 817), Hecyra (198. 281. 516. 577. 799), in Phormione (153. 315. 567. 766. 820), nisi forte addito v. 893 sex intervalla numerare malis, in Curculione (215. 275. 371. 485. 532), si parabasin choragi (461—484) pro intervallo habemus. Sex habent Captivi (459. 496. 510. 761. 901. 915), Menæchmi (223. 436. 546. 688. 867. 1028), Persa (54. 168. 252. 330. 401. 751), Stichus (158. 403. 505. 638. 670. 679); septem Bacchides (106. 167. 364. 381. 521. 568. 917) et Asinaria (126. 246. 500. 540. 739. 804. 821), octo Aulularia (120. 275. 364. 390. 397. 577. 671. 690) et Mercator (221. 490. 535. 579. 658. 643. 791. 946), novem Adelphi (155. 288. 355. 517. 592. 610. 713. 787. 855), undecim Rudens (185. 290. 458. 485. 593. 892. 906. 1191. 1265. 1280). Prologos semper secrevi.

expleri voluerit poeta, ipse his verbis indicat (v. 575): „Tibicen vos interea hic delectaverit". Similes loci sunt in Asinaria v. 802, ubi Diabolus cum parasito in amicæ ædem intrant, sed mox, postquam rivales ibi conspexerunt, exeunt; in Cistellaria v. 458, ubi Melænis „Ibo domum" inquit „Atque ad parentes redducam Selenium", mox cum Selenio rediens sic orditur: „Rem elocuta sum tibi omnem; sequere me hac, Selenium"; in Heautontimorumeno, quo loco quintum actum ordiri solent, ubi Menedemus, qui nuper introiit (v. 873), iterum exit (874). In eiusmodi locis et fortasse etiam in aliis quibusdam, ubi longius temporis spatium intercessisse fingitur, tibicinis cantus histrionum actus interpellavit; sed paucissimis his locis exceptis dubitari non potest, quin, ut Donatus ait, non interrupta succedentium rerum continuatione tota fabula peracta sit. Quare in hac editione nec actuum divisio invenietur nec de dividendi ratione amplius disputabitur; tantum in superiore margine vulgata actuum et scenarum divisio indicabitur, ut loci ad hanc rationem citati inveniri possint.

VI.

De canticis et diverbiis.

Tibicinis partes non eæ solæ erant, ut scenarum intervalla, si opus erat, occuparet; ipsæ fabulæ magnam partem modis impletæ erant ét ad tibias canebantur. Testes sunt didascaliæ Terentianæ, quæ ad quamque fabulam indicant, quis modos fecerit et quo tibiarum genere acta sit. In Plauti fabulis nihil tale traditur, sed in codicibus Plautinis B et C passim servatæ sunt notæ ad hanc rem pertinentes, quæ in Terentii codicibus perierunt. Apud Donatum has iam antiquiores philologi commemoratas legerant. Donatus enim in Adelphorum præfatione: „Sæpe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit, quod significat titulus scenæ habens subiectas litteras M. M. C. Item diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quæ signifi-

cantur D et V litteris secundum personarum nomina præscriptis in eo loco, ubi incipit scena". Sed hæc nec recte edebantur — ac manent etiam nunc corruptelæ, ut in voc. „crebro" — nec satis ea animadverterant viri docti, donec Plautinis codicibus accuratius collatis ibi quoque similes notæ apparuerunt, C et DV. Quas quum primum Geppertus in Studiis Plautinis I vario modo explicare conatus esset, mox et Th. Bergkius in Philologo XXXI, p. 229 sqq. et Ritschelius in Mus. Rhen. nov. XXVII, p. 599 sqq. et nos quoque inter privatos parietes canticum et diverbium interpretati sumus*).

Has enim duas fabularum partes antiqui distinguere solebant. Primum Livius VII, 2, Andronicum illum Livium narrans „quum sæpius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde" inquit „ad manum cantari histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta". Qui mos quam diu obtinuerit, ignoramus; ad comœdiam quidem numquam traductus videtur, cuius cantica — nisi forte difficillima quædam excipere velis — ipse histrio cantasse censendus est, si quidem Roscius ille, Ciceronis familiaris, ne in senectute quidem aliud mutavit, quam ut numeros cantus remissiores et tibicinis modos tardiores faceret (Cic. Leg. I, 4, 11; de Orat. I, 60, 254). Deinde Diomedes p. 491 K.: „Membra comœdiarum sunt tria, diverbium, canticum, chorus. Diverbia sunt partes comœdiarum, in quibus diversorum personæ versantur; personæ autem diverbiorum aut duæ aut tres aut raro quattuor esse debent; ultra augere numerum non licet; in canticis autem una tantum esse debet persona . . . . Latinæ comœdiæ chorum non habent, sed duobus membris tantum con-

*) De ratione compendii DV ne quis dubitet, videat Ritsch. l. l. p. 606. De forma nominis dubitatum est, quoniam persæpe in codicibus *deverbium* legitur, non *diverbium*. Illud Dziatzko defendit (Mus. Rhen. XXVI, p. 97. Annal. philol. CIII, p. 819 sqq.), Græcum καταλέγειν Romanos simili adhibita præpositione reddidisse arbitratus; hoc plerisque a Latini sermonis natura minus abhorrere visum est; Bergkio l. l. p. 231 diverbium non addita præpositione *dis* ortum, sed ab initio *duiuerbium* fuisse videtur.

stant, diverbio et cantico". Tum Donatus et eo loco, quem laudavimus et aliis, in fragmento autem de tragœdia et comœdia: „Diverbia histriones pronuntiabant; cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicæ factis; neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis" *). Ex quibus locis id quidem apparet, quod in ipsis verbis inest, pronuntiari diverbia, cantica cantari, sèd quænam cuique generi scenæ tribuendæ sint, non apparet. Nam quod Diomedes canticum unius, diverbium plurium personarum esse dicit, id plerumque ita est, semper non est. Veriora Marius Victorinus p. 2524 P., qui de clausulis „Solent" inquit „in canticis magis quam diverbiis, quæ magis ex trimetro subsistunt, collocari". Iure igitur senarios iambicos pronuntiata, non cantata esse consensus virorum doctorum statuebat; sed canticorum nomine ea sola comprehendebant, quæ aut systematis modo decurrebant aut variis versibus mixta speciem a continuitate sermonis maxime abhorrentem præbebant. Examinatis vero signis iis, quæ supra commemoravimus, apparuit non solum octonarios iambicos trochaicosque et quæ creticis aut anapæstis aut variis pedibus composita sunt, sed etiam septenarios trochaicos et iambicos cantica fuisse. Magno opere optandum fuit, ut in omnibus scenis servatus esset titulus modorum genus indicans; sed quum pauca ex multis relicta sint**), tam constans apparet horum signorum usus, ut de universa re dubitari non possit. Primum diverbia pleraque colloquia esse videmus duarum aut plurium personarum, sed nonnumquam etiam soliloquia; rursus cantica plerumque illa quidem unius personæ sunt, sed non semper. Deinde ad metra quod attinet, nota DV solis fere senariis superponitur; vid. Asin. 803. Casin. 708. 729. Cist. 373. Merc. 268. Pseud. 394. 415. 772. 795. 1020. 1039. Pœnul. 618. 714. 749.

*) Quæ sequuntur, corrupta sunt: „Ut significant, qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius". Ritsch. l. l. p. 635 pro numeris *notas* positas fuisse censet significataque esse M. M. C.

**) In Pseudolo duodecies talis titulus invenitur, in Trinummo totidem, in Pœnulo undecies, in Truculento novies, in ceteris omnibus vix sæpius quam duodecies.

953. 964. 1123. Trinum. 402. 729. 998. Trucul. 22. 321. 351. 619. 657; altera nota C trochaicis septenariis superponitur his locis: Merc. 460. Pseud. 671. 698. 961. 1234. Pœn. 507. 581. 826. Trin. 602. 627. 1008. 1125. Trucul. 687. 762*), octonariis vel iambicis vel trochaicis his locis: Epid. 181. Pœn. 820. Pseud. 132. 909. Trin. 820, anapæstis Cist. 200. Pœn. 1177. Trin. 1115, creticis bacchiacisque Trin. 276. Trucul. 211. 548. In tanto consensu dubitari non potest, quin perpauci illi loci, ubi aliter ponuntur notæ, vitium contraxerint, præsertim quum in duobus error manifestus sit; nam in Epid. 167 SENES DV legendum est „senes duo", in Casin. 747 hymenæus ad tibicinem cantatur, ut appareat, non DV sed C scribendum fuisse; relinquuntur Capt. 459 et Epid. 105, ubi DV trochaicis septenariis, Trin. 1093, ubi C senariis iambicis superponitur**). His solis locis permoveri non debemus, ut aut senarios cantatos aut septenarios non cantatos esse statuamus. Accedunt alia testimonia certissima. Nam in Aristophanis Pace v. 324 sqq. ad trochaicos tetrametros saltatur vehementissime; nec alio ducunt Xenoph. Symp. 6, 3: *ὥσπερ Νικόστρατος ὁ ὑποκριτὴς τετράμετρα πρὸς τὸν αὐλὸν κατέλεγεν*, Cic. Tuscul. I, 44, 107: „quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam", aut quod Plauti et Terentii fabulæ pleræque omnes trochaicis septenariis finiuntur***); nam ut apud Aristophanem saltando, ita apud Romanos cantando fabula terminatur. Si quid ab illa regula recedendum est, potius senarios crediderim cantari potuisse quam septenarios non cantari; nam apud Plutarchum de Musica 28, 5 (p. 1141) legimus: *τῶν ἰαμβείων τὸ τὰ μὲν λέγεσθαι παρὰ*

---

*) Pers. 471 non numero, quia in solo codice D nota extat, cui minus tribuo auctoritatis.

**) Men. 559 in cod. D bacchiacæ scenæ superponitur DV, in C et B nihil. In Pseud. 3: P PSEVDOLVS C CALYDORVS litteræ P et C personarum notæ sunt; ib. 795: BALLIO LENO C COCVS PVER DV littera C ex dittographia orta videtur.

***) Senariis scripti sunt exitus alteri Andriæ et Pœnuli, qui vel ea de causa spurii habendi sunt. Alios cantici modos poeta in Pseudolo et in Sticho prætulit, nam creticis illa, hæc iambicis septenariis terminatur.

τὴν κροῦσιν, τὰ δ' ᾄδεσθαι, Ἀρχίλοχόν φασι καταδεῖξαι, εἶθ' οὕτω χρήσασθαι τοὺς τραγικοὺς ποιητάς. Sed ad tragœdias hoc pertineat; Trinummi quidem scena cui C superscriptum est (v. 1093 sqq.) a ceteris diverbiis nihil omnino differt.

Notus est Horatii versus (Art. poet. 155), quo eum fabulæ finem esse significat, ubi „cantor „Vos plaudite“ dicat“. Dubitatum est, utrum hic cantor ut ille, quo Livius Andronicus usus est, ab histrione diversus fuerit, an ipse histrio sic appelletur. Et interdum quidem vox „Plaudite“ cum antecedentibus tam arte cohæret, ut inde divelli non possit ac manifestum sit ab eadem persona pronuntiatam esse, quæ extrema fabulæ agat, ut in Pseudolo, in Mercatore, ac nisi fallor in Truculento et Sticho; sed sæpius alteri tribuenda videtur. Plautus enim non raro eum fabulæ exitum facit, ut pluribus versibus spectatores alloquatur iisque fabulam commendet. Eiusmodi versibus superscribitur in Asinaria „Grex“, in Captivis et Cistellaria „Caterva“, in Epidico „Poeta“; in Bacchidibus titulus interiit. Terentius sola voce „Plaudite“ spectatores alloquitur. Ei in codicibus anteponitur ω, i. e. extrema persona, quem cantorem fuisse ab histrionibus diversum vulgo statuunt. Plautini codd. in sola Trinummo hanc notam servarunt; in ceteris, quarum similis ratio est, Curculione, Milite, Pœnulo, Rudente, excidit, nec minus excidisse videtur, ubi integro versu spectatores compellantur, in Amphitruone, Mostellaria, Menæchmis, Persa. Nos notam posuimus finem fabulæ indicantem, libero relicto legentibus, utrum histrionem an cantorem ab histrione diversum hæc cantasse velint.

Cantica autem apud Romanos aliquanto plus loci occupant quam in Græcorum comœdia recentiore. Nam Menandri et æqualium fabulæ maximam partem trimetris compositæ erant, apud Plautum alia numerorum genera adeo prævalent, ut in plerisque fabulis senarii vix quartam fabulæ partem expleant; Terentius pressius Menandri vestigia secutus fere dimidiam fabulæ partem senariis tribuere solet. Nec minoris artis erat diverbia bene pronuntiare quam cantica cantare. Testis est posterior ætas, quæ hac maxime in re actores comœdiarum admirabatur eorumque discipulos etiam oratores esse volebant, v.

Quintil. I, 11. Nam „actores comici“ ut ait idem Quintilianus II, 10, 13 „neque ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod esset sine arte, neque procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio, sed morem communis sermonis decore quodam scenico exornant“.

VII.

De metris.

Metra Plautus imitatus est Græcorum poetarum, quorum fabulas Latine vertit, sed vel quia leges artis non ab omni parte accurate perspexerat, vel quia Latina lingua nondum satis versibus tractata difficiliorem ei reddebat operam, non nihil ab arte Græcorum differt. Sensim et per multas hominum ætates lingua ad eam elegantiam facilitatemque metricam exculta est, quæ in Ovidii versibus perspicitur. Plautus inter primos fundamenta iecit; secuti sunt Ennius aliique, non aliam illi viam ingressi, sed eandem, nisi quod antiquissimi quique plura sibi licere putarunt et propter linguæ condicionem putare coacti sunt; quæ licentia Romanos cultioris ætatis non paulum offendit, grammaticos autem ad Augustei sæculi leges rem metricam exigentes interdum maxime turbavit. Quare ut in sermone Plauti, quamvis tanta eius gratia sit, ut Musas, si Latine locutæ essent, eo usuras fuisse Aelius ille Stilo dixerit, tamen hic illic asperitatem quandam apparere fatemur, ita in re metrica, quamvis sæpe gratiam singularem et elegantem versuum decursum admiremur, tamen nostrum non est negare permulta durius prolata et artis parum excultæ testimonia esse, nec præstantissimos sermonis Latini artifices atque adeo omnes omnino, qui hæc commemorarunt, inique iudicasse censemus, quod Plautum non omni nota exemptum existimarunt. Sic enim Horatius Art. poet. 270 sqq.: „At vestri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales, nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto Legiti-

mumque sonum digitis callemus et aure". Cicero autem (Orat. 55, 183) comicorum senarios propter similitudinem sermonis sic sæpe abiectos esse dicit, ut non numquam vix in iis numerus et versus intelligi possit. Neque antiquorum quisquam hoc non videbat, sed posteriorum grammaticorum partim nimii antiquitatis admiratores censebant eos metra non inscitia, sed arte vitiasse, ut ait Terentianus Maurus v. 2237, partim omnino negabant esse in Terentii comœdiis metra (v. Priscian. p. 1319 P. = II, 418 K.), ut alii probandum testimoniis antiquorum putarent „mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti ac ceterorum comicorum et tragicorum" (Rufin. de metris p. 1713 P.). Hodie nemo dubitat, quin Plautus omnia versibus scripserit; immo multi huic uni rei intenti alia omnia negligere videntur; sed de ratione numerorum et de artis legibus nondum satis inter viros doctos convenit. Quæ discrepantia quoniam non tam ex singularum rerum observatione quam ex generali de metris iudicio oritur, ante quam singula metra tractamus, de communi versuum et numerorum ratione breviter disserendum videtur, quamquam nihil fere aliud habeo, quam quod Madvigius dudum, vel in grammatica Latina, summatim exposuit.

Numerus igitur pedibus distinguitur, pes autem syllabis constat variæ mensuræ simplici ratione et certo ordine copulatis. Errarunt et qui ex una syllaba pedem constare posse putarunt et qui ex paribus; nam qui ex solis brevibus aut solis longis constare dicuntur, tribrachys, spondeus, proceleusmaticus, molossus, proprie non pedes sunt, sed pro pedibus eiusdem mensuræ substituuntur. Metiendi autem hæc lex est, ut una syllaba longa duas breves æquet, vel ut longa duorum temporum, brevis unius sit (Quintil. IX, 4, 47). Ab hac lege in re metrica non disceditur, nec versus syllabas novit longis longiores aut brevibus breviores aut medias inter utrasque; quæ enim in nuda musica fieri potest sonorum productio et correptio, ea ab sermonis simplicitate abhorret*). Quid sibi in hac re

*) Recte Marius Victorinus I, 8: „Musici non omnes inter se longas aut breves pari mensura consistere, si quidem et brevi breviorem et longa longiorem dicunt posse syllabam fieri; metrici autem,

lyrici indulserint, aliis investigandum relinquimus; scenicos poetas a tali licentia abstinuisse persuasum est nobis.

Pedum cum Quintiliano IX, 4, 46 sq. tria genera facimus, par, quod ex una longa et duabus brevibus constat (dactylus et anapæstus), duplex, quod ex brevi et longa (iambus et trochæus), sescuplex „ut pæon, quum sit ex longa et tribus brevibus, quique ei contrarius, ex tribus brevibus et longa", i. e. pæon primus et quartus; nam quos secundum et tertium appellarunt, omnino abiicimus. Repetito eodem pede aut variis pedibus apte compositis varia rhythmorum genera existunt, quæ, si modico ambitu comprehensa iterantur, versus, si maiore, strophæ dicuntur; sed tam versui quam strophæ suus ambitus est certusque finis, quem voces egredi non debent. Finito ambitu pausa quædam fit; quo efficitur, ut extrema syllaba tam brevis quam longa esse possit. Plerumque autem versus non integro pede terminatur sed mutilo, ut tali exitu — *κατάληξιν* dicebant — seriem similium pedum interruptam esse appareat. Si autem eorundem pedum series per longius spatium continuatur, neque id agitur, ut ei altera series accurate respondeat, systema dicimus. Hæc quoque ubi terminantur, integri pedes esse non solent, sed quasi exhaustis viribus numeri subsidunt; eæ clausulæ appellantur.

Iustum pedum numerum et æqualem incessum saltantes gradibus, sedentes pede aut pollice æqualiter moto exigebant, ut singuli gradus aut singuli pedis pollicisve ictus singulis versus pedibus responderent. Quum vero pes ex longa syllaba et brevi aut brevibus constaret, ita gradus aut ictus ordinabant, ut in longis syllabis pes aut pollex poneretur, in brevibus tolleretur. Illam *βάσιν* sive *θέσιν*, hanc *ἄρσιν* dicebant. Et in dactylicis quidem hexametris simplex ratio erat; iambicos autem et

---

prout cuiusque syllabæ longitudo ac brevitas fuerit, ita temporum spatia definiri neque brevi breviorem aut longa longiorem, quam natura in syllabarum pronuntiatione protulit, posse aliquam reperiri". Longin. Prolegg. in Hephæst. 6, p. 84 Westph. *τὸ μὲν μέτρον πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρόν τε καὶ βραχὺν καὶ τὸν μεταξὺ τούτων, τὸν κοινὸν καλούμενον, ὃς καὶ αὐτὸς πάντως μακρός ἐστι καὶ βραχύς, ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἕλκει τοὺς χρόνους.*

trochaicos versus, quum olim institutum esset, ut alterni pedes (in iambicis primus et tertius, in trochaicis secundus et quartus) etiam spondei esse possent, non iambis aut trochæis sed dipodiis iambicis aut trochaicis metiebantur, trimetrosque dicebant, qui sex, tetrametros, qui octo pedes habebant, neque his versibus tot ictus dabant, quot pedes erant, sed quot dipodiæ. Ictus autem numeros comitatur, non facit, nec per ictum aut longa syllaba longior aut brevis minus brevis fit. Alia enim res est, quod interdum apud Homerum syllaba brevis in principio dactyli posita producitur, quale mendum plerumque addita positionis vi tolerabilius fieri videtur, aut quod apud Vergilium Georg. 3, 243 est „pecudes pictæque volucres". Loci vi, qui longam syllabam postulat, brevis producitur, et producta ictum accipit, non ictu producitur; Quintilianus autem, qui (I, 5, 28) in illo Vergilii versu metri condicione accentum mutari ait volucresque media acuta legendum esse, id unum dicit, producta penultima vocis „volucres" accentum loco moveri, metri accentum nullum agnoscit, quippe quod totum ex quantitate syllabarum pendeat. Errant, qui putant eundem pedem aut eundem syllabarum numerum, si aliter ponatur ictus, aliter pronuntiandum esse, velut tribrachyn aliam esse, si trochæi, aliam, si iambi locum expleat (◡́ ◡ ◡ et ◡ ◡́ ◡), aut dactylos quosdam anapæsticos esse, anapæstos dactylicos (— ◡́ ◡ et ◡́ ◡ —); nec, si ad veram rationem res exigitur, maiore vocis intentione pronuntianda est syllaba sub ictum cadens quam ceteræ. Hoc vitium tironibus concedimus, elegantes eruditorum aures respuunt. Extremis demum antiquitatis sæculis sic faciebant, quo tempore mutata totius linguæ ratione in vocibus pronuntiandis non longitudinem syllabarum sed accentus sequebantur. Itaque Priscianus (II, p. 521 Keil.) et Martianus Capella (IX, p. 974), contra quam fecerant omnes superiores, *arsin* interpretantur vocis elevationem, *thesin* depositionem, arsinque intelligunt graviorem pedis partem, thesin leviorem. Hanc dicendi rationem Bentleius secutus est vitium subesse non suspicatus. Cuius ingenium iure admiratus God. Hermannus, quum errorem animadvertisset, tamen a magistro discedere noluit (Elem. doctr. metr. p. 11), ceterique in eodem vestigio manserunt: prave, meo quidem iudicio. Nam si Bent-

leius vituperandus est, quod errorem Martiani et Prisciani non animadvertit, quomodo nos laudari possumus, si scientes Bentleii errorem repetimus? At, inquiunt, quo nomine utamur, parum refert, modo de significatione vocum conveniat. Quid autem, si nominis error cum notionis errore coniunctus est, nomenque ipsum errorem commendat et firmat? Immo abiiciendus est pravus iste vocabulorum usus, et Aristoxeno, Dionysio, Hephæstione auctoribus arsis levior, thesis gravior pedis pars appellanda. Hoc recentissimus artis metricæ auctor, Christius, quum facere cuperet, non est ausus, nisi quod interdum, ubi antiquorum vestigia pressius sequenda videbantur, Græcis litteris *θέσιν* et *ἄρσιν* posuit contrario sensu, quam ubi eadem Latinis scribit (Metrik der Griechen und Römer p. 43); nos ubique faciemus, nisi ubi aliorum scriptorum verba afferemus.

Bentleius, qui editione Terentii et schediasmate de metris Terentianis huic anteposito tantum contulit ad scenicorum poetarum metra intelligenda, „primus" ut ipse ait „ictus sive *ἄρσεις*, magno discentium commodo, per accentus acutos expressit". Ac de commodo quidem non est quod ambigamus, sed quod addit: „Horum accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuatur . . .) versus universos eodem modo lector efferet, quo olim ab actore in scaena ad tibiam pronuntiabantur", id omnino negandum est. An tanta nobis confidentia est, ut nostram antiquarum linguarum pronuntiationem genuinam esse arbitremur? Immo sive morem sequimur per sæcula traditum, magistrum minime spernendum, sive coniecturas probamus ex solis litteris ductas, non modestiæ sed veritatis causa fatendum est, nos hac quidem in re plurima ignorare. Et quod ad versus attinet, quis hodie ignorat, antiquos poetas quantitatem syllabarum, non accentus secutos esse? Notæ autem ad ictus indicandos superpositæ errorem alunt, quasi accentus quoque aliquod momentum fuerit in versibus pangendis. Bentleii quidem hæc sententia fuit, cui propter illam pronuntiandi rationem mirum videbatur, si quando vocabulorum accentus cum ictu metrico pugnabant. Vir doctus Latinis comicis magnopere cavendum fuisse censebat, „ne contra linguæ genium ictus seu accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparet", quamquam idem paulo post hoc de

secunda tantum trimetri dipodia intelligendum esse dicit, nam in prima et tertia semper licuisse; quasi non hoc ipsum satis ostenderet, aliam rei causam quærendam esse. Fuerunt in eadem sententia et Hermannus et alii multi usque ad Ritschelium, qui in prolegomenis Trinummi (p. CCVII sqq.) copiose probare studet, apud antiquos poetas „cum quantitatis severitate summa accentus observationem, quoad eius fieri posset, conciliatam esse". Mireris non maiorem scrupulum movisse viro illud „quoad eius fierit posset", nec vidisse doctissimum virum multitudine exceptionum regulam tolli. Tamen plerosque habuit sequentes, hodieque sunt qui sequantur, quamvis Fr. Ritter, A. Böckh, novissime autem Corssen diligentissime examinata tota re (Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache II, p. 400 sqq.) ostenderint, nihil minus egisse antiquos poetas, quam ut verborum accentus cum ictibus metricis congruerent. De hac igitur re in nostro commentario nullum verbum invenietur. Nec in editione fabularum Bentleianos accentus posuimus; in commentario interdum hac ratione metra significabimus brevitatis causa, ne longiore utamur verborum ambitu. Tirones vero hoc monemus, signa illa schema solum numerorum indicare, non pondera syllabarum, et qui tribrachyn pronuntiando dactylum reddat, aut spondeum iambum, eum male recitare. Quod si iambicos trochaicosque versus antiquorum exemplo dipodiis metimur, non ideo alteri ex duobus pedibus maius momentum tribuimus. Quod autem inter viros doctos disputatum est, utrum iambicæ dipodiæ prior an posterior pes ictum accipere deberet, id quidem negari nequit, eos, qui posteriori ictum tribuant, Geppertum et Westphalium, antiquorum auctoritatem sequi, si quidem Iuba apud Priscian. de metris Terent. p. 420 Keil. „in primo" inquit „pede et tertio incipit et in quinto, feritur in secundo et quarto et sexto", idemque et Terentianus v. 2249 sqq. docet et Cæsius Bassus apud Rufinum I, 5, quibus quo iure opponatur Aristidis locus (Christ. Metr. p. 65), non intelligo. Sed quia de varia pedum gravitate ne antiquis quidem auctoribus credo, in levicula re, ubi præter metiendi commoditatem nihil spectandum est, a vulgari significandi more digredi nolui et, sicubi accentus addidi, priorem cuiusque dipodiæ pedem ictus

signo notavi. Unum autem signum posui in graviore pedis parte aut, si longa syllaba soluta est, in priore brevium. In creticis priori longæ accentum superposui; bacchiacos pro creticis habeo anteposito iambo.

Iam ad singula, quibus Plautus usus est, metra transeamus.

Senario iambico,

quia a quotidiano sermone non multum discrepare videbatur, poetæ scenici in diverbiis nulla animi perturbatione vehementius commotis utebantur. Græci trimetrum dicebant, quia non simplicibus sed duplicibus pedibus metiebantur. Nam raro ex solis iambis constat, sed, ut ait Horatius ad Pisones v. 235 sq., „tardior ut paulo graviorque veniret ad aures, spondeos stabiles“ in priorem cuiusque dipodiæ sedem „recepit“, ut non tam pedes pedibus quam dipodiæ dipodiis responderent. Solutis longis syllabis pro iambo tribrachys, pro spondeo dactylus fit; anapæstum in primo dumtaxat pede admittunt tragici, comici non numquam etiam in aliis. Ulterius progressi Latini poetæ spondeum non solum in primo, tertio, quinto, sed etiam in secundo et quarto pede ponebant, et pro spondeo, soluta altera longa, anapæstum, modo sextus iambus integer maneret, de ceteris securi. Adeoque hæc placebat sive gravitas sive varietas numerorum, ut senarius in duos iambos exiens raro inveniatur; tragicos quidem semper in quinto pede spondeum posuisse Diomedes affirmat (p. 507 K.)*). Illud autem in tanta numerorum varietate semper cavetur, ne color et genus versus oblitteretur. Itaque parum placet dactylica vox trochæi loco posita vel in trochaicis vel in iambicis versibus, idque ferri posse

*) Qui hanc rem accuratissime examinavit, Luchs in Studemundii Studiis, I, Senecam animadvertit numquam ab hac lege discedere nisi in vocabulis quattuor syllabarum; apud ceteros autem diiambicum exitum etiam tum inveniri, si quarti pedis thesis soluta sit (⏓ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —), aut si ultima versus vox creticum efficiat. Quæ quamvis recte animadversa sint, ita tamen legis vim obtinere non possunt, ut, si quæ repugnant exempla, pro corruptis haberi debeant. Unum ipse excipit, „malam crucem“, quo modo sæpe versus terminantur; sed hoc quasi pro uno vocabulo accipit.

Lachmannus ad Lucret. p. 116 omnino negavit. Sed interdum inveniri negari nequit, nec sine nimia corrigendi licentia huius rei exempla removeri possunt, v. Geppert. Stud. Plaut. I, p. 139 sqq.; Amphitruonis exempla sunt v. 55 „omnibus", 328 et 350 „Nescio". Si dactylus aut pluribus vocibus efficitur aut prioribus syllabis longioris vocabuli, nihil offensionis habet, modo ne plures dactyli coniungantur. Nec temere dactylo anapæstum subiungunt. Quod si quis vitium esse dicat, non repugnabo; numquam commissum esse non concedam; vid. Amph. 120: „Nam meus pater in|tus". 882: „Aut satisfaciat". 940: „Ut quæ apud legio|nem". Bacch. 146: „O barathrum, ubi nunc". 302: „Nos apud Theoti|mum". Trin. 804: „Continuo operi|to". Hæc in principio versuum, sed etiam in mediis, ut Rud. 1247: „ip|si maleficiis". Trucul. 362: „pos|set. Cedo soleas". Amph. 90: „profera|tur Iouem facere hi|strioniam". Simili licentia pro spondeo soluta utraque longa proceleusmaticus ponitur, sed perraro nec nisi in primo versus pede, ut Trin. 806: „Ita faci|am". Amph. 74: „Quasi magi|stratum". Etenim in hoc versus loco plus sibi licere putarunt quam in ceteris; semelque admisso pede quadrisyllabo Plautus interdum etiam correptis syllabis, quæ longæ esse debebant, eos admittit numeros, qui re vera pæonis secundi mensuram habent, ut Capt. 133: „Quis hic loqui|tur". Men. 75: „Modo hic agi|tat"; aut pro anapæsto bacchium, ut Pœn. 1156: „Ut hæc in|veniantur". Mil. 1013: „Sed hic num|quis", aut etiam creticum, ut Capt. 128: „Inde me". Pœn. 416: „Perque meos". Amph. 70: „Siue quoi". 84: „Quiue quo"*). Hoc iam Bentleius in Terentio animadverterat multaque eius rei exempla collegerat in Schediasmate, quorum quamquam non pauca aliter explicari possunt, tamen ipsa res negari vix potest, Plautum Terentiumque licentius habuisse primum versus pedem quam ceteros. Tractavit eandem rem A. Spengel in „Plauto" p. 107 sqq., sed Plautina exempla, quæ multa congessit, fere omnia ad trochaicos septenarios pertinent.

Sæpe animadversum est trochaicos et iambicos versus

*) Plura v. Christ, Metrik p. 352.

similis atque adeo eiusdem generis esse, ac fuerunt, qui totum genus trochaicum potius quam iambicum appellandum censerent iambicosque versus trochaicos cum anacrusi dicerent: utrumque contra antiquorum morem, qui, ut pedem tolli necesse est ante quam ponatur, ita arsin thesi, i. e. leviorem pedis partem graviori antecedere volebant. Nobis quamquam parum referre videtur, quo nomine utamur, si quidem aliter in pedes descriptus versus aliter pronuntiari non debet, tamen antiquorum ratio magis probatur, imprimis historiæ causa; nam nisi iambi trochæis antiquiores essent, numquam totius generis nomen obtinuissent, aut poetæ, qui trochaicis versibus et hendecasyllabis usi essent, iambographi essent appellati. Contra levis admodum est ratio, non dico Hermanni, qui, quum sibi persuasisset graviorem pedis partem „causam", leviorem „effectum" esse, causam utique effectui anteponere cogebatur, sed etiam Bentleii, qui ideo iambicos versus secundum trochaicas dipodias metiri mavult, quia hoc „cum cæsuræ indole conveniat", i. e. quia sic plerumque una cum dipodia verbum terminetur. Hoc ita esse satis videbant antiqui, sed id ipsum præcipiebant, ut vocabula in mediis pedibus terminarentur, non in extremis, ne versus, qui unus esse debebat, in plures divideretur ac potius disiectorum membrorum quam articulorum bene iunctorum speciem præberet. Est enim hæc cæsuræ vis et in senariis iambicis et in hexametris dactylicis, ut finito vocabulo non in medio versu (post tertium pedem) sed prope medium (plerumque in tertio aut in quarto pede) versum, qui propter longitudinem dividi debet, in partes secet, quæ, quia inæquales sunt, ipsæ versus esse non possint. Itaque „animadverterunt", ut ait Gellius XVIII, 15, „metrici, primos duos pedes, item extremos duos, habere posse integras partes orationis, medios haud umquam posse, sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis", Mariusque Victorinus p. 2525 P.: „pessimus versus est" inquit „qui singula verba in dipodiis habet: Præsentium divinitas caelestium". Cæsuram autem senarii satis constat plerumque inveniri in tertio pede; penthemimeren hanc dicebant antiqui, recentiorum nonnulli „post primam dipodiam trochaicam". Minus frequens cæsura in quarto pede est, hephthemimeres. Sed

præter hanc legitimam cæsuram etiam in secundo et in quinto pede sæpe similis verborum divisio fit, eamque, quæ in quinto est (recentiores dixerunt „post alteram dipodiam trochaicam" aut „ante ultimum creticum"), aliquatenus, apud Latinos quidem, cæsuræ vim habuisse videbimus. Latini enim cæsuræ, utique legitimæ (penthemimeri), aliquanto plus tribuerunt quam Græci. Hoc inde apparet, quod in cæsura antiquissimi quique hiatum admiserunt. Primus hoc docuit Lingius (Quæstionum Plautinarum liber primus s. de hiatu. Vratislav. 1819); deinde A. Spengel (Plaut. p. 189 sqq.) plus quam ducenta huius rei exempla attulit. C. F. W. Müller quidem (Plautinische Prosodie p. 481 sqq.) horum pleraque reiicit et emendanda censet, iure non nulla, pleraque immerito; quid enim refert, quam facilis sit emendatio, si necessariam esse non conceditur? Solos triginta quattuor locos se reliquisse gloriatur; mihi quidem vel iste numerus ad rem probandam sufficere videtur. Hiatus autem non in ea solum cæsura, quæ penthemimeres dicitur, sed etiam in hephthemimeri invenitur; exempla congessit, qui rem negat Müller. p. 518; item in secundariis illis, quas diximus, cæsuris secundi et quinti pedis; de illa vid. Müller. p. 511, de hac Spengel. p. 235, Müll. 526. Addit Müller p. 536, etiam post quartum iambum interdum finito vocabulo hiari*); sed quod inde efficit, non cæsuræ magis gratia hoc licere, quam ubi nulla cæsura sit, id concludi non potest. Si integri sunt isti loci, id potius probabunt, talem quoque versus divisionem, post quartum pedem, non admodum offendisse antiquos.

Septenarius trochaicus

a Romanis dicebatur, qui Græcis tetrameter trochaicus catalecticus erat, teste Cicerone Tuscul. I, 44, 107; quadratum alii appellabant, v. Gell. II, 29, 20. Versus apud antiquiores poetas scenicos etiam senario frequentior, quo, ubicunque aut gravior aut commotior sermo futurus erat, utebantur, apud Plautum quidem singulari gratia præditus et aliquanto quam senarius legibus adstrictior. Dipodiis describitur et post secundam dipo-

*) Cf. etiam Luchs in Studemund. Stud. I, p. 23.

diam diæresin habet, ut illo loco vocem terminari oporteat. Soluta thesi trochaica tribrachys ubique poni potest, nisi quod in septimo pede raro hoc fit; posterior autem cuiusque dipodiæ pes spondeus esse potest. Sic Græci; Latini poetæ licentius egerunt, spondeum non solum in secundo, quarto, sexto, sed etiam in primo, tertio, quinto loco ferentes, modo septimus pes, qui ultimus ante *κατάληξιν* est, trochæus aut saltem tribrachys esset, contenti. Diæresin, quæ post quartum pedem esse debet, interdum negligunt, sed raro, ut migratæ legis excusatio petenda sit. Legitimam hanc fuisse versus divisionem vel inde apparet, quod illo loco hiatum facillime tolerant. Negavit hoc Müller (Pl. Pros. p. 542 sqq.) sententiam a plerisque omnibus editoribus probatam magno studio refellere conatus, sed frustra. Hoc quoque animadvertendum, quum in ceteris pedibus Latinorum licentia soluto spondeo dactylum admitteret, a quarto fere abstinuisse. Rara inveniuntur exempla, ut Trin. 604: „Lysite|li". Ter. Phorm. 863: „palli|o resu|pinat". — Latini etiam pro spondeo interdum proceleusmaticum posuerunt, ut Amph. 439: „nimis simi|lis". 711: „tibi pari|turam". Capt. 491: „con|silium ini|ere". Curc. 547: „Facis sapi|entius". Epid. 577: „tamen ero". 658: „modo sine". Mil. 1342: „facio. agi|te". Merc. 954: „tibi placi|da". Stich. 517: „Satine ego". Trin. 638: „benefici|um". 1051: „benefici|o". Fit hoc sæpius in primo pede, rarius in ceteris; exempla collegit Müller, Nachtrag zur Plaut. Pros. p. 65 sqq. In primo autem septenariorum pede sæpius etiam quam in senariorum, correptis longis syllabis, numeri oriuntur, qui nobis quidem a metro abhorrere videantur, ut Mil. 292: „Profecto". ib. 1002: „Ego hanc con|tinuo". Epid. 158: „Quid hic nunc". Locos collegit Spengel p. 107 sqq., qui ne quintum quidem pedem, quippe ubi post diæresin quasi novus versus incipere videatur, ab hac licentia eximit, ut Epid. 670: „Quid hunc sol|licitas".

Septenarius iambicus,

i. e. tetrameter iambicus catalecticus, magnam habet hilaritatem, quare, ut ait Hermannus, comœdia eum amat, tragœdia repudiavit. Ne Romanam quidem tragœdiam agnovisse inde effici

potest, quod Latini hunc versum comicum quadratum appellaverunt, v. Rufin. p. 2706 sq. Dipodiarum eadem ratio est atque in senario eademque licentia; sed quia post quartum pedem legitima diæresis est, hic pes plerumque integer manet; septimus, quia catalexin antecedit, integer esse debet. Latini, ut solent, in omnibus locis spondeum ferunt, atque etiam soluta altera longa dactylum et anapæstum, nisi quod in quarto pede, ante diæresin, unice probatur verus iambus, quamquam violatæ legis exempla inveniuntur v. c. Asin. 549. 575. 713. In septimo autem non solum tribrachys et spondeus non numquam occurrunt, sed sæpius etiam dactylus, ut Asin. 404 „mag|ni face|re". 440 ecfice|ret, 554 infide|lis fuer|is, et anapæstus, ut Asin. 413 „perii ho|spes". 420 „sup|pedita|re". (Proceleusmaticum habet Terent. Heaut. 737). Diæresin raro negligunt Romani, sæpius tantam ei vim tribuunt, ut, quasi versus ibi terminetur, et hiatum ferant et extremam syllabam ancipitem habeant, quartusque pes pro iambo pyrrhichius esse possit. Est igitur versus, quod dicunt, ἀσυνάρτητος; vid. Asin. 627. 645. 647.

Octonarii

iambici et trochaici, s. tetrametri acatalecti, apud Græcos poetas scenicos in usu non fuerunt, apud Latinos in scenis vehementer commotis, maxime ubi properatio et trepidatio exprimenda est, satis frequentes sunt, iambici quidem maxime, rarius trochaici. Quod si quæritur, quo modo fieri potuerit, ut Romani, qui etiam in re metrica Græcos sequi soleant, hic aliquid novarent, non tam novum genus invenisse videntur quam a Græcis acceptum paulo aliter descripsisse. Nam in eiusmodi locis Græci quoque continuatis numeris utebantur, sed longam iamborum aut trochæorum seriem, sive systema, dimetris describere solebant, Latini tetrametris maluerunt. Hoc ita esse inde apparet, quod Latini poetæ cum octavo quoque pede vocem terminant, cum quarto non item, sæpiusque etiam in octonariis quam in septenariis diæresis post quartum pedem negligitur; nec tamen noluisse eos illo loco versum dividi, ex hiatu apparet ibi concesso (v. Müller p. 610 sqq.) syllabaque ancipiti; (brevem videas Amph. 156. 192. 196. 208). Præterea quum octonarii cetero-

rum iambicorum versuum vel leges vel licentiam sequantur, octavus pes fere integer manet, in quarto loco non raro trisyllabi pedes inveniuntur. Itaque eodem fere iure versus et systemata appellari possunt.

Iambicis octonariis totas scenas perscriptas videmus, ut Amph. 977—98, Asin. 823—41, Bacch. 918—71. Ibi aut diæresin invenias post quartum pedem cum hiatus et ancipitis syllabæ licentia coniunctam aut cæsuram in quinto pede, ut neutrum regulæ adversari appareat. Sed interdum, ubi festinationis vis paulum remisit, in alia transeunt versuum genera sedatiore gradu incedentia, maxime in trochaicos septenarios, ut Amph. 1097, Capt. 535, aut in creticos tetrametros, ut Amph. 215. Octonariis interdum interponuntur breviores versus iambici, qui si integri sunt, velut dimetri acatalecti (quaternarii) aut monometri aut trimetri, non impediunt, quo minus eodem tenore continuetur systema iambicum; si catalexin habent, seriem abrumpunt; sed nihil obstat, quo minus post pausam denuo nova incipiat eiusdem generis series. Nec scena semper ab octonario incipit; interdum præmittitur trochaicus septenarius, qui quia catalecticus est, uno tenore cum proximo iambico coniungitur, ut Capt. 224. 762. Quod autem hæc systemata integris octonariis describi diximus, hæc quoque regula exceptiones patitur. Nam interdum ad iambicum octonarium syllaba additur, versumque hypermetrum trochaicus septenarius sequitur, qua ratione duo efficiuntur octonarii iambici coniuncti, velut Amph. 1083 sq. „Ut iácui, exsurgo; ardére censui aédis; ita tum cónfulgebant. 'Ibi me inclamat 'Alcumena. Ita éa res me horrore ádficit.“ Bacch. 964 sq. „Nunc álteris etiám ducentis úsus est, qui díspensentur, 'Ilio capto, út sit mulsum, quí triumphent milites“. Itaque nec hac ratione, nec omnino si unus interponitur septenarius trochaicus, systematis natura vitiatur, sed series iambica quasi sponte renovatur. Verum si duo aut plures septenarii inseruntur, cur via illa semel relicta denuo insistatur, difficilius intelligitur. Neque Plautus tale quid facere solet*); Terentii magna in hac re licentia est. Si Mario Victorino credas (p. 2500),

*) Amph. 1080—81 ratione non caret.

„etiam Menander in comœdiis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit et rursum ad iambicos redit“; sed huius rei fides penes auctorem sit.

Ut versus catalexi, ita systema clausula terminatur. Sic enim appellant breviores illos versus, qui continuam octonariorum aut quaternariorum seriem claudunt; Græci κῶλα τελικὰ appellaverant. Clausulæ cognati generis esse debent, ut iambis iambicæ, trochæis trochaicæ, anapæstis anapæsticæ clausulæ addantur. Quibusdam sua nomina indita sunt, ut trochaicorum ithyphallico versui (— ⏑ — ⏑ — ⏑), anapæsticorum parœmiaco (⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑); sed etiam aliis modis effici potest, ut talia systemata apte desinant; iambico quidem systemati pro clausula quivis convenit versus iambicus catalecticus.

Non numquam præfiguntur systematis similes breviores versus. Has quoque antiqui clausulas appellabant, miro nomine; potius anabolas aut simile quid vocare debuerunt. Varro apud Rufinum p. 2707: „Non numquam“ inquit „ab his initium fit, ut apud Cæcilium „Di boni, quid hoc?“ apud Terentium „Discrucior animi“. Terentii exemplum quod posuit (Adelph. 610), huc non pertinet; sed alia inveniuntur, ut Eun. 292: „Occidi“, Phorm. 485 „Dorio“, utrumque ante iambicos octonarios; Plauti nulla certa exempla suppetunt.

Trochaicis octonariis pauciores scenæ aut totæ aut maiorem partem scriptæ sunt, ut Aul. 809 sq. Pseud. 132 sq. His quoque breviores eiusdem generis versus intermiscentur, nec respuitur varietas interrupto ordine nata. Sed plerumque initio facto ab uno aut paucis octonariis trochaicis ad alia versuum genera transitur, velut ad septenarios trochaicos, ut Capt. 240. 922, aut ad creticos, ut Bacch. 610 sq. 638 sq., aut ad varia canticorum metra.

Anapæstis

Græcorum exemplo Plautus non raro utitur, sed insignem huius generis hilaritatem celeremque decursum rudis Latinorum ars nondum assequi poterat, eaque Plautus sibi licere putavit, ut interdum de ipso genere dubitetur. Nam quum apud Græcos anapæsto legitime substituatur spondeus, atque etiam dactylus, si sequitur spondeus, apud Plautum et dactylum anapæstus excipit

et proceleusmaticus anapæsti loco poni potest. Müllerus Pl. Pros. p. 404 sqq. multis Plautinæ in his versibus licentiæ allatis exemplis etiam creticum et pæonem anapæstis substitutos esse affirmat. Rectius Christius (Metrik p. 269 sq.) statuere videtur, Plautum non aliud sibi metri schema informasse quam Græcos, sed in difficiliore metro prosodiam minus accurate servasse. Ut ut est, tam scabri sæpe evadunt numeri, ut Terentium non miremur ab iis prorsus abstinuisse.

Uno huius generis versu Plautus *κατὰ στίχον* usus est, septenario, i. e. tetrametro catalectico, quem Græci non immerito Aristophaneum dixerunt. Is legitimam habet diæresin post quartum pedem, ibique etiam hiatum sibi permittit Plautus. Scena his versibus scripta nobilis extat Mil. 1005 sqq. Ceterum acatalectis fere versibus utitur, i. e. numeris in systematis modum continuatis. Græci hoc genus amant et, quia anapæsti dipodiis metiendi sunt, dimetris describere solent; longam autem dimetrorum seriem catalecticus terminat versus, maxime dimeter, qui parœmiacus dicitur. Latini, ut iambos, ita anapæstos continuatos fere in octonarios describebant, octonariorumque seriem aut septenarius aut brevior versus cum catalexi terminat; ipsis autem octonariis sæpe interponuntur dimetri (quaternarii) atque etiam monometri et hexametri, nec interrupto systemate solitus redit octonariorum ordo. Octonariorum exempla videas licet Aul. 702 sqq. Casin. 680 sqq.

Pæonicum metrum,

si ex veris pæonibus componitur, propter multitudinem brevium syllabarum Græcæ quam Latinæ linguæ aptius est. Latini vel propter linguæ ingenium vel propter gravitatis amorem eam fere formam probabant, in qua contractis duabus brevibus pro pæone creticus fit. Fecerant hoc antiqui Græci, ut videtur, iam inde a Thaletæ Cretensis tempore, ut carmina aut ex solis creticis aut quibus pauci admodum pæones intermixti essent componerent. Cretici appellantur eiusmodi versus; nec, si quis hanc speciem antiquiorem aut saltantibus convenientiorem dicat, nos repugnabimus. Ne Hermanno quidem obloquemur affirmanti „manifestum esse, creticum nihil aliud esse quam dipodiam

trochaicam catalecticam", quamquam non idcirco antiquos grammaticos errare dicemus, qui creticos ad pæonicum genus retulerint; nobis enim, quo nomine appelletur, parum referre videtur.

Latini poetæ non raro creticis usi sunt, sed licentius agentes quam Græci pro creticis aut pæonibus etiam choriambos interdum inserunt et, pede sex morarum semel admisso, ne a molosso quidem abstinent (ut Most. 106 „confringit". Pseud. 1330 „spectator"). Versibus plerumque utuntur acatalectis, ut systemata oriantur, sed certis æqualibusque versibus distincta, qui inter se coniungi non debent*). Horum frequentissimi sunt tetrametri, qui sæpe tam multi iunguntur, ut eosdem κατὰ στίχον positos dicere possis, velut Amph. 216 sqq. Diæresin habent post alterum creticum, eoque loco facilius quam in ceteris hiatum ferunt; quin etiam brevis syllaba pro longa invenitur. Tetrametris interdum intermiscentur alii versus cretici, maxime dimetri, clauditur autem series fere brevioribus versibus eiusdem aut cognati generis, i. e. aut creticis aut trochaicis.

Ex catalectico genere tetrameter in liberioribus canticis non numquam repetitur, ut Trinum. 244 sqq. 293 sqq. — „De versuum creticorum usu Plautino" accurate egit A. Spengel, Berolin. 1861.

Anteposito creticis iambo bacchii oriuntur. Bacchius (⏑ — —) non eam rationem habet longarum et brevium syllabarum, ut proprie pes dici possit; nam quum brevi syllabæ prior longa respondeat, altera autem nihil habeat, cui opponatur, rem vere æstimanti non pes est sed duorum pedum partes. Bacchiaci igitur versus cretici sunt cum anacrusi iambica, et carere poteramus illo nomine, sed retinemus vel consuetudinis vel commoditatis causa. Nam frequentissimus huius generis versus, qui ex iambo, duobus creticis, duobus trochæis constat, idem in quattuor bacchios dividi potest brevique et simplici nomine tetrameter bacchiacus appellari solet (⏑ — —|⏑ — —|⏑ — —|⏑ — —). Quam dividendi rationem qui eo nomine commendant,

*) Coniunctorum versuum paucissima exempla sunt, ut Pseud. 1332 sq. „ádproba|re Húnc gregem". Epid. 173 sq. „crédidi u|xórem quam".

quod sic sæpius una cum pedibus vocabula terminentur, Bentleii exemplum sequuntur, qui iambicos versus secundum trochaicas dipodias describebat, non antiquorum rationem. Illud quoque inter viros doctos disputatum est, utri ex longis syllabis ictus metricus tribuendus sit. Plerique priori accentum superposuerunt, nos creticorum rationem secuti alteri maluimus (⏑ —| ⏗ ⏑ —|⏗ ⏑ —|⏗ ⏑ — ⏓).

Hunc versum Latini poetæ, maxime Plautus, in deliciis habuerunt. In eo eadem sibi indulgent quæ in proprie creticis. Anacrusis loco pro iambo etiam spondeum et anapæstum ferunt; pro primo cretico rarius, pro altero aliquanto sæpius choriambus invenitur; extrema trochaicorum leges sequuntur. Cæsuram sæpe habet post alterum bacchium, sed non constanter. Multæ scenæ apud Plautum inveniuntur magnam partem his versibus compositæ, sed quia versus acatalecti sunt, eadem systemata appellari possunt, et cretica quidem, si nostram sequaris metiendi rationem; nec desunt exempla versuum coniunctorum, ubi creticus inter duos versus divisus uno continetur vocabulo, ut Men. 559 sq. „op|tumi". 746 sq. „Nam res plúrimas péssumas, quom áduenit ád|fert, quas si aútumem omnís, nimis lóngus sermost". Pœn. 221 sq. „Binæ, síngulis quǽ datæ nóbis ancíl|læ, eæ etc." *). In liberioribus autem canticis etiam breviores et longiores eiusdem aut cognati generis versus intermiscentur.

Hexametri bacchiaci continuantur Amph. 627 sqq. — De his omnibus v. Seyffert „de bacchiacorum versuum usu Plautino" Berol. 1864.

De versibus varie compositis.

Adhuc eos versus tractavimus, qui ex eodem pede repetito aut constant aut constare videntur, æqualiter usque ad catalexin aut clausulam decurrentes; sed in Plautinis canticis inveniuntur etiam versus liberius structi variisque pedibus compositi, in quibus potius modorum concinnitas quam numerorum æqualitas placuisse videtur.

Huius generis unus versus etiam *κατὰ στίχον* ponitur, quo

---

*) Plura vid. Christ. Metrik. p. 453.

Plautus Aul. 408—38 et in Stichi principio usus est. De hoc versu multa varie disputata sunt. Reizianum appellant eius viri nomine, qui primus ad eum animum advertit. Ei iambicus in syllabam catalecticus videbatur, quasi ex senario addita syllaba ortus; sed nec versus, qui dipodiis describuntur, in syllabam unam catalecticos ratio fert, neque una hæc illius versus species est. Compositum appellari potius decet, cuius prior pars semper iambicus dimeter sit, et quidem ea lege adstrictus, ut quartus iambus utique integer sit, cum eoque vox terminetur (⏒ — ⏒ — ⏒ — ⏑ —). Altera pars, post diæresin, duas maxime formas habet; aut enim ex duobus iambis et trochæo constat (⏒ — ⏒ — — ⏒) ut ad choliambicum genus referri debeat, aut tripodia est iambica catalectica (⏒ — ⏒ — ⏒), cuius quidem altero iambo plerumque anapæstus substituitur (⏒ — ⏑ ⏑ — ⏒). Sed in hac quoque specie trochaicus exitus manifesto apparet, ut eandem clausulam sive trochaicam sive logaœdicam cum anacrusi dicere possimus; ut ut est, versus ab iambis incipiens contraria ratione, i. e. trochaice, terminatur. Cum priore forma aliquatenus comparari potest versus Euripideus quattuordecim syllabarum, quem Hephæstio 15, 9 commemorat (*Ἑῷος ἡνίχ' ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ*), altera Aristophanes pro clausula systematis iambici usus est Pac. 840 sq. (*ἢ συκοφάντης ἄλλος, οἰμώζων καθεδεῖται*). 846 sq. 852 sq.*).

Ceteri versus compositi non *κατὰ στίχον* inveniuntur, sed in liberioribus canticis passim occurrunt. Fieri potest, ut idem versus aut idem rhythmus repetatur, maxime ubi sententiarum

*) Paulo aliter Studemundius (de Canticis p. 30 sq. Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Würzburg 1868, p. 53) posteriorem versus partem iambicum dimetrum catalecticum syncopatum dicit. Quod autem *Saturnios* quidam hos versus appellarunt, ut nuper Fritzsche in Philolog. XXXIV, p. 186 sqq., ambitus huius versus ab ea forma, quam posteriores grammatici legitimam Saturnii versus esse docebant („Dabunt malum Metelli Nævio poetæ“) parum differt, sed illic cæsura est in quarto pede, hic post quartum pedem diæresis a Plauto numquam neglecta. Equidem Saturniorum licentiam in Plautinam hanc formam interdum devenire potuisse minime negabo; Plautum in palliata comœdia Saturniis potius quam Græcis versibus usum esse non credo.

similitudo numerorum et modorum similitudinem commendavit, sed non ut strophæ Græcorum certis locis fixisque intervallis. Nec tamen omni lege soluta talia cantica esse censenda sunt. Unus plerumque per totum canticum servatur color, nec sine ratione contraria iunguntur; contraria autem sunt quæ ab arsi incipiant (iambi, anapæsti, bacchii) et quæ a thesi (trochæi, dactyli, cretici). Itaque anapæsti cum creticis non miscentur, nec facile ab iambis ad trochæos transitur nisi interpositis creticis. Verum interrupta subito sententia aut animo vehementius commoto nihil obstat, quo minus etiam contraria iungantur. Canticorum rationes explorare studuit Gulielmus Studemund in dissertatione inaugurali 1864. Eum adeat, qui omnia perlustrare velit, nos singula suis quæque locis tractabimus; hic exempla quædam compositorum versuum afferre sufficiat.

Frequenter occurrunt versus ex duobus creticis et trochaico semiquinario compositi, ut Most. 130: „'In fabrorúm potestáte dum fui". Plura vid. Geppert. Stud. I, p. 33 sq. His interdum intermiscentur, qui ex duobus creticis et pæone primo cum syllaba constant, ut Most. 681: „Nunc dormitum iubet me ire. Minime". ib. 684—85. al. Non raro invenias versus ex duobus bacchiis et iambico semiquinario compositos, ut Most. 307 sq.

Aduorsúm ueniri mihi ád Philolachem
Volo témperi. audi, ém tibi ímperatumst.

Alii fiunt trochaico semiquinario repetito, ut Pseud. 1278 sq.

Nímiæ tum voluptáti edepol fui.
'Ob casum datur cántharus; bibi.

Rarius ex repetito iambico semiquinario, ut Most. 855 sq.

Ut adhúc fuit mi corium ésse oportet,
Sincérum atque ut uotem uérberari,
Si hoc mí parabo, probe téctum habebo.

VIII.

De prosodia.

Ut in metris ars nondum exculta quædam sibi licere putavit, quæ nec Græci nec eorum æmuli, Latini Augustei sæculi poetæ, probarunt, ita etiam in syllabarum mensuris metro accommodandis Plautus non tam certis legibus adstringitur quam posteriores. Quam metri natura legem ponit, ut in versu quævis syllaba aut longa aut brevis sit, eidem communis hominum sermo in plerisque omnibus paret, nec tamen fieri non potest, ut syllaba aliqua quasi in medio relicta tam pro longa quam pro brevi esse possit. Fit hoc, maxime ubi concursus plurium consonantium linguæ difficultatem aliquam pronuntiandi creat, ut syllaba, quamvis vocalis consonantes illas antecedens brevis sit, tamen difficulter pro brevi pronuntietur. Sed quam sibi hac in re posterior ætas fixit positionis legem, eam Plautus nondum agnoscere videtur, apud quem non solum muta ante liquidam positionem non facit, sed ne ceteræ quidem consonantes compositæ semper faciunt. Verum etiam syllabas una consonanti terminatas posteriorumque iudicio constanter breves interdum apud Plautum productas invenias. Hic quæritur, utrum poeta propter linguæ inopiam vitiosa licentia usus sit, an etiam extra versum has syllabas aliter atque posteriores pronuntiaverit. Ac sunt, qui credant antiquitus Latinam linguam longis syllabis admodum abundasse, earum multas sensim in breves transisse, Plautum autem eo tempore vixisse, quo etiam nunc restarent vestigia longitudinis, quæ ab initio fuisset. Mallem eos dixisse, eiusmodi syllabas, quas posteriorum consensus breves esse voluit, Plautina ætate ancipites fuisse; nam quales ante Plauti sæculum fuerint, omnino ignoramus. Sed, quod ad rem attinet, si paret omnes omnino breves syllabas Plautum produxisse, negligentiæ metri causa commissæ hoc tribuendum videtur, sin ad certa quædam syllabarum genera hæc licentia pertinet, ea illo tempore ancipitia fuisse veri simile est. Rursus non raro syllabæ longæ apud Plautum corripi videntur, maxime ita ut, ubi versus

unam longam aut duas breves requirit, ponatur brevis cum longa (iambus). Hoc non in solo primo versus pede fit, quod supra commemoravimus, p. 181. 184, sed etiam in aliis, ubi ex metri natura nulla excusatio peti possit; nam Geppertus, qui pro dactylo creticum, pro tribrachy amphibrachyn aut bacchium admittit, mihi quidem metra evertere videtur. Quare necesse est, aut longa syllaba pro brevi posita sit, aut duæ syllabæ sive contractione sive syncope facta in unam coaluerint. Horum aliud alii probaverunt; nam ingenti studio hæc res a multis tractata est viris doctis. Agmen ducit Fridericus Ritschelius prolegomenis ad Trinummum a. 1848 editis; secutus est Alfredus Fleckeisen, egregius illius editionis censor, Annal. philol. et pædagog. voll. LX et LXI. 1850. 1851; deinde Theodorus Bergk variis disputatiunculis, Julius Brix, Andreas Spengel libello, qui inscribitur „T. Maccius Plautus. Kritik, Prosodie, Metrik. 1865“, Crain in Philolog. IX, Wagner in editione Aululariæ, Ramsay in Mostellaria, Christ in Mus. Rhenan. XXIII, 1868, alii multi. Claudit agmen C. F. W. Müller, Plautinische Prosodie 1869, Nachträge zur Pl. P. 1871, cui si non ubique accedimus, tamen permulta nos accepta ferre libenter fatemur. Sed vel post tanta studia res ipsa magnam partem incerta manet, utpote quæ tota ex antiquorum pronuntiandi ratione apta sit. Nos, quum alia aliis veri similiora videantur, ea tantum exponemus, quibus maiorem fidem habendam esse censemus, atque adeo rebus expositis, quam explicandi rationem amplecti malimus, ostendemus. Nam res ipsa minime dubia est, nec, quia nobis talis pronuntiandi ratio mira videtur, ideo traditam codicibus scripturam immutare audemus, non quo tam superstitiosi simus, ut numquam a librariis erratum esse credamus, sed in tam incerta re, nisi alia accedant corruptelæ indicia, a codicum testimonio discedere licere negamus, nec, quia facilis aliqua emendatio sit, ideo veram esse concedimus.

Iam a notis Augusteæ ætatis regulis profecti, quatenus Plautus ab iis discessisse videatur, exponemus.

1.

Breves syllabæ apud Plautum productæ.

A casus recti primæ declinationis et neutri pluralis ceterarum nisi vitiose a Plauto produci non potuisse Müllero credo. Unum exceperim; nam in masculinis nominibus primæ declinationis *a* finale interdum productum videtur, ut „Sosia“ Amph. 434. 435, „Antidama“ Pœn. 958, nam Antidamas, quod codd. præbent, Plautina forma non videtur. „Leonida“ Asin. 733 vocativus est.

Ablativum tertiæ declinationis, ubi in *e* desinat, brevem, ubi in *i*, longam vocalem habere, in multis autem vocibus utramque formam in usu fuisse, constat. Plauti ætate hæc inconstantia in multo pluribus, ne dicam in omnibus, regnasse videtur, v. Bücheler, Lat. Declination p. 50. In antiquis titulis hæc terminatio interdum *ei* est, ut „uirtutei“ Corp. Insc. Lat. I, 34, 5. „fontei“ 199, 7. „partei“ 206, 25 et 27. In Plautinis codicibus admodum incerta huius scripturæ vestigia manent (ut Mil. 1036 „uirtute et“); sed partim ablativos invenias in *i* desinentes, qui vulgo in *e* exeunt, ut „fusti“ Capt. 888, „sorti“ Casin. 405, „parti“ Men. 468. Pers. 72. „luci“ Aul. 739, „vesperi“ Mil. 995, partim littera *e* terminatos, quamvis longa syllaba sit, ut „rete“ Asin. 99, „furfure“ Capt. 799, „carne“ ib. 907, „pariete“ Cas. 140, „ordine“ ib. 830. Pseud. 766. 1310, „milite“ ib. 620. Quibus in locis si quis editor constantiæ causa aut *i* aut *ei* scribat, vituperari vix possit.

Vocabula *mihi, tibi, sibi* ultimam sæpe producere ostendit Spengel p. 55 sqq.

Ego producta ultima invenias Amph. 196. Aul. 499, al. cf. Müller p. 30. — *Modo* Amph. 640. Asin. 5. 860. 867. — *Immo* apud Plautum semper ultimam longam habet.

Verba in *ar* desinentia sæpe apud Plautum ultimam longam habent, vid Amph. 38. 555. 1072. Müller p. 37.

Verborum in *er* terminatorum nullum tale extat exemplum.

Or longum esse potest et in verbis, ut Capt. 1016 „regredior“, Mil. 634 „experior“, al., et in nominibus, ut „imperator“

Amph. 226, „uxor" Asin. 918, „ecastor" Cas. 915, et in comparativis, ut „longior" Amph. 544, vid. Müll. p. 42 sqq.

Terminationis *ur* productæ non prorsus certa exempla sunt „igitur" Amph. 712, „adficitur" Curc. 142.

Syllabarum in *t* exeuntium *at* apud Plautum longum est, ut „arat" As. 865, „aiebat" Rud. 1130, ac fortasse „amat" As. 889, „sciat" ib. 737.

et in præsenti coniunctivi primæ coni. et indicativi secundæ et in futuro tertiæ coniugationis, ut „amet" Merc. 1012, „habet" Amph. 646, „perlubet" Capt. 825, „accipiet" Mil. 1055.

it in perfectis indicativi sæpe produci quum primus animadvertisset Fleckeisen, Annal. LXI, p. 20 sqq., postea alii uberius docuerunt, ut Corssen et Ritsch., Opusc. II, p. 641 sqq., adlato etiam titulorum antiquorum testimonio, in quibus non raro hæc forma *eit* scribitur. Etiam palimpsestus Plauti Merc. 521 „redieit". Alia Plautina exempla hæc sunt: „vicit" Amph. 637, „vendidit" Capt. 9, „rediit" Merc. 696, „astitit" Mil. 215, „vixit" Pseud. 311, „fuit" Curc. 641, alia.

Eandem terminationem etiam in formis futuri exacti et coniunctivi productam invenias, ut „adduxerit" Merc. 912, „aderit" Pers. 653, „sit" Asin. 755, „velit" Men. 52, et in præsenti ind. quartæ coni., ut „it" Curc. 488. Pœn. 687. „fit" Capt. 25.

Quod ad voces in *s* exeuntes attinet, eædem Plauto atque ceteris scriptoribus regulæ valent, nisi quod nomina tertiæ declinationis in *es*, quorum casus obliqui syllaba aucti pænultimam brevem habent, interdum produci videntur, ut „miles" Aul. 519, „dives" Asin. 328, et quod *es*, uerbum substantivum, sive indicativus præsentis sive imperativus est, longum est, v. Neue, Formenlehre II, p. 462, Müller p. 50. Luculentissime hoc apparet ex iis locis, ubi antecedit vox aut vocali aut *s* littera terminata. Hic editores, ut *st* pro *est*, ita *s* pro *es* scribere solent. Sed quoniam ita coniunctis vocabulis prior syllaba, si brevis est, producitur, apparet non aphæresin factam esse, sed potius synalœphen, qua priorem vocalem posterior hauserit. Itaque cum codicibus scribendum „dicacula es" As. 507. „dictura es" Aul. 169. „surda es" Cist. 374. „ornata es" Most. 287. „umbra es" Mil. 626 etc.

Magis dubia res videri potest, ubi post vocem in *us* exeuntem desideratur verbum *es*. Ibi editores addito apostrophæ signo adesse indicant, ut „suppromu's" Mil. 824, „innoxiu's" Merc. 717; sed hic quoque syllaba producitur, quare recte reputanti non tam aphæresis facta esse videtur quam omissa *s* littera synalœphe vocalium fieri. Verum quia talis omissio litteræ *s* apud Plautum nisi ante *est* et *es* vix invenitur, hic quoque a vulgari scribendi more non admodum recedere volui, v. supra p. 159.

Productum *us* legitimum non esse Müllero concedo, p. 52 sq. Exempla afferuntur „longius" Men. 323, „lampadibus" ib. 828, „ædibus" Merc. 889, „omnibus" ib. 908. Rud. 975.

2.

Syllabæ longæ correptæ.

A. Positionis lex neglecta.

Quæ apud Græcos et posteriores poetas Romanos lex est, ut duæ aut plures consonantes post vocalem brevem positæ — excepta tantummodo muta ante liquidam — positione, ut dicitur, longam syllabam reddant, ea apud Plautum legis vim nondum obtinet, sed quæ cumulatis consonantibus mora obiicitur pronuntianti, ea efficit, ut syllabam pro longa habere possit, non ut coactus sit, vocalisque vel ante tres consonantes sequentes brevis manere potest. Neque quidquam refert, utrum hic consonantium concursus in eodem vocabulo fiat, an altera consonans priorem claudat, altera posteriorem incipiat. Videamus singula.

Geminatæ consonantes apud posteriores semper syllabas longas reddunt; antiqui Latini has paulo aliter ac fortasse parum constanter pronuntiabant nec in scribendo litteras geminabant. Ennius hunc morem ad Græcorum exemplar introduxisse dicitur, v. Fest. p. 293, semelque introducta hæc scribendi ratio etiam pronuntiationem stabiliorem reddidit. Antiquissimi igitur Latini, non quia simplices consonantes scribebant, syllabas corripiebant, sed quia dubia erat syllabarum longitudo, consonantes non geminabant, cuius rei magnum exemplorum numerum antiqua monumenta præbent, vid. Indic. Corp. Inscr. Lat. I, p. 602.

Huc pertinent etiam Plinii verba apud Priscianum I, 38: „*L* exilem sonum habet, quando geminatur secundo loco posita, ut ille, Metellus“. Itaque plura nomina, ut Aquillius, Popillius, sæpe cum simplici *l* scribuntur. Ut ad Plautum revertamur, primum *ille*, *illic* sæpe priorem syllabam brevem habet. Müllerus quidem (Prosod. p. 330) tum demum hoc fieri affirmat, si antecedat vocabulum monosyllabum brevis mensuræ, quod cum priore huius vocis syllaba iambum faciat; sed multis locis leniore medicina correctis restant tamen, quos emendare non audeat, Aul. 646, Most. 205, Men. 57, Mil. 1223, Pers. 544, Stich. 675. Alia exempla positionis ante *l* duplex neglectæ sunt „cauillator“ Truc. 670, „simillimæ“ Asin. 239, „supellectile“ Pœn. 1148, Stich. 66, „satellites“ Trin. 833, „expalluit“ Curc. 311, „puella“ sæpius (v. Müller p. 250); sed hic fieri potest, ut duæ priores syllabæ per synizesin coaluerint, v. infra.

Fit idem ante ceteras liquidas, ut „annona“ Stich. 183, „immortales“ Pœn. 274, „irridiculo“ Cas. 815. Pœn. 1186, et ante *s*, ut „dedisse“ Amph. 754, „necesse“ Pseud. 998, „vicissatim“ Stich. 532; „fuisse“ correpta secunda fortasse etiam per synizesin explicari potest; locos vid. Müller p. 241; „esse“ priore brevi non infrequens est, quamquam Spengelius p. 81 sq. omnes locos removeri putat aut elisione aut syncope antecedentis vocis, Müller p. 298 sqq., ubi non antecedat vox monosyllaba brevis, corrigendum censet.

Hoc loco etiam *i*, quotiens inter duas vocales consonans fit, commemorandum videtur, de quo Priscianus I, 3, p. 14 H.: „maius“ inquit „peius, eius, in quo loco antiqui solebant geminare *i* litteram et maiius, peiius, eiius scribere . . . . . . unde Pompeiii quoque genetivum per tria *i* scribebant, . . . quod Cæsari doctissimo artis grammaticæ placitum a Victore comprobatur“. „Etiam Ciceroni placuisse aiio Maiiamque geminata *i* scribere“ Quintilianus testatur I, 4, 11. Sed plerique omnes *i* non geminabant. Priorem autem syllabam vel longam habebant quasi geminata littera, vel brevem quasi non geminata. Sic, quum *ais*, *ait* plerumque aut priorem corripiant aut utramque syllabam in unam contrahant, interdum *Ain* priore longa quasi Aiin legitur, vid. Amph. 280. 340. Asin. 892; *eius*, *huius*,

quoius quum plerumque priorem longam habeant (vid. Amph. 108. Asin. 340. 390. 399. 730. 804. Amph. 261. 285. 355. 791. 804. Asin. 549. 625. 636. 674. 729. 846. 874. Amph. 17. 132. Asin. 202), sæpe etiam corripere eam videntur (vid. Amph. 85. 982. 984. Asin. 80. Amph. 51. 96. 263. 482. Asin. 594. 598. 714. 718. Amph. 26. 374. Asin. 717); videntur inquam; nam fieri potest, ut hæc vocabula elisa posterioris syllabæ vocali pro monosyllabis fuerint, id quod Lachmanno placuit ad Lucret. p. 26.

Etiam ante mutas geminatas positio negligitur. Notissimum exemplum præbet voc. *ecce*. Sæpe legitur „Sed eccum"; tum „Domi eccum" Mil. 472, „tua eccam" Rud. 1174, „tibi eccas" Trucul. 527. Müllerus (p. 295 sq.) hæc omnia ex iambica forma repetit. Deinde „ecquis" Pœn. 1047. Pers. 110. Stich. 339. Truc. 254. „quicquid" Mil. 313. Truc. 253. Præterea „accepisti" Trin. 964. „acceptrici" Trucul. 567. „accumbe" Most. 302. „occasio" Pers. 267. „occidere" Mil. 1281. Ter. Phorm. 143. „occepisti" Merc. 609. „in occulto" Capt. 83. Trin. 664. cf. Ter. Heaut. 575. Tum „effeceris" Pseud. 951. „officium" sæpius, v. Müller. p. 367, sed huic voc. semper antecedit aut „meum" aut „tuum", ut etiam de synizesi cogitari possit. — *Philippus* et *Philippeus* de nummis sæpe, ut Mil. 1054. Trin. 955. Pœn. 166. 602. 717. Media longa extat in personæ nomine Aul. 86. 694. Epid. 626; sed hoc discrimen potius casui quam consilio tribuerim. Præterea „apparet" Amph. 786. „sagitta" Aul. 387. Pers. 25. Etiam „adde" Epid. 470. Trin. 385. „redde" Stich. 763.

M litteram constat „in extremitate dictionum obscurum sonasse", ut ait Priscian. I, 38, cf. Quintilian. IX, 4, 40, nec prohibere, quo minus hiatus offendat aut vocales per synalœphen coire iubeantur. Itaque in antiquis titulis non raro *m* finale omittitur, v. Indic. Corp. Inscr. Lat. I, p. 607. Huius litteræ debilitas etiam ante consonantes interdum apparet, maxime in particulis *enim* et *quidem*, quæ cum consonanti initiali proximi vocabuli positionem facere non solent. Nam qui primam eorum vocalem syncope haustam putarunt ('nim, q'dem), ii mihi videntur pronuntiandi rationem nimis obscuram minime-

que credibilem statuisse. Exempla quædam attulit Corssen II, p. 92 et 93, pauca de multis, v. Amph. 368. 413. 659. 742. Asin. 2. 148. 801. 861.

In media voce simile quiddam accidit in *nempe*, quod sæpe brevem priorem habet, v. Aul. 188. Epid. 441. Rud. 565. 567. al. v. Müller p. 433 sq. Atque etiam in *omnis*, nam syncopæ Spengelianæ (p. 79 sq.) parum probabiles sunt, v. Aul. 596. Cist. 61. 356. 608. Mil. 55. 661. Pseud. 164. Pœn. 1058. Pers. 758. Rud. 87. 1285. Trin. 78. 621. Terent. Andr. 391. 694. Eun. 1077 („Ad omnia hæc"), præter Mil. 184. Trucul. 845, quæ synizesi explicari possunt.

S consonans simile quid passa est, cuius quoniam asperior etiam sonus erat, ne in collisione duarum stridor, ut ait Quintilianus IX, 4, 37, tristis oreretur, ut in mediis vocabulis interdum geminatio non audiebatur, ita etiam in concursu duorum vocabulorum *s* ante alteram consonantem parum exprimebatur. Hæc, ait Quintilianus, causa fuit Servio subtrahendæ s litteræ, quotiens ultima esset aliaque consonante susciperetur, quod etiam Messalam defendisse testatur. Ciceroni hoc subrusticum videbatur, Orat. 48, 161; sed antiquiores, inquit, „eorum verborum, quorum eædem erant postremæ duæ litteræ, quæ sunt in optumus, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetæ novi; ita enim loquebamur: „qui est omnibu' princeps", non „omnibus princeps", et „vita illa dignu' locoque", non „dignus". Magnam talium exemplorum copiam Ennii et Lucilii fragmenta præbent. Etiam in titulis antiqui temporis et parum culti sermonis *s* finale interdum omittitur, vid. Ind. Corp. Inscr. Lat. I, p. 609, Corssen, Aussprache d. Lat. I, p. 119. In verbis autem ante *ne* interrogativum *s* omitti, ut „iuben, rogan" dicatur pro „iubesne, rogasne", vulgo notum est. In duabus vocibus hæc subtractio litteræ *s* propriam formam peperit, si quidem antiqui Latini pro magis et potis etiam *mage* et *pote* dicebant. Apud Plautum hoc legitur Pers. 31, illud Asin. 65. 391. Men. 379. Pœn. 274. Trin. 1052. Trucul. 179. 651. 874. Sed plerumque plenior et usitata forma scribitur, vel ubi neglecta positione ante alteram consonantem brevis manet ultima

syllaba; sic *potis* Cas. 198. Pœn. 878; *magis* Asin. 118. Bacch. 35. 1071. Mil. 316. Pseud. 1020. Rud. 1181. Ter. Eun. 436. 1002. Simili modo positio negligitur in *nimis* Mil. 470. 997. 1134. Pseud. 1239. Rud. 511. Trin. 806. Ter. Heaut. 1045 sq. al.; in *satis* Bacch. 1176. Capt. 784. 921 sq. 958. Mil. 874. 958. 1181. Ter. Ad. 184 al., *minus* Mil. 873 al., *prius* Amph. 597. Asin. 367, *erus* Pseud. 664 al., *manus* Bacch. 476 al., *publicitus* Bacch. 309, *eris* Pseud. 1321, *boves* Aul. 230, *is* Epid. 56, *isne* Merc. 589, aliaque eiusdem generis. Neglecta vero hæc positio etiam in ultimo versus pede, ubi integritati numerorum maxime consulendum est, invenitur, ut Amph. 340. 407. 972. Asin. 59. Bacch. 309 („occidistis me“). 779 („qualis sit“). Rud. 103 („saluos sis“), sæpeque apud Terentium, vid., ut unius fabulæ exempla congeram, Hec. 234. 443. 450. 489. 653. 878.

S littera cum mutis consonantibus tam arte coniungitur, ut positionem ea re ortam negligi non sit mirum. Apud *sc* et *sp* pauca inveniuntur exempla, ut „Quiesce“ Merc. 439 (Lucret. 1, 372: „cedere squamigeris“), „haruspex“ Pœn. 1210; „Diespiter“ ibid. 872 etiam contractione explicari potest. Multo sæpius ante *st* correpta syllaba invenitur. Primum *est*, cuius tam exilis vocalis fuit, ut, ubi antecedens vox aut vocali aut *m* aut *s* litteris terminatur, aphæresi sublata videatur. Sic „quid est negoti?“ „is est profecto“, alia multa, quæ collegit Müller. p. 303 sq., pleraque iambi mensuram reddentia. Item „adest“ Ter. Eun. 905, „potest“ Pseud. 134, „ubi estis“ Cist. 476. Pseud. 1135. Tum *iste, istic, istuc* cett., vid. Corssen, Aussprache d. Lat. II, p. 80 sq. Müller. p. 361 sq. Amph. 659. 942. Asin. 820. Præterea „ostendo“ Ter. Phorm. 793, „dedisti“ Curc. 345. Men. 676. Trin. 127. 129, „fuisti“ Capt. 621. 622 al. (nisi synizesin factam esse statuere malis), „epistulam“ Pseud. 1000, „scelestus“ Most. 405. Rud. 456, „uetustate“ Pœn. 703, „uenustas“ ib. 1181. Ter. Hec. 848. — Atque etiam sequente littera *r*: „magistratus“ Amph. 74. Pers. 76. Rud. 477. Trucul. 748. Ter. Eun. 22, „ministrare“ Curc. 369. Stich. 685. Epid. 414, „fenestra“ Cas. 132. Mil. 381. Rud. 88. (Festram antiquos dixisse affirmat Festus p. 91, cf. Macrob.

III, 12, 2; quod si syncope aliqua facta est, veri similius est alteram quam primam vocalem elisam esse.) Item in Græcis „peristromata“ Stich. 378, „Cleostrata“ in Casina sæpius, quod etiam per synizesin explicari potest. Lucret. IV, 846 „mollia strata“ dixit.

Ubi sibilans littera mutam sequitur, Græci duplices consonantes faciunt. Harum *z* posteriores in Græcis nominibus scribendis mutuari solebant (Quint. XII, 10, 27), Plauti temporibus aut *s* aut *ss* scribebant (Priscian. I, 49, p. 36 H.); itaque faciat, qui illam scribendi rationem revocari posse credat (v. Fleckeisen. Epist. ad Ritsch. p. XII sq.), nos codices secuti Græcam litteram retinuimus. Positionis neglectæ exemplum affertur „trapezita“ Epid. 144. Trin. 425, frustra repugnante Müllero p. 259.

Pro *cs* Latini iam ab initio scribendi *x* scripserant. Hic sæpe positio negligitur. Primum in præpositione *ex*, v. Aul. 21. Merc. 174. Stich. 714. Ter. Eun. 573. Heaut. 397. Hec. 528. Ad. 40. 988, et in compositis: „exercitus“ Amph. 102. 125. 500. „exilio“ Merc. 642. „exoptatus“ Mil. 1005. Truc. 511. „experior“ Amph. 631. „extemplo“ Mil. 1227. Pœn. 736. „exturbasti“ Trin. 137. Deinde *senex* Bacch. 1132. Rud. 35. Stich. 563; *uxor* Aul. 32. Cas. 207. 550. 911. Rud. 895. Merc. 240. Ter. Hec. 514. Phorm. 776 præter sedecim locos, ubi antecedente „mea“, „tua“, „sua“ aut „ea“ etiam de synizesi cogitari possit. Postremo in Græcis „Alexander“ Bacch. 940. „Philoxene“ ibid. 1066.

Ps antecedentem syllabam non necesse est producat: primum in pronomine *ipse*, v. Amph. 411. Capt. 278, alia apud Müll. p. 360, qui ab antecedenti vocabulo monosyllabo causam repetit; „eapse“, „eumpse“ cett. (v. Müll. p. 237) forsitan ad synizesin referri possint. Idem fit in præpositione *abs* Aul. 448. Mil. 359. 908. Pseud. 921, vocibusque inde compositis: „abscessi“ Epid. 234, „abstulisti“ Aul. 635, „absurde“ Capt. 71. Item in „obsecro“ Most. 498. Mil. 543, et „opsono“ Bacch. 95. Men. 316.

N quoque sequente alia consonante non necesse est syllabam producat. Sic *tamen*, Mil. 586. Ter. Eun. 889. Hec. 874.

Ad. 145 al., *eho an* vid. Müller p. 288, nisi ibi potius synizesis facta est. *in* Amph. 424 al., vid. Müller p. 345, et in vocibus compositis, ut „incedere“ Aul. 47. Pœn. 984. „inceptat“ Ter. Heaut. 600. 734. „incommoditatis“ ib. 932. „indiligenter“ Mil. 28. „ingenium“ Ter. Andr. 466. Heaut. 880. „iniuria“ Mil. 58. „inpingam“ Ter. Phorm. 439. „inprudens“ Epid. 718. „insimulatam“ Mil. 398. „insaniam“ Ter. Ad. 111; nec enim quidquam refert, quod teste Cicerone apud Gellium II, 17, 2 ante *s* et *f* præpositionis vocalis producitur; præterea „inuidia“ Aul. 474. Ter. Andr. 66, quod commemorat sed male explicat Priscian. p. 546, „inuito“ 1211, al. Nec ea exempla attuli, ubi *n* ante alteram liquidam ponitur, ut assimilatio fieri possit, nec ea, quæ per synizesin explicantur. — Porro frequens est apud *n* interrogativum positio neglecta, ut „itan tandem“ Trin. 642. „haben tu“ ib. 964. „viden scelestus“ Rud. 1093. „Egon quid“ Most. 546. 621.

Nec intra eiusdem vocabuli fines *nt* syllabam longam facit. Videantur verborum 3 pers. plur., ut „decent“ Cas. 219. „habent“ Ter. Eun. 384. „solent“ Heaut. 993. „student“ Ad. 900. „erant“ ib. 332. — *inter* Capt. 610. Stich. 619. Trin. 709, et composita „interest“ Ter. Eun. 233. „interea“ Hec. 42. 157. „interim“ Curc. 485. Most. 1076. Stich. 704. Ter. Eun. 607. „intellego“ Ter. Eun. 737. Phorm. 806; item „intus“ Casin. 563. „intro“ Stich. 534. — Tum „quadringenti“ Bacch. 927. 967. 1177. Rud. 1324. „talentum“ Mil. 1054. „sedentarii“ Aul. 505. „ferentarii“ Trin. 456. „Tarentinas“ Truc. 639. „iuuentus“ Amph. 154. Curc. 38. Most. 30. Pseud. 202, nisi forte ibi synizesis fiebat duarum priorum syllabarum. „uoluntas“ Mil. 1117. Pseud. 538. Stich. 59. Trin. 1166. Ter. Heaut. 1025, nisi forte syncope facta est primæ vocalis. — „ante“ semel corripitur Capt. 243.

Denique *inde* priorem brevem habet Amph. 156. Aul. 359. Capt. 128. Pœn. 2. 905. 1161. Pers. 395. Rud. 960; *unde* Capt. 109. Cist. 391. 498. Curc. 607. Pers. 498. Trin. 218. Ter. Eun. 305. Heaut. 978. — *Umquam* priorem brevem habet Pers. 473. Pœn. 487. Trucul. 232. 241; „ancilla“ Pers. 473.

Ex vocibus in *l* desinentibus *simul* commemorandum est, cuius ultima syllaba vel ante consonantem brevis manet Aul. 615. Mil. 1137. Ter. Eun. 241. Heaut. 803 al., nam ut s'mul pronuntiatum esse credam, non adducor. In „nihil" res non animadvertitur, quoniam semper pro monosyllabo (nil) esse potest.

R finale cum sequenti consonante positionem non facit necessario, v. „pater" Bacch. 1097. Most. 378. Trin. 316. Ter. Phorm. 601. „soror" Pœn. 294. Stich. 23. 25. 72. Ter. Eun. 157. „moror" Bacch. 1181. „amor" Ter. Andr. 261. „color" Eun. 318. — Ne in medio quidem vocabulo, vid. *ergo* Mil. 1002. Merc. 960. Pseud. 1311. Pœn. 884. 896. Pers. 186. Stich. 723. Trin. 926. Ter. Heaut. 993. *argentum* Capt. 1024. Curc. 612. Pseud. 378. 1314. Ter. Phorm. 557. Ad. 202. „arcesso" quæ exempla præbet (v. Müller p. 291), omnia per episynalœphen explicari possunt. — Etiam *hercle* primam corripere videtur, vid. Amph. 729. Asin. 402. 411. 810 al. ap. Müll. p. 317 sq. Negavit Spengel p. 70 sq., sed ita ut antecedens „quidem" aut „tibi" syncope et elisione prorsus evanuisse statueret, quod credi non potest. — Ante *n*: „ornatus" Aul. 711. Men. 804. Trin. 840. 852. „tabernaclum" Amph. 422. 424. „gubernabunt" Mil. 1084, cf. Titin. 128.

Mutarum quoque consonantium non absimilis ratio est. Ante *B* positio negligitur in præpositione *ab*, ut „ab domo" Aul. 105, „ab sese" Bacch. 11, „ab sodali" ib. 185. Formam *abs* et composita eandem formam reddentia supra commemoravimus. „Abduce" prima brevi extat Stich. 418. 438. „obdo" Cas. 818. Sæpius hoc fit in *pt*, ut „optumus" Most. 410. Merc. 324. Pers. 542. „voluptas" Amph. 933 multisque aliis locis, v. Müller p. 261 sq.

C extrema est pronominis demonstrativi et adverbiorum inde derivatorum: *hic*, *hæc*, *hoc*, *hunc*, *hanc*, *huic*, *hac*, *heic*, *huc*, *hinc*. Harum formarum nominativus masculini ancipitem mensuram habet, ceteræ vel natura vel positione longæ sunt, sed apud Plautum corripi possunt, saltem antecedente vocabulo monosyllabo brevi. Exempla collegit Müller p. 319 sqq. 391 sqq., qui de syllabis natura longis præter *hic* et *hac* dubitat nec ab

emendando recedit. Amphitruonis exempla hæc sunt, 38 et 726 „huc“, 353 „hinc“, 910 „hunc“.

Ct neglecta positione invenitur in *senecta* v. *senectus* Cas. 220. Most. 212. Stich. 568. Ter. Phorm. 434. — „Profecto“ Mil. 186. 292. Pœn. 910, semper in principio trochaici septenarii. „actutum“ Bacch. 1195.

Mediæ *g* hæc exempla sunt: „neglegentes“ Pseud. 148. „ignorabitur“ Men. 458, ne in incertis moremur.

Cum dentali littera *t* iungenda est mollioris pronuntiationis littera *d*. Hanc quidem constat in exitu vocabulorum interdum tam exilem sonum habuisse, ut prorsus abiiceretur. Factum est hoc in ablativis, cuius casus antiquam notam *d* constat fuisse, et restant etiam nunc apud Plautum vestigia in formis *med*, *ted*, *sed*. Scripserunt de hac re multa multi; novissime Ritschelius in Novis excursibus, qui hac littera addita omnes a Plauto hiatus removere studet. Abiiciebat item vulgaris pronuntiandi ignavia, quum *hau* pro *haud* diceret. Apud Plautum autem videmus voces in *t* exeuntes ante vocabula a consonanti incipientia positionis legi non paruisse. Exempla præbent *et* coniunctio, Amph. 1144. Most. 602. Men. 988 al., v. Müll. p. 308 sqq. Inde etiam *etsi* Aul. 413. Pers. 271. Ter. Heaut. 624, et *tametsi* Capt. 319. Mil. 744. Ter. Eun. 316. — *ut* Asin. 713 al. v. Müll. p. 374. *ad* Amph. 1014 al. v. Müll. p. 283. *at* Capt. 231. Pers. 171. 844. Ter. Ad. 688. *id* Asin. 510. Curc. 529 al. v. Müll. p. 327. *apud* Aul. 83. 734. Bacch. 270. Epid. 54. Pœn. 1250. Stich. 536. Nam minime probandum, quod Spengelius aliique per syncopen ap'd pronuntiari posse putarunt, non magis quam in *caput* Curc. 360. Cas. 217. Merc. 152 syncope admitti potest aut in verborum tertia persona. Huius rei multa exempla suppetunt, pleraque in primo senarii pede et iambicæ formæ, nec tamen omnia, cf. *dedit* Most. 633. Rud. 1171. Trin. 902. *erit* Pseud. 153. Pers. 263. Ter. Ad. 180. *erat* Trin. 503. *lubet* Bacch. 979. Most. 19. *decet* Bacch. 637. Pers. 214. Etiam „ualet“ Epid. 21. „uenerit“ Pœn. 734. „esurit“ Cas. 743.

Inde corripitur etiam prior syllaba vocis q. e. *atque*, vid. Amph. 230. Aul. 267. 775. Capt. 651. Cas. 209. Curc. 146.

Most. 513. Men. 152. Merc. 571. Pers. 826. Rud. 227. Trin. 824. Trucul. 550. 762 („Egon tibi maledicam aut tibi atque male uelim?“) præter alios locos, qui etiam synizesi explicari possint, ut Amph. 650. Cas. 395. 454. Pseud. 586. Rud. 1267. Spengelius tamen dubitat p. 77 sq.

B. Vocales natura longæ correptæ.

Etiam syllabæ natura longæ interdum apud Plautum corripiuntur. Fit hoc quasi legitime in posteriore syllaba vocabulorum bisyllaborum, quorum prior brevis sit; hic enim, maxime in vocibus frequentis usus et concitatius pronuntiatis, Latinorum sermo vulgo hoc fecisse videtur. Itaque etiam apud ceteros poetas brevis est ultima vocabulorum „ita“, „quia“, „puta“, „bene“, „male“, „modo“, „cedo“, „duo“, „ego“, anceps ultima in „mihi“, „tibi“, „sibi“, „ibi“, „ubi“ et in imperativis secundæ coniugationis, velut „caue“, „habe“, „uale“, „uide“, „tace“. Apud Plautum correpta ultima legitur non solum „caue“, Bacch. 145. Capt. 553. Epid. 396. 431 al. „uide“ Cas. 355. Pers. 27. Trin. 763 al. „tace“ Aul. 320. „tene“ Aul. 407. Cas. 354. Trin. 1019. „iube“ Amph. 939. 1142. As. 881 al., sed etiam „roga“ Curc. 703. Most. 668. Men. 1084. Pseud. 114. Pœn. 1011. „ama“ Curc. 38. „abi“ Mil. 326. Most. 63, al. „redi“ Aul. 81. 436. Trucul. 210. „ueni“ Pers. 31. Item verborum præsentium primæ personæ „eo“, „scio“, „uolo“, „ago“, „nego“, v. Ritsch. Proleg. Trin. p. CLXVII. „sino“ Pseud. 62. etiam „ero“ Ep. 577, „dabo“ Bacch. 101. „dato“ ib. 82. „dari“ Rud. 960. Ter. Phorm. 261. Ad. 311. „loqui“ Bacch. 1096. „dedi“, v. Ritsch. Prol. p. CLXVIII. Præterea „negas“ Capt. 565. Men. 1007. „uides“ Most. 799. Rud. 942. „habes“ Pseud. 161. „oles“ Truc. 132. „aduenis“ Trucul. 128. „sedens“ Bacch. 46. (De formis in *n* interrogativum exeuntibus, uiden, rogan, iuben, abin, dedin, satin al., diximus p. 203.) Adiectivorum et nominum hæc exempla afferantur: „bono“ Pers. 644. „boni“ Truc. 428. „bonas“ Stich. 103. „bonis“ Trin. 822. Ter. Eun. 9. „malo“ Cas. 769. Bacch. 541 al. „mali“ Pseud. 141. „manu“ Trin. 288. „nouo“ Ep. 716. Mil. 625. Ps. 605. „noua“ Most. 257. „nouos“ Truc. 245. 665. „nouæ“ Cas. 118. „domi“ Aul. 73. Most. 276. Mil. 194. Trin.

841. „domo“ Capt. 18. Mil. 378. „foras“ Pœn. 1287. Stich. 597. „modo“ Aul. 587. Trin. 602. „uiris“ Pseud. 173. „uiros“ ib. 166. Stich. 102. „uiri“ Ter. Phorm. 787. „ero“ Aul. 582. Most. 949. „eri“ Mil. 364. „ioco“ Bacch. 73. „dolis“ ib. 1087. „pari“ ib. 1100. „cani“ Epid. 231. „uia“ Ter. Heaut. 101, ne „homo“ commemorem (Ritsch. Prol. CLXVI).

Talia qui per syncopen prioris syllabæ explicare student, miram necesse est habeant linguæ facilitatem; quid autem faciant, ubi vox a vocali incipiat, ut „erus“, omnino non intelligo. Corssen aliique accentus vi factum putant, ut syllaba accentu carens a contigua syllaba, quæ accentum habeat, vincatur, longa a brevi; nos vero nec tam diversi generis res in unum conflare audemus, nec ullam accentui in versibus Plautinis vim tribuimus. Iis potius accedimus, qui brevitate antecedentis syllabæ factum existimant, ut assimilatione quadam posterior quoque syllaba corripiatur, nam in plerisque omnibus brevis syllaba antecedit. Primus Ritschelius Proleg. Trinum. p. CLXVI docuit „in vocalem exeuntes verborum formas iambicas quaslibet vitæ consuetudinem passam esse correpta ultima pronuntiari“. Tum Fleckeisenius in Annalium vol. LXI idem et ad formas in consonantem exeuntes pertinere ostendit et ad vocabula monosyllaba, quibus antecederent altera monosyllaba brevia, ut coniuncta iambum facerent. Müllerus hac una lege quæcumque in prosodia Plautina offendunt explicari posse arbitratus latius eam patere statuit, ut etiam longiora vocabula comprehenderet, si aut eorum principium hanc iambicam formam haberet, aut, quum prima syllaba longa esset, antecedente vocabulo monosyllabo aut quod elisione monosyllabum factum esset, iambica forma oreretur. Sed ne sic quidem deflexa et laxata regula ad omnia convenit, nec non multa restant arbitraria emendatione ableganda. Porro Müllerus iambicas verborum formas simplices hac ratione corripi posse statuit, cum præpositione compositas non posse; sed hic primum excipiendum *nescio*, quod, saltem si *qui*, *quid* aut similia sequuntur, dactyli mensuram habere solet; deinde *aduenis* ultima brevi Truc. 128; *uenerit*, *esurit* commemoravimus p. 205. Quare quum universam rationem recte perspectam censeamus, tamen istis finibus circumscribi posse non arbitramur corripiendi

licentiam. Nam ut apud epicos poetas „endo", „immo", „octo" corripiuntur, ita apud Plautum etiam *quando* sequente *quidem*, v. Men. 1003. Merc. 169. Trin. 352. 991. Negat Spengelius p. 77, sed ita ut „quidem" monosyllabum fieri et elisione prorsus perire censeat. Nec minus *si* ante *quidem*, v. Aul. 678. Bacch. 352. Most. 659. Rud. 484. al. v. Spengel. p. 75 sqq., quamvis rem neget. Recte vero idem V. D. p. 62 sqq. animadvertit, *frustra* apud Plautum constanter ultimam corripere. Etiam *a* præpositio corripitur Most. 994. Pseud. 1141. Trin. 969. *Ecastor* primam corripit antecedente voc. monosyllabo, secundum regulam Mülleri, qui locos collegit p. 387.

Itaque, ut omnia breviter comprehendamus, Plautum apparet sæpe vocales longas corripere, in iis saltem vocabulis aut vocabulorum partibus, quæ iambi formam præbeant. Fit hoc præcipue in particulis et pronominibus; ac facilius hæc licentia in primo pede senarii ac septenarii trochaici conceditur, ita ut pro longa syllaba ponatur iambus. Sed nec his finibus omnia circumscripta sunt, et tota hæc res ex antiquorum eloquendi ratione apta est, quam nos ignoramus; quare in iudicando, quid fieri aut possit aut non possit, summa cautela et modestia adhibenda est.

Illud addendum, in Græcis nominibus latius patuisse licentiam vocalium vel brevium producendarum vel corripiendarum longarum. Nam ut apud epicos poetas metri necessitate cogente „Priamides" primam producit, ita apud Plautum prima syllaba vocabuli *Acheruns*, quæ apud Græcos brevis est, sæpe producitur. Semper longam esse Spengelius p. 69 sqq. probare conatus est, sed frustra. — Curc. 430 „Therapontigonus" legitur secunda longa. — Huc referri poterat etiam vox *trapezita*, quæ sæpe primam producit, nisi probabilior esset Ritschelii sententia (Opusc. II, p. 524 sqq.), qui Romanos antiquos potius *tarpessitam* dixisse putat. Nam quæ apud Græcos ipsos interdum fit in *r* littera cum muta coniuncta transpositio (θράσος et θάρσος, κράτος et κάρτος, ἄτραπος et ἄταρπος, καρδία et κραδίη), ea sæpius apud antiquos Latinos facta videtur, velut et Trasumenus et Tarsumenus dicebatur (v. Quintil. I, 5, 13. Polyb. III, 82), Græcorum

βραδύς est Romanorum bardus, κρίνω cerno, κράνειον cornus, κροκόδειλος corcodilus, v. Phædr. I, 27, 4 et 6. Martial. III, 93, 7. Sed ne ubique apud Plautum tarpessita scribatur, obstat Epid. 144; cf. supra p. 202.

Correptæ longæ exempla primum inveniuntur apud *l* geminatum, ut „Callicles" Truc. 813 prima brevi ac fortasse „Achilles", v. Müller p. 231. Deinde ut apud Græcos αιος non numquam diphthongum corripit (v. Christ, Metrik p. 20), ita apud Plautum pro *æus* interdum fit *eus*, v. Asin. 331 „mercatori Pelleo". Mil. 438 et 808 „Dicea". Capt. 556 „Alcmeus" pro Alcmæone. Præterea „Chium" Curc. 78 brevi penultima, „schema" Amph. 117, quod parum defenditur Hesychiana glossa, apud Græcos etiam fuisse, qui σχέμα pro σχῆμα dicerent. Quam licenter antiqui Romani Græca nomina ad suam linguam accommodaverint, et aliunde notum est et in hoc commentario non numquam commemorabitur.

3.

De vocali addita et de syncope.

In pronuntiandis vocibus ita interdum antiquiores Romani Plautusque a posterioribus differebant, ut syllabam aut adderent aut eximerent. Eximitur syllaba aut per syncopen aut per contractionem; additur facilioris pronuntiationis causa in novis formationibus, maxime si qua de Græca lingua derivantur.

Nam quod Græcis frequentissimum erat, ut iungeretur muta consonans cum liquida (κλ, κμ, κν, πν, τν) atque etiam μ cum ν, id Latinæ linguæ horridius videbatur, quare in transferendis Græcis nominibus brevi vocali addita concursum consonantium mollire studebant. Addebatur autem *u* ante *l* et *m*, *i* ante *n*. Insiticium vocalem cultior ætas plerumque eiecit. Mansit in Æsculapio (Ἀσκλήπιος) et Hercule (Ἡρακλῆς); Patroclem posteriores dicebant, quem antiqui Patricolem dixerant. Antiquis usurpabatur Alcumena, Alcumæo, Tecumessa, atque etiam drachuma (δραχμή); tum Procina, Cucinus (Κύκνος), techina (τέχνη), lucinus (λύχνος), Daphine, Ariadine, gyminasium, mina, quæ forma semper mansit.

In Latinis vocibus simile quiddam accidit, ubi vocabulorum stirpibus in consonantem exeuntibus terminationes adduntur a consonanti incipientes. Nam quæ iungendi causa addenda erat vocalis, eam vel vulgaris loquendi consuetudo vel communis consensus non raro omittit, maxime ubi inter mutam et liquidam interiecta est. Non numquam rara vestigia apud antiquissimos auctores servata sunt talis formæ, quam exculta lingua omnino non agnoscit. Sic „cauitum" pro cautum est in lege Thoria agraria, „cauitionem" affert Festus p. 61, apud Plautum autem Amph. 78 sqq. „fauitores" sunt pro fautoribus; contra vulgo quæstor dicebatur pro quæsitore, nauta pro nauita. Eiusdem generis est „purigare" pro purgare, v. Varro R. R. II, 4, 14, quam formam Plauto quoque reddendam censet Ritschelius Opusc. II, p. 430 sqq., „iurigare" pro iurgare Merc. 117, „obiurigare" Trin. 70, v. Ritsch. l. l. p. 426 sqq. — „discipulina" extat in codd. Most. 154 aliisque locis, ut etiam Asin. 200 restituendum videatur. Atque etiam „extempulo" extat in codd. Bacch. 961. Cist. 98. 402, restitui debet Aul. 93. Mil. 463.

In vocibus terminatione *lum* (*lus*, *la*) post *c* formatis utraque forma (culum et clum) in usu fuit, sed plerumque pleniorem formam cultior oratio, syncopatam vulgaris sermo magis probabat. Nota sunt vinclum, periclum, sæclum, vehiclum, poclum, oraclum, alia, quæ et apud Plautum et apud alios scriptores et in inscriptionibus passim inveniuntur. Item ante suffixa ab *m* et *n* incipientia vocalis intermedia et addi et omitti potest, ut tegmen, balneum, lamna, domnus; maximeque in adiectivis terminatione *dus* formatis antecedente liquida, ut caldus, soldus, lardum, valde (valide Merc. 51). Alia minus solita sunt, velut „postus", quod apud Lucretium extat, „merto" (pro merito) in inscriptionibus; „poplus" Plaut. Aul. 279. Most. 14. As. 4; „manuplares" extat Most. 306, restituendum Mil. 815; „avonclus" legatur Aul. 773. 676; *uidulus* abiecta media Rud. 936. 1106. Et quod „pergo", „surgo" vulgo dicitur omissa etiam radicis vocali, antiquiores non solum „porgo" dicebant, sed etiam „surpio" pro surripio, ut vel Horatius Sat. II, 3, 283; „surpuit" Pl. Capt. 8, „surptus" Pers. 151.

E constat in flexione nominum et adiectivorum in *er* desinentium antecedente muta excidere solere, nec tamen in omnibus. Quod ad Plautum attinet, fere semper *dextera* scribitur, eaque forma restituenda est Amph. 916. Curc. 339; „dextram“ vero Curc. 307, „dextras“ Merc. 954, „dextrouorsum“ sæpius. Similiter fit in voc. q. e. *alter*, nam „altrum“ pronuntiandum videtur Capt. 8, „altra“ Pers. 227.

De aphæresi vocalis in formis *est*, *es*, supra diximus. Hic vero commemoranda est nota illa syncope in præteritis verborum, ubi *i* inter duo *s* omittitur, velut dixti, duxti, intellexti, vinxti, pinxti, emunxti, instruxti, vexti, spexti, misti, discesti, occlusti, inmersti, scripsti, accepsti al., præterea dixe, duxe, vexe, traxe, spexe, inlexe, intellexe, admisse, alia.

Singularis quædam syncope fit in voc. q. e. „satietas“, unde „satias“ fit. Ad hoc exemplum arbitror etiam „pudiciam“ pro „pudicitiam“ pronuntiatum esse Amph. 923. Ep. 401 et „amiciam“ Merc. 834 („Vítam, amicitiam, cíuitatem, lǽtitiam, ludúm, iocum“) et „inimicias“ Pers. 354 („Non égo inimicitias ómnis pluris ǽstumo“). Saltem Horatius sic „puertiam“ pro „pueritia“ Od. I, 36, 8; nec multo aliter „infelicent“ Plaut. Merc. 427. Spengelius quidem aliique et in voc. q. e. pudicitia et in aliis multis primæ syllabæ vocalem syncope sublatam putarunt, ita ut pro monosyllabis essent pudet, piget, lubet, decet, apud, tamen, sine, malus, bonus, male, bene, manus, domus, erus, parum, merum, senex, colunt, dolent, dolus, velim, volunt, voles, voluptas, alia; quod mihi quidem cum Müllero aliisque prorsus incredibile videtur, nec aliud hic factum esse putamus quam correptam posteriorem syllabam vel propter brevitatem prioris vel positione neglecta.

4.

De contrahendis vocalibus.

Priscianus p. 1322 P. = II, 421 Keil. comicos ait omnes crebris synalœphis et episynalœphis et collisionibus et abiectionibus *s* litteræ esse usos scandendo versus suos. De abiecta *s* littera diximus (p. 200), de synalœphis vel contractionibus vocalium iam dicemus.

Geminatio eiusdem vocalis, qua idem sonus continuo bis pronuntiaretur, Latinorum aures — item ut nostras — non nihil offendebat, eamque plerumque contractione duarum vocalium (synizesi) evitabant. Maxime *i* vocalis sibi insidit, ut antiquorum modo loquamur. Sic iacio, ubi cum præpositione iungitur, icio fit (adicio, eicio, cet.); sic pro audiisse, periisse dicebant audisse, perisse; sic genetivi nominum in *ius* aut *ium* exeuntium saltem usque ad Augusti ætatem simplici *i* terminabantur (fili, imperi etc.). Sed etiam in aliis nominum et verborum formis, ubi concurrant duo *i*, interdum vel antiquus vel vulgaris sermo utrumque coniungit, ut in dativo et ablativo pluralis Dis pro Diis omni ætati familiare est. Alia exempla præbent inscriptiones antiquæ, ut „controversis“ Minuciorum sententia, C. I. 199, 45, „coloneis“ pro coloniis Lex Iulia municipalis sæpius. Ibidem (C. I. 206, 3) „isdem diebus“. In Plautinis codicibus interdum „is“ pro iis extat, ut Amph. 92. Asin. 434*). Vulgo „gratis“ dicebatur pro gratiis, et illa forma plerumque in codd. Plautinis extat. Metrum eam tuetur Capt. 406, et fortasse Amph. 162 „ingratis“; in ceteris omnibus Plauti et Terentii locis metrum ostendit trisyllabum vocabulum esse. Item in perfectis quartæ coniugationis interdum duo *i* contrahuntur, ut „exit“ Mil. 378. 418. Asin. 392, ubi „rediit“ scriptum extat, „redit“ pronuntiandum. Cf. Lucr. III, 1042: „Ipse Epicurus obit“, ubi vid. Munro. Si in eiusmodi formis duæ syllabæ pronuntiatæ sunt, verisimile est utramque vocalem non prorsus eundem sonum habuisse; nec antiqui hoc non exprimebant, ubi pro longa i *ei* scriberent, quæ scriptura et in inscriptionibus sæpe occurrit et interdum in Plautinis codd., velut „eire“ pro ire, „ei“ pro i: Merc. 521 A: „redieit“. Ad quæ exempla qui etiam „gratieis“ et similia scribere velit, repre-

*) In Trinum. 17 A „i“ habet pro ii, ad quem locum Ritsch. in Proleg. p. XCVIII: „geminatum i in pronomine non maiorem fidem habet quam in dii, diis, pro quibus aut di, dis ut i, is, aut dei, deis, ut ei, eis veteres probarunt“. — In S. C. de Bacchanalibus „eeis“ scribitur, in legibus proximi sæculi (Antonia de Termensibus, Rubria de Gallia cisalpina, Iulia municipali) „ieis“.

hendi vix possit; nos in antiquitatis vestigiis urgendis temperandum esse censuimus, v. supra p. 159 sq.

Duo *u* posteriores poetæ interdum in unum contrahebant, ut Verg. Æn. VI, 653 „currum", Ovid. Met. XII, 216 „nurum". Antiqui separatim vocales expressisse videntur et quidem cum levi soni discrimine, unde non *uu*, sed *uo* scribebant. Sic „senatuos" sæpius in S. C. de Bacchanalibus.

Ubi addita præpositione duo *e* concurrunt, unum pronuntiatur. Ex poetis nota sunt „deest" monosyllabum, „deesse, deerat, deerit, deero" bisyllaba, item „deerrare" apud Lucretium et Vergilium. In inscriptionibus extant „praesse", „praerit", v. C. I. 198, v. 31; 206, v. 37. 39. 47. 48; etiam „derunt" alia. — Similiter conflantur duo *o*, ut „coperiunt" Lucr. VI, 491; Gell. II, 17, 7 ex Catone et Sallustio affert „fenoribus copertus". Lex Iul. munic. v. 106: „coptato".

H littera inter duas vocales interiecta non impedit, quo minus contrahantur, nec tamen necessaria est contractio. Itaque „præbeo, debeo" dicitur pro „præhibeo, dehibeo"; item „prendo", sed etiam „prehendo", Amph. 1132. Asin. 661 al., v. Spengel p. 217. Et „vemens" et „vehemens" dicebatur (cf. Gell. II, 3, 3), et Quintiliano (I, 5, 21) auctore tragici antiqui etiam „mehe" pro „me" dicebant. „Nemo" solum obtinuit; „ala" quoque, nisi quod „Ahala" proprium viri nomen est. Et „cohors" et „cors" dicebatur; „mihi" autem et „nihil", quoties loquenti libebat, „mi" et „nil" fiebant. Hæc utra ratione pronuntiata fuerint, sæpe diiudicari non potest. Quare codices Plautinos secuti plene ubique scripsimus lectoris arbitrio relinquentes, utrum vocales coniungere velit an non, ut in „deerit" aliisque. Item „dehinc", „antehac"; „dehortatus" coniunctis duabus primis Ter. Phorm. 910, sed „dehortor" trisyllabum Plauto Capt. 210.

Etiam *u* inter duas vocales interiectum interdum synizesin admittit*), ut „audisse, audisti, nequisse, sis, amarim, amasti,

*) Prisciani verba p. 546 P. = 17 H.: „Apud Latinos *u* invenitur pro nihilo in metris et maxime apud vetustissimos comicorum" huc referri non possunt; aliud scriptor significavit; affert enim Ter. Andr. 66 „Sine inuidia", versumque a tribrachy incipere dicit. Nos causam a neglecta positione repetivimus, v. p. 203.

amasse, norunt, flesse, siris, nolo, malo, quorsum, rursum, sursum"; „deorsum" semper bisyllabum, v. Amph. 1124. Aul. 360. 698. Rud. 179; item „seorsum", v. Asin. 359. Ep. 398. „Udus" pro „uuidus", „sultis" pro „si uultis" vulgo notum; „ditis, ditior" non minus; sed etiam „diuitiæ" contractis duabus prioribus pronuntiandum est Trin. 683. Ter. Heaut. 194. In „diuidam" Pers. 755 et „obliuiscendi" Mil. 1359 fortasse idem factum est; in „uiuit, uiuimus" (Spengel. p. 95), in „ciuitatem" Merc. 834 et „clauator" Rud. 805 non credo. Nec, quod multi statuerunt, „nouo, noui, nouis" etc. pro monosyllabis fuisse credo, sed iambici vocabuli alteram correptam esse, nec perfectorum primæ coniugationis tertiam personam singularis eandem formam habere posse atque præsentium, ut „vocat" pro vocavit, Men. 1136, nam hoc quidem præsens est, nec minus cetera, quæ afferuntur, vid. Spengel p. 97 sq., nec earum vocum prosodiam, quas affert Ritsch. Prol. Trin. p. CLI, „iuuentutem, nauem, boues, ouis, Iouem, breui, auonculus, caueto, cauillatio", tali ratione explicari posse arbitror, nedum cum Christio (Metrik. p. 27 sq.) etiam liquida intercedente synizesin admittam.

Aliud synizesis vel synalœphæ genus inveniri videtur in vocibus quibusdam frequentis usus, ubi *e* breve cum sequenti vocali coalescere putarunt viri docti. Hæ voces sunt *meus, deus*, *is*, *idem*, *eo*. Müllerus quidem hæc omnia correpta secunda vocali pronuntiata esse censet, fortasse recte, quamquam mihi cum aliis synizesis non minus veri similis videtur. Sic Capt. 547 „meum memoras" in trochaico septenario dactylum faciet cum thesi trochaico, non proceleusmaticum; Pseud. 1325 „Egone eam?" anapæstum, non proceleusmaticum; Ter. Hec. 48 „Meæ auctóritati", si episynalœphen statuas, ab spondeo incipiet. Similis episynalœphe statui possit Trin. 341 „Non eo hæc". Aul. 161 „deum et". Pers. 558 „ea urbs". Pœn. 891 „meo uni". In plerisque exemplis anceps iudicium erit, cf. „meis" Ter. Hec. 247. „deos" Adelph. 275. „eam" Eun. 952. „eo" Phorm. 201, „eorum" Amph. 479. 1151. Trin. 33; „earum" Pœn. 1098. „eadem, eodem, eosdem, eundem, eandem" etc., vid. Müller. p. 271. 237. „eamus" Amph. 539, plura Müller l. l. — Simili synizesi „aurei" bisyllabum fit Stich. 30.

U ante alteram vocalem interdum aut semivocalis vel consonans fit aut alio modo cum vocali coalescit. Huius generis est „quattor“ apud Ennium Ann. 96. 580. „tenvis“ apud Lucretium, „genva“ apud Vergilium, „sinvare“ apud Silium. Ad Plautum pertinet *duo* in omnibus casibus, maxime „duorum, duarum, duobus“, vid. Müller p. 269 sq. *duellum* Asin. 552. Capt. 66. al. *puella* Cist. 125. Pœn. 1305. Rud. 282. Etiam in *fui* non abhorret a veri similitudine synizesis, ut Men. 17. Ter. Heaut. 399. Phorm. 625. Hec. 489, cf. Bugge in Tidsskrift for Philologi og Pædagogik VII, p. 13. In pronominibus *tuus* et *suus* ut factam esse credamus, suadent formæ „sos“ et „sis“, quas affert Festus p. 301; v. Ennius ap. Lucret. III, 1025. Exempla pronominis „tui“ v. Ter. Andr. 296. Eun. 802. Phorm. 543. „sui“ Andr. 806. 932. „tuo“ Amph. 362.

Sed etiam contrarium interdum fit, ut *u* consonans pro vocali habeatur, talique diæresi vox syllaba augeatur. Sic *reliquus* apud Plautum semper quadrisyllabum est (relicuus), vid. Asin. 231. 439. Capt. 16. Bacch. 1090. Pœn. 721. Etiam „antiquus“ Cas. 7. 13. „consuere“ Asin. 78. 720. „larua“ Amph. 771. Aul. 632. Capt. 592. Cas. 568. Merc. 970. „laruatus“ Men. 875. „miluus“ Aul. 309. Pœn. 1296. Rud. 1124. „miluinus“ Men. 209. Pseud. 857.

I apud epicos poetas semivocalis vel consonans fit in „abiete, ariete, pariete, semianimis, semiadpertus“, al. Apud Plautum idem factum videtur in voc. q. e. „dies“, v. Trin. 578. 843, „diebus“ Pœn. 1211 et „lien“ Curc. 244, „lienosum“ Cas. 391 et „diu“, „diutius“ v. Müller. p. 269. In „prior“, „prius“, „scio“ cum Müllero potius alteram syllabam correptam esse credo. Deinde quod apud Vergilium fit in „Laviniaque“ Æn. I, 2 et „precantia“ VII, 237, ut *i* pro nihilo sit, id apud antiquos in compositis verbi veniendi factum videtur. Nonius quidem p. 507 ex Ennii Hecuba „euenat“ pro „eueniat“ affert, ac Ritschelius proleg. Trin. p. CLXII etiam apud Plautum „peruenas“ „euenat“ „conuenant“ scribenda censet.

Contra *i* vulgo consonans a sequenti vocali diæresi separatur in *iam*, maxime in *nunc iam*, quæ recentissimi editores

in unum vocabulum contrahere solent, quo non opus est, nam etiam simplex „iam“ dissyllabum esse potest.

Sæpius etiam *i* alteram vocalem sequens cum ea coniungitur. Sic *ais*, *ait* monosyllaba fiunt, *aibam*, *aibas* cet. bisyllaba; sed etiam pleniores formæ *aiebam* cet. apud Plautum et scriptæ et pronuntiatæ sunt, v. Spengel. p. 205. *Diei* pro iambo sæpe ponitur, v. Amph. 272. 542. Ter. Eun. 801 al., item *fidei*, v. Amph. 387. Ter. Andr. 296. Hor. Sat. I, 3, 95. *Rei* sæpe monosyllabum, ut Bacch. 940. Ter. Ad. 854, al. Pronomen *quoi* apud Plautum semper monosyllabum est, v. Ritsch. prol. Trinum. p. CLXXI; „quoiei“ in inscriptionibus est, v. Corp. I. L. I, n. 34. 198, 10. 200, 68. *Ei* monosyllabum esse potest, ut Ter. Heaut. 966. Ad. 854; plerumque bisyllabum est et spondaicæ quidem mensuræ, v. Ritsch. Opusc. II, p. 419 sqq. rarius iambicæ, ut Curc. 433. Men. 18. Pseud. 58; in lege Acilia repetundarum „eiei“ est, in lege Rubria „iei“.

Præpositiones in vocalem exeuntes cum vocabulo a vocali incipiente compositæ sæpe in unam syllabam contrahuntur, non solum ubi utraque littera eadem est, vid. supra p. 213, et ubi secunda *i*, ut „eicio, deicio, reicio, deinde, proinde“*); sed etiam „praeut“ Amph. 370. Men. 916. al. „præopto“ Trin. 648. Ter. Hec. 532. „deambulatum“ Ter. Heaut. 587. „deartuo“ Plaut. Capt. 634. 665. „deasciari“ Mil. 881. „deosculabor“ Casin. 444 sic suadente metro; sed „deamo“ eadem de causa trisyllabum Epid. 216. Pœn. 887. 1179. Contrahitur „coerce“ apud Pacuv. v. 47, „coalescere“ apud Lucret. VI, 1068, II, 1061. „coactio“ Asin. 202. „coemptionalem“ Bacch. 979, cf. Lachm. ad Lucret. p. 135. Porro „quoad“ Asin. 294, al.

In Græcis nominibus interdum metrica difficultas contractionem peperit, ut Bacch. 939: „Ulixes Laertius“ (Codd. Lertius). P. Varronis vitium, „Phaeton“ bisyllabum, reprehendit Quintilianus I, 5, 17. „Dicæarchiam“ vulgo contraxerunt, ut Lucil. III, 18 Müll.: „Inde Dicarchitum populos Delumque minorem“, Statius, Silius, Petronius, Sidonius.

---

*) *Proin* bisyllabum est Stich. 464.

IX.

De hiatu.

Quod nuper commemoravimus intra eiusdem verbi ambitum contrahendarum vocalium contiguarum studium, id non minus sed magis etiam perspicitur in verborum concursu. Nam in medio vocabulo sæpe utraque vocalis vel coniungi vel separatim pronuntiari potest (p. 212 sq.), „mehercule“ etiam, „circumire“, „introire“ legitime dicuntur (v. Spengel p. 216); sed concurrentibus duabus vocibus, quarum altera in vocalem exiret, altera a vocali inciperet, Latinus sermo saltem elegantius loquentibus eam pronuntiandi rationem improbabat, quæ utramque vocalem æque exprimeret. „Hoc“ inquit Cicero Orat. 44, 150 „Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere“. Græcis id licuisse animadvertit; „nobis“ inquit „ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis, indicant omnes poetæ præter eos, qui, ut versum facerent, sæpe hiabant, ut Nævius: „Vos qui | accolitis Histrum fluvium atque algidam“ et ibidem: „Quam numquam vobis Grai | atque barbari“. At Ennius semel: „Scipio invicte“, et quidem nos: „Hoc motu radiantis etesiæ in vada ponti“. Hoc idem nostri sæpius non tulissent“. Ne Quintilianus quidem (IX, 4, 33 sqq.) probat „vocalium concursum, quod quum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio“. „Non tamen“ inquit oratorum magister „id ut crimen ingens expavescendum est, ac nescio neglegentia in hoc an sollicitudo sit peior ..... Nam et coeuntes litteræ, quæ συναλοιφαὶ dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur, et non numquam hiulca etiam decent faciuntque ampliora quædam“. Sed quo elegantior est sermo, eo minus hiatum patitur. Artificiosa oratio severior est in hac re quam vulgaris loquendi ratio; poesis hiatum maxime aspernatur. Et apud Plautum quidem quum non pauci hiatus inveniantur, in prologis frequentiores sunt quam in ipsis fabulis. Quod si quis, quoniam prologi plerique alius poetæ et serioris ætatis sunt, inde effici

putat, ut Plautus ipse eiusque sæculum hiatum improbaverit, simile discrimen intra eas fabularum partes extat, quas nemo a Plauto abiudicare potest; nam epistolæ interpositæ, quæ a prosa oratione quam minimum abesse solent, hiatibus abundant*).

Ne Augusteæ quidem ætatis poetas ab hiatu omnino abstinuisse satis constat, v. Madv. Gr. Lat. 501 b; sed quod sibi raro indulsissent, a benevolis auditoribus condonatum iri sperabant. Apud Plautum vero innumeris fere locis codices hiatus ostendunt. Quos qui emendando aut omnes aut plerosque removendos censent, eos valde miramur disertum Ciceronis testimonium pro nihilo putare. Qui quod inter poetas, qui sæpe hiassent, Nævium, non Plautum nominat, eum adfert, quo nemo minus modeste hiatu usus erat, de pluribus eum loqui totus locus ostendit. Fuerunt autem iam inter antiquos editores, qui vel additis voculis, quæ sensui nocere non viderentur, vel mutato verborum ordine, ne Plautus hiatus vitio nimis laboraret, efficere conarentur. Horum agmen ducit Pylades Brixiensis. Recentiorum imprimis Ritschelius angustissimis finibus hiatum etiam apud Plautum circumscriptum esse censebat (Prolegg. Trin. p. CLXXXVII sqq.) idque Ambrosiani palimpsesti auctoritate confirmari arbitrabatur, qua in re eum falli docuit Geppertus (Ueber d. Cod. Amb. p. 43). A severitate Ritschelii paulum regressus est Fleckeisenius (Annal. philol. LXI, p. 49 sq.), Spengelius autem (Plaut. p. 175 sqq.) variis de causis Plautum hiasse docebat. Is adversarium acerrimum nactus est C. F. W. Müllerum (Plautinische Prosodie p. 181 sqq.), qui hac quidem in re etiam Ritschelio severior est sæpeque affirmat, aut Plautum singulari amore hiatus amplexum esse aut codicum scripturam emendandam esse, longe plurimos autem locos lenissima mutatione corrigi posse. Lenes putant VV. DD. eas medendi rationes, quas nuper nominavi; nec equidem admittendas esse nego, si necessariæ sint; illud velim mihi dicant, qua libidine librarios tam sæpe statuant isto modo numeros vitiasse, aut cur homines alioquin satis

*) Prologorum exempla vid. Amph. 125. 134. 146 sqq. Asin. 10. Aul. 5. Capt. 10. Cas. 48. 49. 50. Men. 9. 13. 19. 26. 40. 67. Merc. 4. 6. 20. 105. Pœn. 120. Rud. 7. Trucul. 9. Epistolarum Asin. 749. 50. 52. 53. 55. 62. 71. 97. Curc. 436. Pseud. 44. 72. Pers. 512.

religiosi in ordine verborum prorsus negligentes fuerint. Hoc quoque animadvertendum, quæ nobis lenia videantur, fortasse antiquis gravia visa esse; nec enim tam gnari sumus antiqui sermonis, quem legendo, non audiendo cognovimus, ut, quidquid nobis placeat, utique illis etiam placuisse affirmare possimus. Nos vero non Plautum hiatum in deliciis habuisse censemus, sed non tam elegantes aures habuisse quam posteriores, et quum vel in certis versuum locis vel in certis vocum et syllabarum generibus sine magna offensione hiari posse animadvertisset, hos quoque terminos interdum migrasse. Sed antequam examinamus, quænam hiatuum genera propter frequentiam Plauto quasi legitima videri possint, pauca de hiatus natura in universum præfanda sunt.

Vocalium concursus ne hiulcum sonum reddat, intra eiusdem vocis ambitum synizesi evitari supra vidimus, sed hæc contractio in aliis non est necessaria, velut et „prehendo“ et „prendo“, et „mihi“ et „mi“ dicitur, in aliis ne legitima quidem, ut „introire, circumire, circumagere, cohibere“. Vocabulis autem duobus tali ratione concurrentibus excultæ orationis lex distrahi vocales vetat. Per eam, quæ tum fit, synalœphen prior vocalis ita in posteriorem abit, ut huius quantitas maneat, et si brevis vocalis longam sequatur, elisa longa brevis syllaba pronuntietur. Nec tamen prior vocalis omnino omittitur, sed obscuratur. Testis est Gellius XIII, 21, 6, qui in Vergilii versu „Turrim in præcipiti stantem“ non nullius momenti esse dicit, utrum „turrim“ an „turrem“ legatur. Quod si synalœphe non fit, sed scriptor hiatum relinquere audet, id tamen efficere solet vel iambica vocis forma (v. supra p. 206) vel ipsa vocalium collisio, ut prior vocalis, si longa sit, corripiatur; magis enim offendit hiatus, si vocalis longa manet. Huius vitii, si non multa, at aliqua exempla vel apud epicos poetas extant; apud Plautum quidem maxime in prologis, ut Aul. 5: „patri auoque“. Capt. 10: „Patri huiusce“. Pœn. 120: „patri hospes“. Rud. 7: „ambulo interdius“. Sed etiam Stich. 220: „fame emortuus“ et ante pronomen ab *h* incipiens Asin. 376: „tu hunc“. Capt. 442: „Tu hoc“. Pseud. 33: „tu hinc“. Cist. 522: „quoi hæc“. Truc. 9: „qua huc“. Pessime sonare easdem vocales inter se commissas Quintilianus IX, 4, 33 testatur. In medio vocabulo hic hiatus

fere contractione tollitur; in duorum concursu etiam canori aliquid habuisse eiusmodi hiatum tractoque sono non displicuisse Gellius VI (VII), 20, 3 sqq. censet et aliorum et Homeri maxime exempla afferens. Ex Vergilio addere potuit Georg. I, 281: „Ter sunt conati imponere Pelio Ossam", ex Horatio Od. I, 28, 24: „capiti inhumato". II, 20, 13: „Dædaleo ocior". Exposuit de hac re Geppert in „Zeitschrift für Gymnasialwesen" XIX, p. 896 sq., allato etiam Catul. 75, 1 et Iuvenal. 6, 274. 10, 280. 14, 49. Plauti multo plura inveniuntur exempla, eaque vel inter artissime coniuncta vocabula, ut inter præpositionem et nomen inde pendens*); vid. Cistel. 395: de ea. Mil. 721: de ea. Pœn. 1239: pro offa .... pro osse. Asin. 574 et Stich. 489: me esse. Asin. 932: I in crucem. Most. 326: i i. Men. 220: octo hominum. 436: triginta annis. 1093: a patria auehit. Amph. 149: cum laterna aduenit. Merc. 782: Cum tua amica. Pers. 34: mea amica. Amph. 616: eri imperia. Pseud. 1199: eri imagine. 1071: Si ille. Amph. 276: Nisi item. 724: te heri. Bacch. 4: Qui ilico. Men. 1002: me emittas. 1157: te exorarier. Curc. 258: magistro obsequens. 450: Conclusi itidem. Stich. 220: fame emortuus. 460: auspicio hodie. Truc. 559: partem Herculaneam. Curc. 358: nutricem Herculem. 389: capite Æsculapium. 46: facere. Ea. Pœn. 191: Scio. Oculos 326: germana. Age. 891: uni indicasso. 239: cogita amabo. Men. 1103: salue, ego. Merc. 521: redemi; ille. 598: modo oratio. Capt. 371 et Mil. 1416: gratiam habeo. Merc. 179. 470. 876: tuam amicam.

*) In cæsura aut diæresi hic hiatus extat Amph. 425: inpleui hirneam. 1066: uidebo, optruncabo. Asin. 386: exemplo omnibus. Aul. 69: conmemini; ita. 693: nolo hominum. 800: onustam habeo. Bacch. 358: ingrato homini. 380: lubido homini. 443: dicto; hocine. 460: triginta annis. 687: etiam alteram. Curc. 237: partem Herculi. Most. 539: uero omnia. 1080: illi istoc. Men. 67: divitiæ euenerunt. 533: te ego. 654: plane excidisse. 867: sedendo oculi. Mil. 239: incipissam, hanc. 1367: amisi; ibo. 1371: Investigabo; operæ. 1389: moecho hoc. Merc. 427: di infelicent. 610: diuidiæ est. Pseud. 490: tu ubi. 878: uero hominum. 1072: gnato hodie. 1228: centuriata habuit. 1291: uiro optumo. Pœn. 43: scriblitæ æstuant. 89: argento homini. 688: conpellabo. Hospes. 697: Antiocho oculi. 786: ætati. Id. 973: profecto horum. 1292: irato obuiam. 1292: ergo hospes. Rud. 22: scelesti in. Stich. 502: auspicaui in. 504: me esurire.

Satis constat nec *m* litteram in exitu prioris vocabuli positam nec *h* in principio posterioris hiatum tollere; verum subtilius rem rimanti tamen non nullum his litteris momentum tribuendum esse apparebit. De *m* littera Quintilianus IX, 4, 40: „Illa littera, quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut „Multum ille“ et „Quantum erat“, adeo ut pæne cuiusdam novæ litteræ sonum reddat; neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ coeant“. Quod inde effici posse videtur, littera *m* intercedente hiatum facilius ferri, id eatenus verum est, quod post voces in vocalem exeuntes hiatus tum fere conceditur, si vocalis longa est et corripitur; in brevi vocali, ut in encliticis *ce*, *ne*, *que*, non conceditur; sed si brevis syllaba in *m* exit, hiari potest non solum in monosyllabis, ut *nam*, *cum*, sed etiam in bisyllabis, vid infra p. 224.

Quod ad *h* attinet, Lingius (de hiatu p. 53 sqq.) censebat in voc. q. e. *homo* hanc litteram ita pronuntiatam esse vel pronuntiari potuisse, ut hiatum tolleret. Quod ne quis miretur, animadvertit Italos nostrorum temporum, quum in ceteris vocibus aspirationem abiiciant, in hac una mutare in *u* (uomo). Ut ut est, cum hiatu apud Plautum legitur „flagitium hominis“ Asin. 470. Cas. 529. Men. 478. 695, „quoi homini“ Curc. 556. Most. 932. Rud. 1194, „pedem homini“ As. 768, „simile hominem“ Aul. 111, „esse hominem“ ibid. 221; alia v. p. 220. Bergkius quidem in Philol. XVII, p. 54 sq. in eiusmodi locis *homonem*, *homonis* etc. scribi voluit, assentientesque habuit et alios et Corssenium, Kritische Beiträge zur latein. Formenlehre p. 241 sq. Sed huius formæ unum affertur exemplum Ennii ex Annalibus v. 141 (Prisc. VI, 15 p. 206 H. Charis. I, p. 147 K. Fest. Epit. p. 100). Apud Plautum Pers. 777 cod. B „homonum“, C „hominum“, quod versus flagitat; Pseud. 734 error iam in ipso B correctus est („homoinem“). Quis igitur sciat, an Ennius hanc formam potius de suo finxerit (ut multa) quam ex vero populi sermone hauserit. Mihi quidem probabilior videtur Lingii ratio. Nec enim valde dissimilis est hiatus in „mehercule, mihi, prehendo“ al. Quin si Plautinis codicibus fides, etiam ante „habeo“ hiari

potuit, v. p. 220 „gratiam habeo", Most. 1146: „supplici habeo", Pseud. 346: „quindecim habeo"; porro ante „hasta" Bacch. 426. Most. 148, ante „hostibus" Mil. 4, ante „Hegio" Capt. 335. Pronominis q. e. „hic" plura exempla supra p. 219 attulimus.

In prosa oratione post sententiam finitam pausa fit, nec vocales duarum sententiarum coniunguntur; poetæ, si in medio versu finitur sententia, pausam non faciunt, nec per eam causam minus synalœphe vocalium fit. Fieri potest, ut comicorum oratio sermoni similior hoc minus observaverit et post finitam sententiam interdum hiatum admiserit. Defendit hoc Spengel. p. 218 sqq., impugnavit Müller. p. 675 sqq.; sed multis exemplis reiectis tamen non pauca restant. Aliqua attulimus supra p. 220; alia v. Amph. 343: „Huc eo; eri sum seruos". Cas. 550: „Sed uxorem ante aedis eccam. Ei misero mihi". Pœn. 569: „Víx quidem hercle — íta pauxillast — digitulis primoribus" al.

Inter finitam alterius personæ orationem et incipientem alterius hiatum concedi Spengel. pag. 201 sqq. affirmat, negat Müller. p. 628 sqq., nec infeliciter pleraque exempla removet. Hæc quoque licentia non omnino a Plauto abiudicanda est, sed minime frequens est, nec aut poematis iucunditate commendatur, si quidem celeriter et sine omni hæsitatione colloquia decurrere debent, aut, quod putarunt quidam, rei natura et commoditate pronuntiationis; immo quæ uni personæ difficultas est duarum syllabarum iunctim pronuntiandarum, ea duabus personis non adest. Hiatus exempla vid. Amph. 382. 798. Asin. 726.

Poetis imprimis versus ratio habenda est. Finito versu vox finiri debet, nec syllabas duorum versuum coniungere licet. Quare hoc quidem loco hiatus ne excusatione quidem eget. Sed etiam in medio versuum, eorum quidem, qui constanti diæresi bipertiti sunt, hiatus admittitur, i. e. in octonariis iambicis et trochaicis post alteram dipodiam, nec minus in septenariis; item in creticis tetrametris. Senarii vero in cæsura hiatum patiuntur, maxime in tertio pede, sed non numquam etiam in aliis, vid. supra p. 183.

Aliæ rationes ex ipsius sermonis et pronuntiationis natura repetendæ sunt. Sic interiectiones quum plerumque ut

ceteræ orationis partes cum proximis vocibus iunctæ, ubi vocalem vocalis excipit, elisionem patiantur, tamen interdum, quasi divulsæ a reliquo sermone, hiatu a proximis separantur. Fit hoc maxime in monosyllabis, ut „ah, au, o, heu, em“, v. Müller, p. 723 sqq.; sed etiam „Eugepæ“ Capt. 815.

Ab hoc non multum abhorret, quod etiam post vocativos interdum hiatur, v. Amph. 1097: Amphitruo. As. 609: Libane. Men. 423: Messenio. Mil. 1319: Philocomasium. Pers. 616: Virgo. Stich. 466: Epignome. Truc. 328: Astaphium.

Sed latissime patet ea sive lex sive exceptio legis, qua Plautus omnino post monosyllaba vocabula hiatum concedi posse putavit, ita quidem, ut vocalis, si longa sit, corripiatur (vide supra p. 219, ubi etiam exceptiones afferuntur). Id utrum perspicuitatis causa fiat, ne obscurata per synalœphen pronuntiatione vox parvi ambitus parum intelligatur, an propter aliam quandam linguæ aut sermonis rationem, diiudicare non audeo. Quod autem, qui primus hanc legem proposuit, Bentleius (Schediasm. § 8), addit hoc fieri „in priore syllaba solutæ arsis, ut sé erat, quém amat“, id parum accuratum est; nam fit etiam in thesi, quam dicit, sive in leviore pedis parte. Hoc liquido apparet in anapæsticis; in iambicis et trochaicis, si levior pedis pars bisyllaba est (velut „ne ego híc“), non apparet, quoniam nullo externo signo indicatur, utrum una an duæ syllabæ pronuntiandæ sint; nam Latinorum licentia tam anapæstum quam iambum, tam dactylum quam trochæum in his locis fert. Sed extant etiam exempla huc pertinentia, ubi levior pedis pars monosyllaba sit. Neque hoc Fleckeisen non animadvertit, qui (Annal. LX, p. 49 sqq.) hiatum post monosyllaba omnino „ante brevem vocalem“ concedit, i. e. non solum, ut ait Bentleius, „in arsi soluta“, sed etiam „in thesi ante arsin solutam“, ut „cum álio“. Verum ne hoc quidem satis accuratum est, ut ostendit Spengel p. 210; nam invenitur hiatus eiusmodi etiam ante longam syllabam non soluta graviore proximi pedis parte, ut Amph. 507: te Amphitruonem. 548: quam ob rem. 397: cum Amphitruone. 494: cum Alcumena. 967: hi ambo. 978: qui obuiam. 656: me haud. 805: te audio. Asin. 500: te interdictis. 574: me esse. 626: me ad. 691: tam indignum. — Quare hoc simpliciter affirmare licet, post monosyllaba hiatum Plauto conces-

sum esse visum; nec in ulla re minus successit Müllero, quam quod hoc quoque negare conatus est (p. 725 sqq.).

Etiam in bisyllabis Spengel. p. 204 animadvertit hiatum inveniri, ubi soluta „arsi" i. e. thesi, ut nos loquimur, pro longa syllaba ponatur vox aut pyrrhichii mensuram habens aut iambi, qui correpta ultima ante vocalem sequentem pyrrhichius fiat. Hoc quoque Müllerus impugnat, p. 699 sqq., sed sublatis omnibus, quæ alia quavis de causa dubia videntur, tantus relinquitur exemplorum numerus, ut de re vix dubitare liceat. Videas Asin. 314: sibi esse. Capt. 413: tibi ea euenerunt (aut post „tibi" aut post „ea" hiatur). 816: sibi Ætoli. Curc. 267: tibi auxilio. Cas. 50: sibi uterque. 752: mihi inanitate. Cist. 329: tibi uxorem. Men. 382: tibi et. Merc. 282: tibi esse. 955: tibi amicam. Pœn. 574: tibi in. 1310: tibi hanc. Pers. 94: mihi incocta. Truc. 58: mihi hæc. 872: ubi amici. Most. 1179: ibi utrumque. Amph. 276: Nisi item. Merc. 833: Domi erat. Mil. 441: heri Athenis. Merc. 253: heri aduectus. Amph. 616: eri imperia. Pseud. 1199: Eri imagine. Amph. 458: ego hodie. Men. 888: ego hominem. Mil. 653: ego umquam. Merc. 577: ego uxorem. Most. 370: Iube abire. Bacch. 49: Duæ unum. 377: tuâ infamiâ. Amph. 248: suâ optruncauit. 1122: meæ uxori. Aul. 455: mei honoris. Cas. 906: tui amoris. Merc. 204: meæ emisse. 782: tuâ amicâ. Pœn. 876: tuæ hirquinæ. 891: meo uni. Rud. 752: tuæ istæ. Amph. 1102: tuam esse. Asin. 140: meum isti. Bacch. 468: eam esse. Merc. 179. 470. 876: tuam amicam. Pseud. 654: suam huc. As. 278: erum in. Curc. 596: manum arripuit. Trucul. 749: manum iniciam. Pseud. 319: canem agninis. Pers. 650: Emam, opinor. — Semel etiam *a* breve nominativo casu Pers. 34: mea amica. — Nec Spengelio credendum hoc tantummodo „in arsi soluta" fieri; nam fit etiam in leviore pedis parte, v. Cas. 59: propterea úna. Most. 547: cum eo úna.

Hoc igitur statuendum videtur, Plautum hiatum sibi concedi putasse post voces monosyllabas et post bisyllabas, quæ pyrrhichii mensuram haberent, sive natura brevis posterior syllaba esset sive propter affinitatem correpta; in vocibus plurium syllabarum perrarum esse hiatum nec sine excusatione ferendum.

COMMENTARIUS

IN

AMPHITRUONEM.

Fabulam de Amphitryone et de Herculis natalibus sic narrat Apollodorus Bibl. II, 4, 8. Amphitryonem postquam infelici casu Electryonem patrem Alcmenæ, quam sibi uxorem spoponderat, occidisset, exulem cum sponsa Thebas venisse Creonte rege. Inde ad bellum contra Teleboas sive Taphios, quorum rex Pterelaus Alcmenæ fratres interfecisset, profectum interfecto Pterelao magnam victoriam reportasse. Sed antequam Thebas revertisset, Iovem eius forma indutum Alcmenam invisisse et quasi e bello reversum omnia, quæ ibi acta essent, ei narrasse tantoque eius amore captum fuisse, ut noctem illam triplicem longitudine redderet. Paulo post verum Amphitryonem advenisse, quem quum Alcmena, quippe quæ nuper eum discessisse neque nunc demum e bello periculoso redire censeret, parum læto animo salutasset, mirantique et expostulanti respondisset eum proxima nocte secum fuisse, turbas explicasse Tiresiam vatem summum Iovem cum Alcmena concubuisse docendo. Alcmenam geminos pueros peperisse, Herculem et Iphiclem, alterum ex Iove, ex Amphitryone alterum. Quod ne dubium maneret, uter utrius filius esset, Iunonis invidiam effecisse. Quæ quum pueris octo iam menses natis duos angues ingentes immisisset, Herculem infantem manibus suis utrumque elisisse.

His poeta comicus ita usus est, ut Amphitryonem imperatorem Thebanorum cum Telebois bellum gerentem faceret relicta domi Alcmena uxore ex se iam aliquot menses gravida. Victor bello confecto rediens Sosiam servum domum cum nuntio ad uxorem præmisit. Sed huic obviam fit Mercurius Iovis filius idemque famulus ipsius Sosiæ formam gerens, eumque, ne patris

amori impedimento sit, ludificatum verberatumque ab ædibus abigit. Servus iam prope ipse de se dubitans ad herum revertitur, a quo quasi fabulas narrans vehementer increpatur. Ipse autem Amphitryo uxorem post tantum tempus lætus revisens eamque iis, quibus decebat, verbis salutans longe aliter ab ea accipitur, quippe quæ se ab eo, quem nuper discessisse putat, ludibrio haberi censeat. Inde convicio orto maritus uxori adulterium exprobrat; ipse abit, ut homines quærat, quorum testimonio probet se proxima nocte Thebis non fuisse. Interim redit Iuppiter personam Amphitryonis gerens blandisque verbis uxorem propter maledicta mariti iratam placat cum eaque in gratiam redit; Amphitryo autem a navi, ubi testes frustra quæsierat, reversus domum clausam invenit et a Mercurio, quem pro Sosia habet, importune et proterve abigitur. — Hinc pars non parva fabulæ interiit. Apparet turbas auctas esse ita, ut, quum Iuppiter ipse in scenam prodisset, uter verus esset Amphitryo, homines ambigerent. — Tandem postquam Alcmena geminos peperit, non Tiresiæ monitu, sed ipsius Iovis numine manifesto et voce viva, quid factum sit, Amphitryo comperit.

Plauti Amphitruo ex quo Græco poeta Latine versa sit, ignoratur. Nam ut eos omittamus, qui sine ulla ratione de Epicharmo cogitarunt, quoniam Rhintonis Syracusani *Ἀμφιτρύων* apud Athenæum III p. 411 c. laudatur, fuerunt, qui inde fabulam hanc deductam putarent et ad hilarotragœdiæ genus referrent. Quod genus quamvis parum notum sit, nec Laurentio Lydo levi auctori tantum tribuere ausim, ut aut totum aut maximam partem hexametris scriptum fuisse putem, tamen mihi quoque ut Osanno („Ueber den Amphitruo des Plautus“ in Museo Rhenano II (1834) p. 305 sqq.) a comœdia diversum fuisse videtur. Ut ad verum comœdiæ genus transeamus, primum Casaubono ad Athenæum III p. 110 d. „Platonis Nox longa“ videbatur „non dissimilis fuisse argumento Amphitruoni Plauti“; id quod nec ex solo nomine nec ex paucis, quæ extant, fragmentis probari potest. Alii Archippum auctorem fuisse putarunt, et ipsum antiquæ comœdiæ scriptorem, quem Ol. XCI victoriam reportasse Suidas tradit. Huius *Ἀμφιτρύων* atque etiam *Ἀμφιτρύων δεύτερος* laudatur; fragmenta collegit Meineke II, p. 715. Hæc cum Plautina fabula

parum congruere iure iudicarunt primum Osannus, deinde, quum Ladewigius (Mus. Rhenan. nov. III (1845) p. 184) contrarium probare conatus esset, E. Hoffmann dissertatione de Plautinæ Amphitruonis exemplari et fragmentis Vratislaviæ 1848 edita. Sed tamen, quasi omnino necesse esset, ad Archippum auctorem Latina fabula aliquo modo referretur, Osannus non dubitat, quin partes aliquas Archippeæ fabulæ Plautus in suum usum converterit, Hoffmannus priorem Archippi fabulam Plautum imitatum esse statuit, posteriori fragmenta a grammaticis allata tribuit. Quæ mihi quidem hariolatio videtur. Etenim fabula nostra ab iis, quas novimus, antiquis comœdiis, Aristophaneis dico, tam diversa est, ut eiusdem temporis aut generis esse non possit. Quod autem inter hanc fabulam ceterasque Plautinas aliquid interesse videtur, discrepantiæ causa in argumento est, non in tractatione argumenti. Huius enim comœdiæ argumentum non ut ceterarum ex quotidiana hominum vita eiusque rationibus ducitur, sed ex heroum et deorum fabulis, quæ tragœdiæ, non comœdiæ esse videntur. Sed est hæc fabula ad risum movendum aptissima, itaque tractatur, quasi non di et heroes, sed vulgare hominum genus, domini servique, mariti et mulieres agant. Vera igitur est comœdia, sed ex tragico sumpta argumento, unde non iniuria prologus tragicocomœdiam dixit (v. 59). Neque hoc nomine novum aliquod genus significatur; nam ita composita est fabula, ut ab iis comœdiis, quæ post Alexandri mortem agi solebant (ἡ νέα κωμῳδία), vix ulla in re abhorreat. Illud fatendum est, hos poetas perraro ex deorum et heroum fabulis argumenta petisse — unum, nisi fallor, exemplum est Amphiarai, quem et Apollodorus Carystius et Philippides scripserant — quum in medio comœdiæ genere nihil frequentius sit. Quare si quis mediæ potius quam novæ comœdiæ Amphitruonem attribuendam dixerit, repugnare fortiter non ausim, affirmare de genere prope ignoto et cuius nullum ad nos exemplum pervenerit, temerarium foret. Argumentum autem vere comicum, a quo ne Sophocles quidem abstinuit, cuius Ἀμφιτρύων drama satyricum fuisse videtur, sæpius a comicis tractatum esse verisimile est; nam Iovem adulterum non raro in scenam productum esse constat. Huius rei insigne testimonium est vas pictum, hodie musei Gregoriani,

Iovem cum Mercurio adulterii causa grassantem comico habitu exhibens. Vas notissimum primum edidit D'Hancarville, Antiq. Etrusc. IV, pl. CV, deinde Winckelmann, Mon. ined. n. 190, C. O. Müller, Denkmäler der alten Kunst II, n. 49, Wieseler, Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens IX, 11.

Quo anno hæc Plauti fabula primum acta sit, omnino ignoramus; nam prorsus nihili est, quod Ladewigius l. l. ex prologi vss. 91 sq. cum Livio XXXIV, 44, 6 sq. collatis anno a. Chr. n. 195 aut 194 factum suspicatur, præsertim quum prologus ipse sine dubio posterioris ætatis sit, vid. supra p. 163.

Quin placuerit hæc fabula, dubitare non possumus. Est enim plane egregia, et optime morata et imprimis ridicula. Itaque multos invenit imitatores. Iam XII sæculo Vitalis Blesensis ex Gallia ex hoc fonte duxit poema „de Geta et Byrria" s. Amphitryoneis elegiaco metro scriptum, quo dialecticas scholasticorum disputationes ridet. Geta enim, qui Plauto Sosia fuerat, Amphitryonem herum non in bellum, sed Athenas in scholas secutus logicæ scientia inflatus se, quidquid libuerit, probare posse putat, dum ab Arcade (i. e. Mercurio) suam personam gerente argumentis convincitur se Getam non esse, atque adeo nihil esse, et præ sana conservi Byrriæ mente ridiculus apparet. Edidit hoc poema Maius in Classic. auct. e Vatic. codd. vol. V, 1833; deinde Osannus, Darmstad. 1836; Th. Wright, Early mysteries and other Latin poems of the 12th and 13th centuries, 1838; postremo Montaiglon in Bibliothèque de l'école des chartes II. Serie, vol. IV. Poema, si ætatem consideres, egregium ineunte sæculo XV et in Italicam linguam conversum est a Ghigo Brunelleschi et Domenico Pratensi et in Gallicam ab Eustachio Descamps, cuius opusculum „Le traicté de Geta et d'Amphitryon" a. 1872 edidit de Queux de St. Hilaire.

Verum hoc poema legentibus scriptum, non in scenæ usum compositum est. Post renatas autem antiquas litteras non paucas Plautina Amphitruo comœdias peperit, quarum quæ in meam cognitionem venerunt, enumerabo. Iam anno 1487 Amphitruo Plauti Italice versa Ferraræ acta est; verterat autem „in terza rima" Pandolfo Collenuccio. Proximo sæculo L. Dolce Italus ad eius exemplar fabulam scripsit, cui nomen „il marito", simi-

lemque Fernando Perez Hispanus (Cordubæ 1585). Sequuntur maioris nominis poetæ, Rotrou Gallus, qui scripsit „Les deux Sosies", Molière, cuius Amphitryon vulgo notus est, Dryden Anglus apud suos celeberrimus, Kleist Germanus. Quorum quum alius aliud quasi ex perenni fonte haustum in suum usum converterit, alius alia lingua loquentem aliisque moribus educatum Amphitruonem reddiderit, omnes tamen Plauto inferiores abiisse videntur.

Nomina personarum partim ex antiqua narratione repetita sunt, partim ad vulgarem comœdiarum morem formata. *Sosia* servile nomen est non infrequens; *Blepharo* gubernator navis dicitur a spectando (*ἀπὸ τοῦ βλέπειν*), *Bromia* ancilla, quæ cum tumultu (*βρόμῳ*) et eiulatione ex ædibus exit (v. 1069)*). Quod *Amphitruonem*, non *Amphitryonem* scripsimus, fortasse parum nobis constare videbimur, qui in præfatione (p. 159) nos ad Augusteæ ætatis morem ordinata scribendi ratione *y* Græcum in Græcis vocabulis retinere diximus. Nec repugnarent codices, quorum vel vetustissimus, Vaticanus ille, quem unum ducem sequimur, semper aut Amphitrionem aut Amphytrionem habet. Sed in argumento acrosticho Amphitruo est *u* pro *y* posito, quod quamvis antiquitatis ille sectator necessitate coactus fecerit, quia nulla vox Latina ab *y* incipit, tamen in hac quidem re dubitari vix potest, quin ipsius Plauti manum restituerit. Itaque ea nominis forma, quæ iam ab omnibus editoribus usu recepta est, nobis quoque saltem recepti moris servandi causa retinenda visa est. In priore argumento, ubi hæc ratio minus valet, *y* reliquimus.

Hanc fabulam separatim ediderunt cum commentariis maximam partem criticis Fr. Lindemannus 1834 et F. G. Holtzius 1846.

---

*) Quod in cod. B *Bronia* scenæ superscribitur, manifestus error est; vera nominis forma extat v. 1093. Gubernatoris nomen in codd. *Blefaro* scribitur, nos rationem secuti sumus.

Argumentum I.

2. *Dum* mire cum coniunctivo iungitur, quare Fleckeisen *quom* scripsit. Sed in argumentis multa inveniuntur vel sermonis vel numerorum vitia auctori potius quam librariis imputanda. — *Teleboas* ab Amphitryone victos commemorat Herodot. V, 59. Strab. X, 2, 14, qui eosdem Taphios et Cephallenios habitos esse dicit. Ceterum cod. B initio constanter „thelobois" aut „telobois", inde a v. 410 demum „teleboas" habet; quam formam quum ubique restitueremus, ne varietatem quidem scribendi notare voluimus. — 3. *Alcumena* antiqua et vere Plautina nominis forma est; posteriores demum omissa vocali additicia Græcam formam reduxerunt, sicut Iulius Cæsar Strabo, ut ait Marius Victorinus I, p. 2456 P., „primus de Tecmessa scripsit tragœdiam suam et in scena pronuntiari iussit". Hanc formam editores hic et v. 5 versus causa prætulerunt; sed quis sciat, an argumenti scriptor primam nominis syllabam corripuerit? — *usurariam* vid. v. 494. — 7. *dolis* male ex v. 5 librarius addidisse videtur; sustulit Both. Antiqui edd. „mirum in modum".

Argumentum II,

acrostichon.

1. *Alcumenas*, i. e. Alcmenæ. Antiquitatis sectator antiquam genetivi formam posuit ipsi Plauto, ut videtur, non probatam. Fuisse antiquitus talem formam ostendit „paterfamilias" et similia, quæ etiam ad posteros manserunt. Præterea ex Livio Andronico affertur „escas", „Monetas", „Latonas", ex Nævio „filii terras", „fortunas". In antiquis autem titulis interdum *es* et *aes* invenitur, ut Monimes, Laudicaes, Minerves, Dianaes (v. Indic. Corp. Inscr. Lat. I, p. 603). Non Græcam, sed proprie Latinam hanc formam esse contendit Ritschelius, Neue Plautinische Excurse I, p. 115.

2. Post *formam* hiatur; edd. transp. „eius formam". — 5. *frustra habet.* Plautus *frustratur* dixit v. 823; illud Tac. Ann. XIII, 51. Ammianus XVIII, 6, 6: „si Persæ frustra habiti redissent ad sua". — 6. *invicem*, inter se, Iuppiter et Amphitryo.

Hæc scena fabulæ interiit. — 7. *Raptant*, non convicio solo, sed etiam manibus aggressi, cf. Aulul. 622: „Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa verberas?" — 8. *non quit.* Verbum sententiæ primariæ in sententia secundaria interponitur, cf. Amph. 84: „Quiue quo placeret alter fecisset minus". Sæpius Lucretius, v. Munro ad III, 843; cf. Madv. Gr. Lat. 474 h. — 9. Versus septem iamborum. Both. Fl. ed. „geminos illa enititur". Facilius omitteretur voc. „geminos", ut „dolis" Arg. I, 7.

Prologus

huius fabulæ eiusdem est generis atque plerique, qui Plauti fabulis anteponuntur, i. e., ut in prolegomenis p. 163 exposuimus, non ab ipso Plauto profectus, sed paulo posteriore ætate additus. Quare si quem loquacitas aut ineptiæ aut aliud quidquam offendat, Plauto imputare nolito.

Prologi partes Mercurius agit in Sosiæ speciem personatus (v. 141 sqq.). Is spectatores orat, ut benigno silentio fabulam audiant iustique tam fabulæ quam histrionum iudices sint a pravo ambitu et partium studio remoti. Deinde argumentum exponit et errores, unde tantæ turbæ oriuntur et tantus risus movetur, accurate explicat ac, ne idem error, qui fabulæ turbas creat, etiam spectatores teneat, prospicit.

Vs. 1—15. „Ut me" inquit „lucro et bonis nuntiis vos augere vultis, ita vos fabulam agenti mihi, atque adeo nobis, silentium præbeatis". *Uos* obiecti locum tenet. *lætum* i. e. propitium, nam ut tristis animus ad iram, ita lætus ad benignitatem propensus est. — 4. „*uostrorum* multifariam scriptum est pro *uostrum*", ait Gellius XX, 6, 12 afferens Most. 275. Add. Aul. 313, Pseud. 586. Similiter *nostrorum* infra 1050, Pœn. 864; *nostrarum* Trucul. 251. Terent. Eun. 678; *uostrarum* Pseud. 185, Stich. 145, Ter. Hec. 240. — 5. *expedire* transitivum esse apparet, ut subiectum *me* aut audiatur aut addendum sit. Hoc prætuli suadente Gertzio meo, ut voluerat Loman. Miscellan. philolog. Amst. 1850, p. 177. — *peregri* pro *peregre* cod. B. pr. manu habet secundum regulam, quam proponit Charisius

p. 189 P. = 212 K.: „*peregre* cum abit quis dicimus in locum . . . ., *peregri* autem, cum in loco est; Plautus in Persa (30): quia erus peregri est"; ubi codd. Plaut. „peregre". — *que* — *et* ne quis a Plauto alienum putet, cf. Capt. 311. Cist. 12. Mil. 622. Pœn. 3. Stich. 658. Similiter Terentius Eun. 876. Ad. 64. — 7. *Quasque* — *quasque*, cf. infra 166. Cist. 354. Stich. 107: „Nullus præter nosque teque". — 9. *ea adferam, ea ut nuntiem*, sic codd.; sed fieri vix potest, ut coniunctio in priore membro omittatur, in altero ponatur; quare priori quoque *ut* addidi, quamvis numeri minime placeant. In codicum scriptura quum hiatus offendisset, Camerarius „eaque ut nuntiem" scripserat, Fl. „ea uti n." — 12. *nuntiis praesim et lucro.* Mercurium et pro deorum nuntio fuisse et hominibus lucri, maxime ex mercatura accepti, auctorem habitum esse satis notum est. Quod in hac sententia *ut* omissum est, cf. infra 969. 626. 869: „faciam res fiat palam". Stich. 180: „fecit ridiculus forem". Men. 348: „Vide, quod opust, fiat". 927: „Scin quid facias optumumst?" Merc. 883: „Quin facis, ego uideam?" Asin. 637. — 13. *adprobare*, nam nisi diis adprobantibus parum fida est hominum fortuna et industria. „Dii adprobent" vulgo dicebant, ut Cicer. Verr. V, 19, 49. ad Fam. II, 15, 2. ad Att. VI, 6, 1. al. Metellus Numidicus ap. Gell. I, 6, 8: „Dii immortales uirtutem adprobare, non adhibere debent". — *adnitier.* Pareus, Both., Lom. „ac nitier", sed asyndeta varii generis inveniuntur apud antiquos. Verborum sic adpositorum apud Plautum non pauca exempla sunt: infra 916. Asin. 168. 257. Bacch. 403 („perdidit, pessum dedit"). 428. 546. 628. Cas. 494. Men. 338 („adplicant, adglutinant"). Mil. 137. Merc. 55 („trahere, exhaurire"), al. Nominum exempla v. 891. — 15. Cf. Pœn. prol. 3: „Sileteque et tacete atque animum aduortite". — *facietis*, futurum pro imperativo, vid. Madv. Gr. Lat. 384 not. — 16. *arbitri*, i. e. iudices. Spectatores probando et improbando de fabula iudicant. Orat, ut æqui et iusti iudices sint. Holtzius confert Terentii prologos, Eun. 29: „Id ita esse, uos iam iudicare poteritis". Heaut. 12: „Vostrum iudicium fecit". 25: „Arbitrium uostrum, uostra existimatio ualebit". Ad. 4 sq.: „Vos eritis iudices, laudine an uitio duci id factum oporteat".

17. *quoius iussu uenio et quam ob rem uenerim.* Sæpe a grammaticis animadversum est, interrogationes obliquas apud priscos scriptores Latinos tam indicativo quam coniunctivo modo poni. Qua in re quum sine lege variari parum veri simile videretur, nuper viri docti certioribus legibus modorum usum terminare conati sunt, maxime Fuhrmann in „Jahrbücher für Philologie CV, p. 809 sqq. et E. Becker in Studemundi Studiis ad priscos scriptores Latinos I, p. 117 sqq., laudabili uterque studio et diligentia; sed constantem fuisse in hac re Plauti et æqualium usum neutri probare contigit. Nam ut omittam „nescio quis" et similia, v. 823. 420, ubi verbum cum interrogandi pronomine coniunctum non tam sententiam alteram regit quam eius pars fit, facile intelligitur indicativum poni, ubi laxius coniunctis primaria et secundaria sententiis potius parataxis quam hypotaxis fiat, ut v. 848 sq. „dic mihi verum serio: Ecquis alius Sosia intust?", coniunctivum, ubi artius coniungantur sententiæ, velut ubi subiectum sententiæ secundariæ in obiectum primariæ mutetur, cf. Asin. 27. Bacch. 550: „dic modo hominem qui sit"; quarum rationum utram præferat scriptor, plerumque parum refert. Hoc quoque recte animadversum videtur, in sententiis eiusmodi, quales sunt Asin. 875: „Audin quid ait?" Men. 904: „Audin tu, ut deliramenta loquitur?" Asin. 148: „uiden ut ne id quidem me dignum esse existimat?" al., ubi interrogatio adhortationis vim habeat, antiquissimos quosque indicativum ponere solere, ubi vera interrogatio sit, coniunctivum legitimum esse, ut Ter. Hec. 76: „Audin quid dicam?" Asin. 696: „scin ut dicam?" Men. 299: „Non scis quis ego sim?" Most. 55: „Qui scis, an tibi istuc eueniat prius quam mihi?" Sed etiam Men. 204: „Scin quid uolo?" Etenim ubi sentiendi alicui verbo enuntiatum ab interrogatione incipiens pro obiecto adiungitur, non raro indicativus ponitur ita, ut nihil omnino differat a coniunctivo. Nec solum dicitur Aul. 47: „Vide, ut incedit!" et similia, quæ forsitan aliquis ad paratacticam rationem referat; sed etiam Amph. 356: „Vide sis, quam mox uapulare uis". Stich. 411: „Videte quæso, quid potest pecunia". Quæ si comparaveris cum Ter. Andr. 825: „Vide quam iniquos sis". Plaut. Merc. 102: „videte, quam

mihi ualde placuerit", quid intersit, quærere nimiæ subtilitatis videtur. Similiter comparetur Aul. 169: „Scio quid dictura es" cum Men. 753: „scio quid siet rei", alia. Ac ne minima relinquatur dubitatio, quin uterque modus in his sententiis sine discrimine ponatur, interdum ex parallelo ponuntur indicativus et coniunctivus ab eodem verbo pendentes, ut h. l., cf. Most. 194: „quæ sim et quæ fui ante". ib. 953: „Scio qua me ire oportet et quo uenerim, noui locum". Cist. 58: „Eloquere utrumque nobis, Et quid tibi est et quid uelis nostram operam". Pers. 515: „nescis quid te instet boni, Neque quam tibi Fortuna faculam lucrifera adlucere uolt". Quæ qui coniectura removere conatur, ut Beckerus, qui h. l. scribi iubet: „et quam ob rem huc missus sum", mihi quidem iusto audacior videtur.

19. *Iovis* pro pyrrhichio legendum. — *Mercurio* Guietus em. — 21. *tametsi* pro anapæsto legendum, vid. p. 205. — *pro imperio dictum* iungenda esse Gronovius monuit. — 22. *facturos*, sc. vos. Subiectum accusativi cum infinitivo auditur etiam, ubi diversum est a subiecto verbi regentis, cf. infra 341. 718. Capt. 267. Curc. 538: „Ne te mi facias ferocem aut supplicare (sc. me tibi) censeas". Most. 267: „unguendam (sc. me) censes". 415: „dicito facturum (sc. me)". 740: „te hoc orare iussit (sc. me)". Mil. 721. Pœn. 1002: „Audin pollicitarier (sc. eum)". Rud. 1213: „Dicito daturum (sc. me) meam illi filiam uxorem". Stich. 265. al. — *quippe qui intellexerat*, vid. infra 738. — 23. *precario*, multis precibus, cf. Cic. Verr. V, 23, 59. al. — 26. *ille Iuppiter*, histrio Iovis partes agens. Is primarius histrio atque adeo dominus gregis fuisse videtur, quoniam eius maxime refert, utrum fabula placeat an non. — 29. *praetimet.* cf. Cæsar. B. G. VII, 49: „praemetuens suis". — 30. *quoque etiam* sæpe Plautus, v. infra 81. 277. 710. 746. Epid. 231. Men. 1136. Pers. 743. Pseud. 937. Truc. 98. 862. Trin. 1048. Terent. Hec. 734. 762., atque etiam Cicero Verr. III, 88, 206: „quæ forsitan alii quoque etiam fecerint". Inverso ordine *etiam quoque* legitur infra 457. 695. Asin. 560. Curc. 130. Most. 1092. Pseud. 122. 354.

32. *pace.* Pax intelligenda est non rei publicæ a bellis liberæ, quod censebat Windischmann (Mus. Rhenan. I, p. 123),

qui ex hoc versu effici putabat, pacis tempore hanc fabulam actam esse, sed gratia et benevolentia deorum. Significat autem „pace", ut ait Gronovius Lect. Plautin. p. 4, „per pacem", quod extat infra v. 384. Ablativus est non tam modi quam comitatus. Gron. affert Ovid. Rem. Am. 669: „Tutius est aptumque magis discedere pace". Verg. Æn. III, 417: „uenit medio ui pontus". Lucan. I, 191: „Si iure uenitis, Si cives, huc usque licet". Ex Plauto afferri possunt Bacch. 1063: „Salute nostra ... domum reduco exercitum". Men. 134: „nostrum salute socium". Rud. 910: „salute horiæ". Trucul. 138: „tuo uestimento et cibo alienis rebus curas". — In extremo versu numerorum causa *fero* scripsi pro *adfero*. Both. ediderat: „pace aduenio ad uos, pacem adfero". Lindem.: „pacem aduenio et ad uos adfero" conferens Aulul. 265: „Vascula intus pure propera atque elue". Sed hoc loco primum ac proprie dicendum est, eum pacatum et placidum uenire; huic tamquam data occasione additur, eum pacem secum adferre. Holtzius voc. *pacem* omisit ex antecedenti voc. *pace* audiri posse arbitratus, quod vix credo, nec satis probatur iis exemplis, quæ adfert, Cat. R. R. 5: „familiæ male ne sit, ne algeat, ne esuriat, opere bene exerceat (sc. eam)". Ter. Ad. 145 sq.

34. *iusta* pro *iuste* recte Both., ut ostendit respondens proximi versus sententia. Obiecti loco iungitur cum v. *orator*, pro *iustorum*, ut fit in substantivis verbalibus in *io*, v. infra 515. — 37. *illi iniqui ius* iam in codd. dett. emendatum. — 38. *iam* Fleckeisen delevit, quia *nunc iam* semper trisyllabum fuisse statuit, unde etiam iunctim et uno vocabulo scribendum censet; sed et h. l. *i* consonans est et Bacch. 988: „Hoc age sis nunc iam" et Epid. 136: „nunc iam alia cura". — Ante *quæ* antiqui edd. addebant *ad ea*; non opus, si quidem demonstrativum sæpe etiam, ubi casu a relativo discrepat, omittitur. Sic infra 106. 132. 314. 518. 646. Asin. 523. Aul. 595. Mil. 1077: „Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnates fecit", omisso „ex iis", alia permulta, v. Cavallin in „Tidsskrift f. Philologi", N. R. I (1874), p. 265 sqq. — 39. *meruimus*, sc. hoc, ut uelitis, quæ nos uelimus. Cf. Asin. 147: „te ego ut digna es perdam atque ut de me meres". Ter. Heaut. 83. Hec. 760.

41—45. „Cur ego“ inquit, „aliorum exemplum sequar, quos in tragœdiis uidi, quæ bona Neptunus, Virtus, Victoria, Mars, Bellona vobis fecerint, commemorantes, ut et ipse enumerem, quorum beneficiorum Iuppiter omnibus hominibus auctor sit?“ Vulgo aliter interpretantur: „Cur memorem, quomodo alios deos, Neptunum, Virtutem etc., viderim in tragœdiis beneficia sua commemorantes? quæ re vera omnia Iovi debentur“; in quibus et sententia prava est, nam antiqui quamquam Iovem supremum deum habebant, tamen non id dicebant, eum eadem facere, quæ ceteri omnes, et quod maximum est, non hoc quærit Mercurius: „Cur aliorum errores aut adrogantiam commemorem?“ sed: „Cur Iovis beneficia, quæ satis nota sunt, memorem?“ — 42. *Neptunum* cett. Solito Plauti more subiectum sententiæ pendentis obiectum fit verbi primarii, cf. v. 54. — 44. *quis* (i. e. *quibus*) *benefactis*. Dativus pro genetivo, ut Mil. 735: „esset iis annona vilior“. Most. 89: „ei rei argumenta dicam“. Trin. 204: „illorum verbis falsis acceptor fui“. Asin. 423. — 45. *Deorum* cum synizesi legendum, vid. Proleg. p. 214. — *architectus*; hac nominis forma Plautus plerumque utitur, v. Mil. 897. 898. 911. 1132. Trucul. 3; sed *architectonem* Most. 748. Pœn. 1113. — Post v. 45 vulgo interrogationis signum ponitur. Fl. „architectust“ edidit, ne offenderet omissum verbum substantivum, qua de re vid. ad v. 590. Sed si recte sententiam intelleximus, *sit* scribendum erat. Hoc quoque audiri potuisse credo equidem, sed veri similior mihi visa est Gertzii sententia, latere verbum in corrupto proximi versus principio; nam *Sed* v. 46 corruptum esse, tam sententia quam numeri probant. Superiores edd. metro maxime consulentes alii aliter emendarunt. Ed. Parm. „is“ post „mos“ addit; Gruter. Lindem. Fl.: „Sed ille numquam mos“. Loman: „Sed mos illic numquam“. Luchs in Studemundi Stud. I, p. 34: „Sed illic mos [morus] meo patri numquam fuit“. Nos ut in iis subsistamus, quæ necessaria sunt — nam senarius in duos iambos exiens, ut non laudandus, ita relinquendus videtur — pro „Sed“ posuimus *Siet*, quod in sequentem versum translatum etiam alibi legitur, v. c. 158. Si cui demonstrativum pronomen necessarium videbitur, legat: „Sit? Mos numquam [ille] illi fuit patri meo“.

47. *exprobraret.* „Odiosum sane“ inquit Cicero Læl. 20, 71 „genus hominum officia exprobrantium“. Holtz. confert Ter. Andr. 44: „istæc commemoratio quasi exprobratiost inmemori benefici“. — 48. *Gratum esse id a uobis sibi*, i. e. vos gratiam eius rei sibi habere. Cf. Pers. 674: „Si quid bonis boni fit, esse idem et graue et gratum solet“. Merc. 518: quidquid dabitur, gratum habebo“. Ter. Heaut. 262. Similiter *ingratum* infra 181. Asin. 135. Ter. Heaut. 934. — 49. *facit* olim emendatum. — 52. *contraxistis.* Nostrates præsens tempus posuissent; antiqui, quod quodam modo accuratius est, etiam præterito utuntur, vid. infra 89. 659. Men. 1064: „Concessi“. 851: „adstiti“, alia. — 53. *conmutauero*, statim commutabo, v. Madv. Gr. Lat. 340 not. 4. Post h. v. plene interpungendum esse primus intellixet Loman, Specimen criticum in Plautum et Terentium, Amstel. 1845. — 54. *faciam ex* codd. cum hiatu, et sic editurus eram, nisi me fefellisset typothetæ incuria, non quo talem hiatum probarem, sed quia nec omnino damnare ausim, nec certa aut una offertur corrigendi via. Fl. „ego“ addebat, Müller „iam“. Ad structuram verbi Holtz. confert Ter. Hec. 211. Andr. 37.

56. „Utrum“ inquit „vultis, ut sit comœdia, an non?“ — *stultior*, i. e. admodum stultus, cf. Merc. 908: „ego stultior, qui isti credam“. Cist. 507: „Non sum scitior, quæ hos regam“. Omissi verbi substantivi primæ personæ præter h. l. et Merc. 908 non pauca exempla afferri possunt: infra 957: „ratus“. Asin. 269: „nanctus“. 847: „rata“. Men. 119: „Nunc adeo, ut facturus (sc. sim), dicam“. Mil. 372: „Ego stulta et mora multum“. Trin. 826: „ego contra opera expertus“. Ennius apud Cic. Tusc. I, 44, 105: „Uidi uidere quae me passa aegerrume“; et plurali numero Curcul. 354: „Postquam cenati atque adpoti“. Rud. 453: „illud plus mali nobis uiuit, quam ratæ“. Ter. Andr. 285: „nos soli“, alia.

59. *tragicocomœdia.* In cod. B duabus vocibus scribitur „tragico comœdia“, quod ne cui verum videatur, quasi significetur commixta tragœdiæ comœdia, versus 63 prohibet, ubi eadem vocis divisio in codice est — errant, qui „tragicomedia“ scribi tradunt — quamvis unam vocem esse cuivis appareat.

Quod ibi additur „ut dixi“, ostendit idem hoc loco scriptum fuisse. Nomen nove fictum sed recte formatum est, ut a quovis intelligi posset. Sed non agnoscunt viri docti inde a primo tempore, quo hæc fabula luci reddita est, *tragicomœdiam* scribentes, quod recentiores fere omnes et poetæ et philologi secuti sunt. Hanc ut defendant formam, ex Græca lingua exempla syllabæ extritæ afferunt, ut *ταρτημόριον*, *τέτραχμον*, *ἀμφορεύς*, alia. Sed illa vocabula sunt quotidiani sermonis, ad quem hæc vox non pertinet, quam fortasse nemo spectatorum umquam audiverat, nec, nisi plene et recte formata proponeretur, intellecturus erat. Retinenda igitur est codicum scriptura, quam h. l. versus tuetur, nam si „tragicomœdia“ scribitur, alia quoque mutanda sunt, ut Lindem. „fiat“ pro „sit“, Fl. „sit haec tragicomœdia“. In v. 63 autem apparet permisisse sibi aliquid poetam, ut aut duas primas vocis syllabas in unum contraxerit, aut dactylo anapæstum subiunxerit.

65 sqq. Ut iudicium æquum et iustum sit, theatralis ambitio cohiberi debet. Sic etiam in Pœnuli prologo v. 36 sqq.:

Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur quoiquam artifici iniuria,
Neue ambitionis causa extrudantur foris,
Quo deteriores anteponantur, boni.

Operæ pretium est animadvertere, quam mature hoc malum ortum sit, quod postea semper gliscens sæpe in maximos tumultus erupit. Nam ab initio ipso ludorum scenicorum apud Romanos ut apud Græcos præmia et poetis et histrionibus, qui maxime placuerant, dabantur, vid. Trin. v. 706: „Facile palmam habes; hic victust, vicit tua comœdia“. Quod hoc loco commemoratur victoriæ signum, palma, id iam ante multos annos apud Romanos in usu fuerat, si quidem in circensibus ludis anno a. Chr. 293 habitis Livius X, 47, 3: „palmæ“ ait „tum primum translato e Græcia more victoribus datæ“. Dabant curatores ludorum, sive ædiles sive prætores sive qui alii erant, sed ab assensu et plausu populi magnam partem iudicium eorum pendebat, ut etiam præmii causa vel histriones ipsi vel fautores eorum sibi plausores quam plurimos compararent. Huius ambitionis tollendæ causa h. l. nova ratio excogitatur, ut conquisitores quidam

per totam caveam, i. e. per omnes spectaculorum gradus, singula subsellia circumeant et, si quem spectatorem invenerint certo alicui histrioni ultra quam aequum sit faventem, eum lege coerceant. Fieri hoc posse, si per pignoris capionem agatur, ut toga pro pignore capiatur nec nisi probata apud iudices causa restituatur. Etenim in theatro non minus quam in comitiis magistratuum creandorum ambitus leges valere debere, et coercendos esse tam qui ipsi ambierint, quam qui litteris aut internuntiis usi sint. — *Conquisitores* dicuntur, qui milites in exercitum conquirunt, qui servos fugitivos aut omnino abditas res investigant, v. Merc. 656: „ad praetorem ilico ibo, orabo ut conquisitores det mihi in uicis omnibus". Ceterum et illo loco et nostro et infra v. 82 metrum ostendit aut „conquistores" scribendum esse, ut et alii et Fleckeisen fecerunt, aut „conquaestores", ut Lachmannum ad Lucret. VI, 1067 secutus Ritschelius. — *singula* ex cod. D Ritsch. Parerg. p. 221. — 67. *fauitores;* antiqua forma restituenda erat, quoniam extat v. 78 et 79. — *in cauea*, in theatro ipso omniumque conspectu.

69. In hoc versu si numeri soli corrupti essent, fortasse probaretur Guieti transpositio: „Siue ambissent qui"; sed eam corruptelæ suspicionem, quam movent quattuor versus continui ab eodem vocabulo incipientes, sententiæ ratio confirmat, quæ primo quidem loco particulam „Siue" vix patitur. Hoc intellexit Fl., qui ed. „Nam si qui palmam ambissint". Veri simile videtur voc. *Siue* errore ex proximo versu irrepsisse. — *ambissint*, i. e. ambierint, scribendum esse et hic et v. 71 Lambinus vidit, quoniam sequeretur v. 72 „duint". Post h. v. excidisse aliquid numeri ostendunt; dum meliora inveniantur, exempli causa posui *hic siue*. — 70. *Siue* fortasse „Seu" pronuntiandum, nam primus versus pes est „Siue quoi"; cf. tamen v. 84 et Proleg. p. 181. — 71. *ipsi* olim emendatum; *qui* nos delevimus; ex antecedenti versu ortum videbatur. — 72. Pro *aedibiles* cod. D. I. cett. *aediles*, idque editores amplexi sunt. Quod quum subiectum verbi „duint" videretur, pro obiecto „palmam" ex v. 69 audiebant; ædiles aiunt, qui ludis præessent, iurasse se illi, qui optime egisse visus esset, palmam daturos. Quod unde noverint, nescio; illud affirmo, qui male iudicarint, eorum non

perfidiam, sed iniustitiam vituperari debere. Nec veri simile est eos, penes quos arbitrium huius rei esset, ab histrione talibus verbis compellatos esse. Porro ambitus lex non ad eum pertinet, qui comitiis præest, sed ad petitores eorumque amicos. Quare, si ædilium iudicium fuit, non eos perfidiose agentes lex coercuit, sed alios perfidiose gratiam eorum captantes, neque ædiles pro subiecto huius sententiæ esse possunt, sed potius pro obiecto. Hoc fieret, si pro „duint" legeretur „sibi conciliauerint" aut simile quid. Quod quum nulla coniectura effici posse videatur, abiicienda est ista emendatio („ædiles"), quam præter facilitatem nihil commendat. Itaque alia via ingressus corrupti vocabuli *aedibiles* priorem partem ex dittographia antecedentis voc. „adeo" ortam arbitratus *biles* scribebam vel, ne pluralis numerus in hoc voc. offenderet, *bilem*; „bilem dare alicui" autem nihil differre videbatur ab eo, quod vulgo dicunt „bilem movere". Totius loci conformatio ea est, ut de iisdem hominibus agi appareat, de fautoribus importunis variisque rationibus, quibus histrioni, cui favent, palmam comparare conantur. Fit autem hoc dupliciter, aut ambiendo, si laudando et precando suum amicum alterius favori et gratiæ commendant, aut contrario modo *perfidiose*, si in rivalem eius iram spectatorum movent. Utrumque eadem lege eademque pœna vindicandum est. Aliud Gertzius proposuerat: „Siue adeo odibiles perfidiose quid duint", i. e. Sive adeo odiosi isti homines doni aut pecuniæ aliquid dederint.

73. *Sirempse*, i. e. eandem. Formula in antiquis legibus frequens „siremps lex esto, quasi cett.", vid. Ind. Corp. Inscr. Lat. I, p. 595. Commemorat etiam Festus p. 344, qui, quum parum feliciter originem vocis explicet, illud tamen recte intellexit, posteriorem vocis partem esse pronomen q. e. ipse, recteque Scaliger, ad quem laus pertinet huius versus restituti, ex codicibus Plautinis *e* finale retinuit, ut huic quoque formæ non minus quam *eumpse*, *eampse*, *e* adderet, quod metrum flagitat. — 74. *Quasi magistratum*. Versus a proceleusmatico incipit, v. p. 181. Müller „Quasi sibi mag." malebat. *ambiuerit* si verum est, audiendum pro subiecto „aliquis", quod post tot pluralia vix veri simile est; *ambiuerint* emendandum videtur, ut

monuit Gertz. — Leges de ambitu mature latas esse in re publica Romana constat. Nam ut fabulis adnumerari possit Livii locus IV, 25, 13, idem scriptor VII, 15, 12 a. a. Chr. n. 358 „de ambitu“ inquit „tum primum ad populum latum est“. XL, 19, 11, a. 181: „legem de ambitu consules (P. Cornelius, M. Bæbius) ex auctoritate senatus ad populum tulerunt“; ac denuo a. 160 „lex de ambitu lata“, Liv. Epit. XLVII. — 79. *habet* iam in codd. emendatum. — 80. *quibus est ea res in manu*, i. e. qui huius rei potestatem et arbitrium habent, ut præmia tribuant; cf. Pœn. 53: „Si quidem licebit per illos, quibus est in manu“.

81 sqq. Histriones ipsos quoque ab omni ambitu abstinere iubet. In primo versu subiectum excidit; Fl. „ille“ addidit post „mihi“; nos Lomanum secuti sumus extremo versui „pater“ addentem. — 83. *mandasset* Fl., quod flagitat proximi versus „fecisset“; superiores fere sic mutaverant, ut utroque loco pluralem ponerent. — 84. *Quiue quo;* de numeris vid. p. 181; Both. transponebat: „Quiue alter quo placeret“; de ordine verborum v. ad Arg. II, 8. — 85. *Ornamenta*, splendidum histrionum vestitum, cf. Cist. 618. Capt. 608. Pseud. 762. Pœn. 422. Stich. 176. Trin. 858. — *corium.* Histriones fere servilis condicionis erant. Si quid deliquerant, corpore plectebantur, v. Cist. 619: „Qui deliquit, uapulabit“, et magistratibus in eos ius virgarum erat. Quin etiam Augustus imperator quum coercitionem in histriones magistratibus in omni tempore et loco lege vetere permissam adimeret, ludis et scena reliquit, ut ait Sueton. Aug. 45.

89. *Quid admirati estis?* i. e. cur admiramini, cf. ad v. 52. Hiatum in cæsura non ferentes Fleckeis.: „Quid id estis admirati?“ Müller: „Quid? admiratin estis?“ — 90. *Iouem;* positio neglecta, nisi synizesin statuere malis, ne dactylum anapæstus excipiat. Müller transpon. „Iovem proferatur nunc“. Non est novum, Iovem histrionis arte uti; cui enim non in mentem venit, quotiens amoris causa in cuculum, in olorem, in aquilam, in taurum, in auream pluviam, in alia omnia mutatus sit? Sed quasi hoc non satis sit, tres versus adduntur tam inepti, ut ne a prologi quidem huius auctore profecti esse videantur. Prioribus duobus certam aliquam rem viri docti puta-

runt significari et quidem superiore anno factam; sic enim *anno* enarrant, quasi sit ante annum. Sed hoc Latine dici posse nec corrupto Menæchmorum versu 202 (Ritsch. 205) probatur, nec Truc. 392, ubi cum codd. scribendum: „uxorem sibi me habebat annum, dum hic fuit“. Equidem non dubito, quin hic quoque aliud scriptum fuerit, velut *ante* vel *antehac*, nec certam aliquam rem commemorari credo, sed Iovem, quotiens ab histrionibus advocatus sit, iis adfuisse. — *is* vid. p. 212. — Versu 93 nihil ineptius est; omissis autem his tribus versibus omnia satis apta sunt. — 95. Versui syllaba deest; Lambinus aliique „uos“ addebant, Müller aut „iam“ aut „huc“ mavult. — 96. Post *argumentum* hiatus in cæsura. Fl.: „Dum argumentum huius“. Müller: „Dum huiusce arg.“

98. *Argo* pro Argivo positum esse Nonius p. 487 arbitratur, idque non nulli ita defendere conati sunt, ut ex Argoo contractum censerent. Sed fieri vix potest, quin patris nomen fuerit; qui quum alibi nusquam Argus vocetur, aut poeta Latinus parum accurate egit, aut erravit librarius; nam fieri potest, ut *Alceo* scriptum fuerit pro Alcæo, vid. p. 209, idque contractione bisyllabum factum sit, vid. p. 216. — 99. *Electri;* immo Electryonis, si Græci sequendi sunt. Sed Græca nomina non raro apud priscos Latinos immutantur, ita maxime, ut a tertia ad primam aut secundam declinationem transeant. Sic Latonam dicebant; Artemona Asinariæ persona est, Æschinus Adelphorum Terentii (cf. Plaut. Pseud. 762); „Chremi“ genetivo casu dicitur Ter. Andr. 368. „Harpage“ vocativo, quum nominativus sit Harpax, Plaut. Pseud. 669. „Tranium“ Most. 550, qui Tranio appellari solet. Capt. 556: „Alcmeus“. Men. 143: „Adoneum“. Pers. 26: „Titani“. Nævius Porporeum appellavit Porphyriona gigantem. Vulgati usus sunt placenta, statera, architectus, trygonus; cetus et polypus secundæ declinationis fiunt; schema primæ (v. 117); charta, margarita, cochlea ex masculinis feminina fiunt eiusdem declinationis. — 101. *Teleboist* scripsi; Camerarius ceterique transposuerant: „bellum est“. — 103. Post *Alcumenam* hiatus; edd. plerique transp.: „fecit uxorem“.

104. *Nam* aut delendum est aut non eorum, quæ antecedunt, causam indicat, sed eorum, quæ sequuntur v. 107: „Is amare cœpit cett.“ Quod enim Græci ita fecerunt, ut præmisso

uno aliquo primariæ sententiæ vocabulo, velut *ἀλλά*, *ὁ δέ*, statim causalem sententiam quasi per parenthesin interponerent ac tum demum primariam sententiam peragerent (v. Matthiæ, Gr. Gr. p. 1242*), Latinique eorum exemplum secuti, ut Horat. Sat. II, 6, 51: „O bone, nam te scire .... oportet, num quid de Dacis audisti?“ alia, id Plautus interdum etiam nullo tali vocabulo præmisso fecisse videtur, ut a parenthesi excusatio peti non possit; v. Aulul. 692: „Nam istos reges ceteros memorare nolo, ego sum ille rex Philippus“. Mil. 95: „Nam ego haud diu apud hunc seruitutem seruio, Id uolo uos scire, quomodo ad hunc deuenerim In seruitutem“. Ibi quidem Ritsch. versus transponit; sed idem reliquit Most. 748 sqq.: „Nam sibi laudasse hasce ait architectonem Nescio quem, esse aedificatas has sane bene, Nunc hinc exemplum capere uolt“. Accurate rem reputanti coniunctio in his non tam ad sequentia refertur, quam ad sententiam omissam, quæ postea, quo clarius dicentis mens appareat, disertis verbis additur. Vocem, quæ mihi dubia videbatur, notavi; delere non sum ausus. Loman. Specim. p. 2: „Iam ego uos nouisse credo ut sit pater meus“, qua ratione versus in duos iambos exit; in codd. penultimus pes dactylus est neglecta positione in voc. „pater“; Fl. „meus pater“ ed. — *ut sit*, i. e. qualis sit, cf. Ter. Heaut. 436: „Non tu ei dixisti ut essem?“ — 105. *liber harum rerum multarum*, i. e. in multis eiusmodi rebus. De genetivo v. Madv. Gr. Lat. 290 g; cf. Ter. Eun. 248: „Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum uolunt“. Trin. 454: „Satin tu es sanus mentis atque animi tui?“ Etiam Epid. 139: „Desipiebam mentis“. — 106. *sit* scripsi cum Lindemanno, nam sic pronuntiandum. Loman et Fl. licentius: „si ei quid“. Ante *quod* omissum est „eius“, vid. ad v. 38. — 107. *coepit* codd.; erravit Pareus, quod codici B „occepit“ tribuit. — 109. *is eam;* hæc frigere editoribus visa sunt, quare Both. „etiam“ scripsit, Lindeman. ceterique „itidem“. — 111. Anapæstum in quarto pede non ferens Fl. „summo ex Ioue“ edidit. — 114. *cum* Lindem. addidit. — 116. *admire-*

*) Huc pertinet etiam Thucyd. III, 67, 5, qui locus sic scribendus videtur: *καὶ, ἔννομα γὰρ πείσονται οὐχὶ ἐκ μάχης χεῖρας προσχόμενοι, ὥσπερ φασίν, ἀλλ' ἀπὸ ξυμβάσεως ἐς δίκην σφᾶς αὐτοὺς παραδόντες, ἀμύνατε οὖν.*

mini B. manu sec. — 117. *seruuli* B, sed rasura factum est *seruili*, quod et sermonis et metri ratio commendat et Priscianus servavit. — *Schema.* Priscianus VI, 7, p. 679 P. = 199 H. postquam neutra esse docuit Græca huius terminationis nomina, sic pergit: „Hæc tamen antiquissimi secundum primam declinationem sæpe protulerunt et generis feminini, ut Plautus in Amphitryone „cum seruili schema“ pro „schemate“. Præter h. l. affert Pers. 464: „lepida condecorat schema“. Cæcilii (v. 76 Ribbeck.) „Filius in me incedit sat hilara schema“. Nonius p. 224 addit Pomponii locum (v. 150 Rib.) „Si ualebit, puls in buccam betet; sic dixin schema?“ Præterea Priscianus ex Valerio „syrma“ (abl. casu) affert, ex Pomponio „diademam“, ex Laberio „dogmam“, ex Plauto (Mil. 148) „glaucomam“. Ceterum hic non solum genus et declinatio animadvertenda, sed etiam correpta vocalis penultima, de quo diximus in proleg. p. 209. — 119 sq. *Propterea* ad sequentia referendum est; *Nam* parum accurate, sed ad inculti et vulgaris sermonis rationem ponitur. — *eccum* cum „est“ iungi non solet. Fl.: „nunc intus eccum“, Müller: „eccillum“. — 123. *uorsipellem.* Nonius p. 38 Lucilii locum affert. Plautus Bacch. 654: „Uorsipellem frugi conuenit esse hominem“. — 125. Post *Amphitruone* hiatus in cæsura; Fl. „una“ addebat. — 126. *praeseruire*, i. e. subservire, cf. Lucil. XXX, 42 Müll. Gell. I, 7, 6. — 127. *qui* pro „quis“ apud Plautum frequens, cf. 130. 153. Aul. 343. Capt. 827. Curc. 141. al. — *familiares.* Senec. Ep. 47, 14: „Maiores appellaverunt servos, quod etiam in mimis adhuc durat, familiares“. Cf. infra 146. 349. Men. 610. Mil. 391. Merc. 69. — 129. *credent*, de indicativo cf. 746. — 130. Post *sim* hiatus, cuius vitandi causa Pylades „siem“ ed., Fl. „qui sim, quaeret“, Müller „quid nunc uenerim“. — 132. *complexus*, sc. eam, cf. 106. — 133. *illi*, i. e. illic, v. ad 245. — *ad legionem*, apud exercitum. — 134. Post *Alcumenæ* hiatus in cæsura. Fl.: „censet illa illum“, Müller: „censet nunc uirum“. — 135. *quæ . . . est*, i. e. quamvis sit. Müllerus inutiliter „quicum“ coniecit. — 137. Ne cæsura careat versus, Becker. Fl.: „donis sit“. — 139. *quod* olim emendatum. — 141. Post *fero* hiatus vix credibilis. Both.: „hanc ego“; Fl.: „fero hanc“.

142 sqq. Ne spectatores quoque errore teneantur et, uter verus Amphitryo aut verus Sosia sit, ignorent, prologus exigua quædam ornatus discrimina, quibus personas alioquin similes internoscant, indicat. Nobis quidem hoc φορτικὸν videtur, nec Græcorum, nisi fallor, aliud iudicium foret; Romani rudibus spectatoribus consulendum duxerunt; ac nescio an ne Plauti quidem ipsius, sed eorum, qui iam defuncti poetæ fabulam retulerunt, hoc inventum fuerit. Saltem hi quoque versus ostendunt, prologum non ipsius Plauti esse, qui si iam ab initio hæc signa indicasset, vix in media fabula (v. 854 sq.) Iovem spectatoribus narrantem introduxisset se personatum, non verum Amphitryonem esse. — 143. Post *habebo* hiatus in cæsura. Fl.: „usque hic", Müll.: „hodie usque". — *Petasum* alatum deorum nuntium gestasse satis constat. Petasis utuntur etiam Amphitryo et Sosia utpote peregre advenientes, sed ut spectatores certo quodam signo personatos a veris Amphitryone et Sosia internoscant, in Mercurii petaso quasi pennarum indicium pinnulæ sunt, Iuppiter, qui aurea corona aut diademate insignis esse solet, sub petaso aureum *torulum* gerit. „Torulus" ait Varro L. L. V, 167 „in mulieris capite ornatus". — 145. Hiatus in cæsura. Fl.: „Amphitruoni signum", Müll. „quod" pro „id" malebat. — 146. Hiatus in cæsura. Fl.: „horunce". — 148. *ille* scripsi pro „illic est"; Luchs in Herma VI, 274 „qui" in proximum versum inferre malebat. — 149. *Portum* Plautus geographiæ parum gnarus Thebis tribuit. — *Cum laterna* noctis causa ambulat. Post h. v. hiatus. Camer. „huc" addit; Ritsch. in Novis Exc. „laternad" scribit; Spengel, Plaut. p. 235, hiatum ante extremum creticum defendit. — 150. Hiatus in cæsura. Both. „illunc". — 151. *Adeste; erit*, emendavit Palmerius. Cf. Terent. Andr. 24: „Favete, adeste æquo animo et rem cognoscite" et omisso „animo" Pl. Trin. 22: „adeste cum silentio". — *Erit operæ pretium* sc. adesse. Post „pretium" hiatus, ut in proximo v. post „facere". Fl. ed.: „erit operae uobis inspectantibus Iouem et Mercurium facere hic histrioniam"; nimis audacter. Hiatus tanto numero occurrentes, qualescunque movent suspiciones, editorem relinquere oportet.

153. Ipsius fabulæ principium canticum concitatius est a sex octonariis iambicis incipiens, deinde in magis varias et graviores metri formas abiens. — Sosia progreditur noctu a domino suo præmissus. Mercurium non videt, sed quasi solus secum pericula noctis obscuræ et molestias servitutis queritur; deinde postquam ei in mentem venit, ex quantis periculis salvus evaserit, diis gratias agit et gesta belli narrat. Metuit autem primum grassatores nocturnos, nam et latrones et procaces petulantesque iuvenes, sæpe ebrii comissantes, vias noctu infestabant, vid. Stich. 606: „Non tu scis, quam adflictentur homines noctu hic in via?“ Trin. 315: „ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri“; deinde ne et ipse tanquam grassator et latro a magistratibus prehendatur, timet. „Quis“ inquit „me audacior est, qui, quum mores iuvenum norim, noctu solus ambulem?“ — 154. *qui* — *qui*; duo relativa ad idem demonstrativum paulo diversa ratione referuntur, cf. infra 688. 772. Men. 390: „quid est id, quod negem, quod fecerim?“ Stich. 121: „Quoi male faciundist potestas, quae ne id faciat, temperat“. Terent. Eun. 17 sq. — *Iuuentutis* secundam corripit, ut versus ab anapæsto incipiat. — *hoc noctis* i. e. hoc noctis tempore, cf. 162. 288. 306. Curc. 1. — 155. Magistratus Plautus Romanos, ut solet, mores secutus *tresuiros* appellat. Iidem nominantur Asin. 130. Aulul. 408. Pers. 73. Capitales intelligi apparet, quorum erat maleficia conquirere et vindicare, carcerem servare. Iidem noctu vigilias circumibant, unde nocturni dicti, v. Val. Max. VIII, 1, Damn. 6. Nec enim adducor, ut hos diversos fuisse credam aut Licinio Macro fidem habeam (Liv. IX, 46, 3) Cn. Flavium narranti nocturnum triumvirum fuisse viginti fere annis ante, quam tresviri capitales primum creati sunt, quod a. 289 a. Chr. n. factum ex Livii Epit. XI efficitur. — 156. Cum *promptuaria cella* carcerem comparat, quia, ut e cella ad cenam cibaria, ita e carcere malefici ad supplicium promuntur. Cella promptuaria est etiam Apul. Apolog. 54 extr., armarium promptuarium Cat. R. R. 11, 3. In codd. male scribitur *promptaria*; quod autem interpolator codicis B addidit: *quasi e pr.*, eo facile caremus. — *ad flagrum*, cf. Horat. Epod. 4, 11: „Sectus flagellis hic triumviralibus“. Verberandi rationem accuratius ex-

ponit v. 159, cf. Asin. 557 et 567, ubi item ut h. l. *octo* „virgatores“ commemorantur, ut tot fuisse appareat trium virorum viatores. — 157. *in ero* iam in codd. emendatum. — *dicere* metrum non turbat, quia ultima syllaba ante diæresin anceps est. Sed versus in codd. iusto longior est. Facillimo remedio usus Fl. *siet* in proximum versum transtulit, quod quamvis recte fieri posse negarit Brix (Progr. Liegn. 1857), tamen retinui; nam nimis longe abscedunt et Brix: „dicere, neque mihi quicquam auxili siet In ero, neque“ et Müller: „dicere, neque in ero quicquam auxili siet, Nec quisquam sit, quin me [malo] omnes“ et Luchs in Studemundi Studiis I, p. 56: „dicere, neque in ero quicquam sit mi auxili, Nec quisquam sit, quin me [malo cruciatu] dignum deputent“. In quibus si placet ablativus additus voci *dignum*, non admodum difficulter ex v. 156 auditur *flagro*; Luchsius autem quod *omnes* pro glossemate habuit, parum reputavit Plautinam abundantiam, cuius quum alia innumera exempla afferri possunt, tum Asin. 553 . . . 57 et 560 . . . 67: „memorari multa possunt . . ., ubi saepe“. Quod autem v. 158 diæresi caret, non est insolitum, v. Proleg. p. 185.

159—176. Vehementior querela maiorem numerorum varietatem postulat; quare octonarios iambicos excipiunt primum trochaicus octonarius cum hiatu in diæresi, deinde varii versus in trochæos fere exeuntes, sed inter priores pedes et dactylos et choriambos et pæones et creticos habentes; vss. 166—170 Hermannus et Christius (Metrik p. 511) Sotadeos appellaverunt, ac sane 166, 169, 170 Sotadeorum schema accuratissime exhibent; vss. 171—76 bacchiaci sunt cum clausula trochaica. Hæc igitur totius loci forma metrica est.

⏑ ⏑ ⏑ — — — — ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — —
⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏓
— ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — ⏓
— — — ⏑ — — — — — — ⏑ — ⏓
— ⏑ — — — — — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓
⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — ⏑ — — —
— ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑
— — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —
— — — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — —

— ⏑ ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —
— — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑
— — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —
⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — —
⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — —
⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑
⏑ ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑
⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑
— — — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑

In versuum descriptione codicem B secuti sumus, nisi quod ibi vss. 161—62 et 175—76 continuantur.

159. *Ita quasi* i. e. ut, cf. Pers. 26: „Deisne aduorser quasi Titani?“ Mil. 392: „quasi nunc tu“. Stich. 539. 543. Pseud. 198: „cras te, quasi Dircam olim duo gnati Iouis deuinxere ad taurum, item ted astringam“. ib. 960: „quasi cancer solet“. Etiam Cicero Cat. mai. 19, 71: „quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vix avelluntur, si matura et cocta, decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas“. — 160. Carcerem comparat cum *hospitio* publico, quo honoris causa accipiebantur, qui peregre advenerant, maxime legati exterarum nationum. Cf. infra 292. Versum affert Nonius p. 513: „*Publicitus* pro publice etc.“ cf. etiam Ter. Phorm. 978: „Non hoc publicitus scelus hinc asportarier“. — 161—62 in B iunctim scribuntur, quamvis maior ambitus sit, quam ut facile uno versu comprehendantur. Cod. D a „noctis“, I ab „hoc“ novum versum incipit; nos a „Me“; Fl. plura mutavit. *Inmodestia*, intemperantia, impatientia, cf. Pœn. 153: „amo inmodeste“. — *Me* obiectum est verbi *excitauit*; de positu relativi vid. infra ad 190; *coegit* facile obiecto caret. — *ingratis*, i. e. quamvis nolentem, cf. 367. Vox apud Plautum et Terentium fere quattuor syllabarum (ingratiis) h. l. simplici *i* scribitur, nec ego in ignoto metro mutare volui, v. Proleg. p. 212. — 163. *Nonne*. Loman, Specim. p. 5: „Non me i. h. luci mittere“; sed v. ad 403. — *idem hoc*, i. e. ad hoc idem, propter hoc idem, cf. infra ad v. 902: „id huc revorti“. — *luci*, i. e. luce, dum lucet. Hæc ablativi forma extat etiam Casin. 735. Men. 985. Stich. 365: „cum luci simul“, ut scribendum est etiam Merc. 251. Sisenna apud Charisium p. 183 P. = 203 K. confert „mani“.

164. *Opulento homini seruitus*, i. e. quæ opulento homini servitur, cf. Rud. 502: „Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?“ alia infra ad v. 515. Proximus versus eandem sententiam planioribus verbis profert, quare cum Fleckeisenio pro circumlocutione spuria habuimus. Audacius idem v. d. postea in Annal. philol. C, p. 75 totum locum sic refinxit:

Opulénto hoc hominí seruitús est [magis] dura,
[Quod] nóctisque diésque adsiduo satis supérque est,
Quo fácto aut dictód est opus, quietus né sis.

166. *adsiduo*, semper, cf. Capt. 178: „istoc me adsiduo uictu delecto domi“. — 167. *adest opus* pro „est opus“ nemo umquam nec dixit nec dicere potuit. Pareus: „dictod est opus“, prob. Ritsch. Nov. Excurs. p. 59. Rectius Bergk (Beiträge zur lat. Gr. I, p. 68) et Müller: *aut dicto adeost opus*. Non solum faciendi operis causa, sed etiam audiendi causa servus præsto esse debet. Ceterum ne quis coniunctivum requirat („opus sit“), Plautus in eius modi sententiis relativis quum plerumque coniunctivo utatur (vid. Holtz. Syntax. priscorum scriptorum Latinorum II, p. 188 sq.), tum non raro indicativum habet, cf. Mil. 1006: „homo quidamst, qui scit“. Pseud. 696: „aliud autem, quod cupiebam, contigit“. Bacch. 64: „huius modi in palæstram, ubi damnis desudascitur“. Merc. 143: „Apage istius modi salutem, *cum* cruciatu quæ advenit“. Asin. 174: „quæ frugi esse uolt“. Bacch. 467: „quae absorbet“. Asin. 230: „est quod volo loqui“. Pseud. 462: „Sunt quæ te uolumus percontari“. Ter. Heaut. 936: „Nisi quid est, quod magis vis“. Pseud. 392: „unum, qui certust, cedo“. Alia antiquissimorum scriptorum exempla Autenrieth attulit in Annal. philol. Supplement. VI (1872), p. 282. — 168. *Dives operis*, qui multas operas habet, i. e. servos. Ablativus copiæ apud Plautum non offendit, cf. Cist. 70: „amor et melle et felle est fecundissimus“. Epid. 297: „auro opulentus“. Merc. 866: „splendore plenum caelum“. Male alii *operis* pro genetivo habent, ut Gronov: „qui multum operis habet faciendi“; ne illi quidem recte, qui „operis et laboris expers“ iungunt, qua ratione vox „diues“ parum apte pendet. — 169. *Quodcumque h. accidit lubere*, si quid accidit ut ei lubeat. — *posse*, sc. fieri. Cf. Casin. 317: „Non hercle opinor posse“. Frequenter

„non potest“, ut Aul. 267. Mil. 1363. Merc. 486. Pers. 579; „qui potest?“ ut infra 586. Most. 368. Men. 1098. Pseud. 935. Præterea Most. 389: „Potest“. Pers. 140: „Posterius istuc tamen potest“. TO. „Scin quam potest?“ Stich. 503: „Unum hoc potest“. Men. 1041: „tam consimilist quam potest“. ib. 821: „quam potest longissume“. De „quantum potest“ v. infra v. 964. Nec non et optimi prosæ orationis scriptores, ut Rhet. ad Herennium IV, 50, 63: „si potest“. Cicer. ad Atticum V, 1, 3: „Nihil potuit dulcius“. V, 17, 4: „quid possit“.

172. *Ergo.* In hoc vocabulo apud comicos sæpe causæ indicatio cum affirmatione coniuncta est; nam causa explicata ipsa res certior videtur. Nos fere „Ja“ dicimus. Recte Priscianus XVIII, 173, p. 287 Hertz: „Similiter *nam, enim, ergo* non solum causales vel rationales, sed etiam completivæ et confirmativæ inveniuntur et præpositivæ et subiunctivæ, quomodo δή apud Græcos“. Cf. Asin. 313. Bacch. 127. 563. 684. Curc. 19. Cas. 577. Cist. 73. Epid. 473, ubi vid. not., Merc. 960. Mil. 888. 1225. Sæpe iungitur cum affirmandi aliquo vocabulo, ut „edepol“ aut „mecastor“, v. ad Capt. 1013. — *expetunt*, i. e. accidunt, ut voluit Nonius p. 301, quem recte emendavit Mercerus. Cf. infra 491. Proprie dicendum erat „in servientem expetunt“. — 173. *opus* B; sed altera manus addidit: „alii *onus*“, quod sensus postulat. — 174. „Verius erat“ inquit Mercurius „me quam illum de servitute queri; me enim, qui liber fuerim, pater servum fecit, ille in servitute natus est“. — *hodie* edd. inde a Gronovio cum sequentibus iungunt, recte ut videtur. — 175. *potiuit* activa forma et vi extat etiam Rud. 911: „piscatu nouo me uberi conpotiuit“. In mala re hoc verbum ponitur Asin. 548: „fugæ potiti“. Capt. 92: „hostium“. Lucret. IV, 764: „mortis letique“.

177—215 octonarii iambici. 177. Codd. corrupte: *Sum uero uerna uerbero*, quæ priores edd. aut histrioni ex sua persona loquenti aut Mercurio tribuebant, quasi iocabundus diceret se non solum vernam, sed etiam verberonem esse. Quod quum recte habere non posset, Lindem. deletis vocc. „sum vero“, scripsit:

„Hic qui uerna natust
Queritur, uerna uerbero“.

in quibus voc. „uerna" parum Plautino more repetitur. Rost. et Holtz. viderunt a vocc. *Sum uero* Sosiæ sermonem incipiendum esse, sed neuter locum explicavit; Fleckeisen demum vidit in voc. *uerna* vitium esse; ac videtur sane hæc vox ex memoria superioris versus irrepsisse. Is *uere* scripsit, quod quum post „uero" parum placeret, nos propius a codd. *uerus* scripsimus. Sosia se ipse verum verberonem esse, i. e. vere verberibus dignum esse dicit, quippe qui non antea diis gratias egerit. Sequitur in codd.: *Nunc uero mihi in mentem fuit*, quæ post alteram sententiam a *Sum uero* incipientem ferri non possunt, in principio orationis Sosiæ recte se haberent, quare fuit, quum antecedentia *Sum u. u. uerbero* delenda esse putarem. Quoniam vero, unde tale additamentum nasci potuerit, non intelligitur, in vocc. *Nunc uero* vitium quærendum est, quod confirmant etiam Gell. I, 7, 17 et Nonius p. 352, qui *numero* legerunt. Adsciverunt hoc editorum plerique, „cito" interpretantes aut „subito"; Lindemann etiam „apposite, opportune". Neutrum recte; nam *numero* significat „nimis mature", „nimium cito, celeriter nimium", ut ait Festus p. 170 M. Is Nævii locum affert: „Neminem uidi, qui numero sciret, quod scitost opus". Alios scenicorum poetarum locos a Festo et a Nonio laudatos vid. apud Ribbeckium, Ind. Comic. Lat. p. 373; Plauti hæc sunt, Mil. 1391: „Haud etiam; numero hoc dicis". Cas. 618: „Numero dicis". Merc. 727: „Numero purgas". Men. 284: „Numero huc aduenis ad prandium". Pœn. 1276: „Cur numero estis mortui?" Apparet aliud h. l. requiri. Nam quod Lindem. et Rost. aiunt, orationem esse ironicam, vix cuiquam probabitur, præsertim quum in antecedentibus admodum serio Sosia locutus sit. Ad sensum aptum esset „Nunc demum"; sed corruptelas librorum examinanti veri similius videbatur, Plautum *Nunc sero* scripsisse.

177. *in mentem fuit*, i. e. venit, cf. infra 703. Bacch. 158: „Ecquid in mentemst tibi, patrem tibi esse?" Cicer. Div. in Cæcil. 20, 66: „ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. dicionemque essent"; alibi „in potestatem esse", vid. Gell. I, 7, 16 sq., qui etiam hunc locum commemorat. — 179. *referre gratias*. Plurali numero interdum in his utitur Plautus, ut Asin. 540: „Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas".

Pœn. 1278: „Di deaeque omnes, uobis habeo merito magnas gratias“. ibid. 134: „fateor deberi tibi et libertatem et multas grates gratias“. Trin. 821. 824. Sed plerumque ad communem et accuratam regulam dicitur „refero gratiam“ (As. 163. Capt. 925. Most. 209. 227. Merc. 989. Pers. 850. Rud. 575. 1222. 1392. Trin. 619) et „habeo gratiam“ (Aul. 204. Capt. 371. 705. Cist. 80. Ep. 263. 289. Most. 423. 911. 1161. Men. 1070. Mil. 1220. 1346. 1416. Bacch. 1015. Pœn. 643. 1044. Pers. 539. 718. Rud. 516. 835. 1397. 1412. Trin. 506. Asin. 142 metro iubente hoc restitutum est). — 180. *occillare* vox inaudita ac ne glossariorum quidem auctoribus nota; nec veri similis eius derivatio inventa est; quis enim Colero credat verberandi verbum ab occando derivanti? *Suggillet* scribendum esse primus, quod sciam, intellexit Gertzius; est autem suggillare proprie pulsare aut verberare usque ad livorem, cf. Plin. H. N. XX, 6, 23, 55: „suggillata aut liventia ad colorem reducit combustum ex melle“. — 181. *quae* pro „qui“ olim emendatum. — *ingrata atque inrita*, quæ gratum animum non pariunt suaque adeo mercede carent. cf. Asin. 135. — *ea* demonstrativum quod non primum sententiæ locum obtinet, cf. Curc. 503: „Qui constitit, culpant eum“. ib. 530. Mil. 728: „Quæ probast merx, pretium ei statuit“. Lucret. I, 450: „Nam quæcumque cluent, aut his coniuncta duabus rebus ea invenies aut etc.“ — *Quid se sit dignum*, quid mereat, quo dignus sit, cf. Aul. 43: „ut te dignam mala malam aetatem exigas“. Rud. 640: „te digna ut eueniant precor“. Bacch. 615 sq.: „Omnibus probris, quae inprobis uiris digna sunt, dignior nullus est homo“.

183. *opinatus fui*, i. e. opinatus sum. Sic Plautus interdum. Madvig. Opusc. II, p. 224 affert Pœn. 1347: „sciui et miratus fui“. Mil. 118: „Capiunt praedones nauem illam, ubi uectus fuit“. Add. ibid. 102: „Is publice legatus Naupactum fuit“. Most. 977: „uectus fui“. Pseud. 693: „conmentus fui“. — 184. *poteremur* versus causa Fl. — *domi;* Nonius p. 498 hoc inter exempla ponit „genetivi pro ablativo positi“. — 186. *Duello.* Hanc vocem plerumque apud Plautum bisyllabam esse iam Lachmannus ad Lucretium II, 661 animadvertit. Semper ac neces-

sario hoc fieri nec Ritschelio nec Müllero p. 237 et 264 credo. Quare nolui cum Fl. „Extincto duello“ scribere. — 187. *Quod* olim emendatum. *poplo* versus causa Lindem., v. supra p. 210. Post h. v. hiatus in diæresi. — 189. *mei eri;* sic transposuit Fl., ne etiam ante diæresin intolerabili hiatu laboraret versus. — 190. *Qui* principio versus addiderunt ed. Parm. al., ac sane vel versus vel structura tale voc. excidisse ostendit; verum si illo loco ponetur, „agro“ priorem longam habebit, quare Fl. „Qui præda agroque“ edidit; ego *qui* post „agro“ addidi. Hoc enim aptius videbatur quam *is* aut *ille;* nec offendit remotum a principio sententiæ relativum, v. supra 162. Mil. 916: „materiarius, quod opus qui det“. 1295: „pretiosa omnia duc adiutores tecum ad nauem qui ferant“. Etiam alii, ut Iuvenal. 2, 40 sq.: „unde hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo quæ tibi“. — *adorea,* „far, quod adoreum appellavere veteres“, ut ait Plinius H. N. XVIII, § 81. Idem paulo ante (§ 9) „dona amplissima imperatorum ac fortium civium“ fuisse dicit „quantum quis uno die circumaravisset, item quartarii farris aut heminae, conferente populo“. Unde „gloriam ipsam a farris honore adoream appellabant“ (§ 14). Cf. Horat. Od. IV, 4, 41. — 191. *Creoni* pro Creonti, forma magis ad Latinorum aures accommodata. Nominativus Creo est v. 347. — 192. *ut* alteram dipodiam terminat, v. Proleg. p. 185. Both. transp. „haec ut“. — *præmisit ut nuntiem;* ne quis „nuntiarem“ requirat, cf. 484. 863. Asin. 426. Capt. 997: „upupa, qui me delectem, datast“. Mil. 131: „Dedi mercatori quoidam, qui ad illum deferat“. Pœn. 606: „quasi tu . . . oraueris . . ., ut conmonstraremus tibi locum . . ., ubi ames potes, pergraecere“. Pseud. 800 sq.: „Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit, Ut esset hic qui mortuis cenam coquat“.

195. *solens,* ut soleo, cf. Casin. 809: „Lubens fecero et solens“. — 196. Post *maxume* hiatus in diæresi. *ego* ultima longa pronuntiandum, v. Prol. p. 195. Quod post h. v. in editione nostra expressum est *tum*, tollendum est, nam in codd. non extat; addidit Fleckeis. Quod in Prosodia commendaverat Müller: „Nam quam p. m., ego tam f. m.“, ipse postea improbavit, Nachträge p. 7. Cf. infra 423, ubi quod Sosia se tum

temporis in tabernaculo potasse dicit, huic loco non admodum repugnat, nam etiam qui latet, pugnam fugit. — 197. *tamen* in deterioribus codd. post „uerum“, in B post „adfuerim“ ponitur, recte; solet enim Plautus h. v. postponere ac sæpe ad extremum enuntiati locum reiicere, ut animadvertit Lindem., cf. infra 538. Capt. 187. Epid. 422. 512. Mil. 863. 1333. Pœn. 1087. — 198. *deceat* extat in B, quamvis neget Pareus. — 199. *Sic* ad sequentia referendum. — *hoc* codd.; Fl. *haec*, ut v. 192 et 257, fortasse recte.

202. *Eos* aut pro duabus brevibus aut pro una longa legendum. — *iubet ut*, cf. Pseud. 1149: „iussit . . . ut mecum mitteres Phœnicium“. Most. 914: „iube in urbem ueniat“. Men. 935: „iube hunc ad me ferant“. Stich. 397. al. — 204. *asportassint* Fl. Codd. vulgato errore *asportassent*, quo facto etiam *redderent* scribebatur; hic tamen error in B radendo sublatus est. *reddere* brevi vocali ante diæresin ut 192. — 205. Post *agro* hiatus in diæresi, ut 196. — *Argivos* pro Græcis dicit, ut Ἀργείους Homerus; nam proprie non Argivorum, sed Thebanorum exercitus erat. — 206. *dare*, præsens infinitivus pro futuro per se non offendit, v. ad Asin. 439, sed ægre auditur subiectum non proximæ sententiæ (Argiuos), sed remotioris (se), quare Luchs in Herma VIII, p. 107 *fore* coniecit. — 207. *igitur* apodosin incipit; nam apud Plautum frequenter hæc vox non tam causalem quam temporalem vim habet poniturque eodem modo, quo alibi „tum“. Ut h. l. ponitur Casin. 196: „Mox, magis quom otium mihi et tibi erit, igitur tecum loquar“. Mil. 772: „Quando habebo, igitur rationem . . . dabo“. Nihil aliud quam „tum“ significat infra 597. Most. 1084. *Igitur tum* extat Most. 128. 677. Trin. 676. Capt. 863. *igitur demum* Amph. 469. 869. Most. 373. Rud. 930. Merc. 543. *igitur deinde* Stich. 90. Quod qui animadvertit, eum minus offendet iunctum *ergo igitur*, ut Most. 835. Trin. 756. Non male Nonius p. 128: „*Igitur* positum pro postea“, ad quod probandum hunc nostrum locum affert, corrupte ille quidem, sed non inutiliter; nam pro *expugnassere* habet *oppugnatusse*, i. e. oppugnassere, inf. futuri pro oppugnaturum esse, ab indicativo „oppugnasso“ ductum. Apparet autem oppugnandi, non expugnandi verbum requiri. —

208. Versus a duobus dactylis incipit. Post *ordine*, finita priore parte tetrametri, hiatus, cf. 196 et 192. — 209. *magnanimi uiri*, Teleboæ. — 210. *Superbe* cod. B, recte; ceteri „superbi". Nimis superbe, i. e. nimia superbia inflati, *ferociter*, i. e. ferocibus verbis, respondent. — 212. *suis de* versus causa transposui. Superiores inde a Pylade: „de finibus suis". — *deduceret* em. Gertz. — 213. *castris*, i. e. ex castris. Præpositio *e* in deterioribus codd. additur; abest a B et abesse potest, vid. Mil. 459: „manibus amisisti prædam". 691: „me somno suscitet". Trin. 265: „peius perit, quam si saxo saliat". — 214. *contra* h. l. ultimam longam habet, ut apud posteriores; apud Plautum plerumque breve est *a*; hinc efficitur, ut anceps fuerit, non ut h. l. *Teleboæ contra* scribendum sit, quod voluit Bergk, Beiträge p. 83. — 215. *educunt* olim emendatum.

216—242. Cretici tetrametri acatalecti cum clausula extremo addita. Prœlii narratio graviores numeros exigere videbatur. — *exitumst*, molossus pro cretico. Item in proximo versu *Dispertiti*, in 218 *Nos nostras*. — 218. Quæ ultra tetrametrum in codd. adduntur, *legiones item*, mihi spuria videntur, nec enim dubito, quin ad *nostras* ex proximo versu audiri possit *legiones*. Sic etiam Bacch. 434: „Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio" subiectum „puer" in versu 437, Men. 564: „Si est pauper atque haud malus" subiectum „cliens" in proximo versu ponitur. Spengel, Plautus p. 151, et Studemund, Cantic. p. 21, clausulæ nomine hæc verba defendunt, qua in media oratione carere malumus. — 220. *utrique imperatores* pro „uterque imperator" per se offendere non debet, vid. Madv. Gr. Lat. 495 not. 2. Terent Andr. 287: „utraeque res". Heaut. 394: „utrique ab utrisque". Sed quia tetrametri forma non servatur, Both. ceterique illud substituerunt. Si quid mutandum, malebam: „in medium eunt". — 223. *dederent*, imperfectum coniunctivi post præsens historicum, cf. v. 237 „steterat". — 224. *utrimque canunt contra*, sic codd., ἄμετρα prorsus. Both. aliique transponunt: „contra canunt", sed restat scrupulus in „utrimque". Felicius Bergk, Beiträge p. 83: „contra utrinque occanunt". — 225. *Consonat*, i. e. resonat; cf. Verg. Æn. VIII, 305: „Consonat omne nemus strepitu". — 226. *uterque* em.

Lindem., nam, sequentibus „hinc et illinc“, *utrimque* male abundat, pronomen desideratur. — 227. Versus duplici hiatu laborans, post *suscipere* et post *hortari*, vix integer est. Fl. paulo audacius edidit: „tum exercitum hortarier“. Seyffert (Philolog. XXVII, p. 451) „uterque hortari exercitum“. — 228. *potis est* pro *potest* scripsi versus causa; Lindem. ceterique „et potest et ualet“ scripserant. — 229. *boat* Græcum vocabulum, ut alia apud Plautum. Hoc quidem etiam Ennius usus est: „clamore bouantes“ (Varro L. L. VII, 104) et, nisi fallor, Pacuvius Medo: „Clamore et sonitu colles resonantes boant“, ubi Nonius p. 79 „bount“ legit. Utuntur etiam Vergilius et Ovidius. — 230. *spiritu atque anhelitu* B et Nonius p. 272; deteriores codd. male *atque* omittunt. Quod ad numeros attinet, Spengelius (Plaut. p. 77) poetam a creticis in trochæos abiisse censebat; nos *atque* primam corripere statuimus, vid. Proleg. p. 205. — 231. *constat* et codd. et Nonius p. 272, qui recte interpretatur: „*Constat*, consistit“ conferens etiam antiqui tragici locum apud Cicer. Tuscul. I, 16, 37: „ubi rigida constat crassa caligo inferum“. Significatur, nebulam coactam stare. Fleckeisen recepit, quod Schwarzmannus in B legi affirmaverat (v. præf. p. V), *conflat*, mire admodum, ut verbum activum non intransitive sed passive poneretur. Verum non est laborandum, nam erravit Schwarzmannus. — *uolneris ui et uirium* codd., quod quum numeris repugnaret, Bothius ceterique *uirum* scripserunt. Sed parum apte milites vulneris et virorum vi cadere dicuntur. Equidem olim deleta „et“ particula *uiri* scripseram; in eandem coniecturam incidit Seyffert, Philolog. XXV, p. 441, et Luchs, Herm. VIII, 108, qui hoc quoque recte animadvertit, singularem *uolneris* ferri non posse, *uolnerum* requiri. — 232. *uoluimus* emendator codicis B. — 233. *uicimus ui feroces*, clausula tetrametro addita, quam, si abesset, non desiderarem.

234. *fugam in.* Anastrophe præpositionum apud Plautum invenitur non solum disyllabarum, ut erga, inter, penes, propter, quibus accedunt etiam aduorsum, secundum, circiter (Cist. 504), sed etiam monosyllabarum, ut Asin. 118: „quo ab“, 394: „qui pro“, 758 et Epid. 172: „quo ex“, Casin. 170: „qua in“,

Mil. 1041: „quanam ab“, Pœnul. 13: „quam per“, Bacch. 173: „quem ad“, ubi vid. not., nec post pronomina solum, sed etiam post nomina, ut Bacch. 652: improbis cum“, Trin. 1126. 1128: „amicum erga“, ib. 427: „Qua sponsione pro“, cf. Spengel. Plaut. p. 162. Verum quod h. l. sequitur, *se*, quamvis confirmetur etiam Nonii testimonio, p. 480: „*Convertitur* pro convertit“, verum esse non potest, non tam quia periculum sit, ne cum præpositione *in* iungatur, de quo vid. ad Bacch. 173, quam quia *se converti* pro *converti* aut *se convortere* nec dici nec cogitari potest. Lindem. et Fl. ediderunt: *In fugam sct tamen*, et iusto licentius et pravo verborum ordine. Equidem *sic* pro *se* scripsi. Sed vel sic, inquit, quamvis crebro cadant nostrique eos graviter urgeant, nemo fugam petit. — 235. *statim*, i. e. stantes, ἐν σταδίῃ ὑσμίνῃ, ut ait Homerus. Nonius p. 393 explicat „perseueranter et aequaliter“ laudans præter huius fabulæ v. 235 et 272 Ennium Aiace: „qui rem cum Achiuis gesserunt statim“. Terent. Phorm. 790: „ex his praediis talenta argenti bina capiebat statim“; ubi Donatus explicat „perpetuo, æqualiter et quasi uno statu“. Quod autem et Donatus et Nonius affirmant, in hac significatione primam vocis syllabam produci, nec his locis probatur nec eo, quem ex Afranii Augure (v. 11 Rib.) affert Nonius; de Accii autem loco didascalicorum, quem affert Charisius p. 195 P. („uectigalia . . . seruantur statim“) nimis incertum est iudicium. — 236. *Animam* olim emendatum. Item v. 237 *optinct*. — *iacet* ultima longa, v. Proleg. p. 196. — 238. *conspicatus est* codd.; ut creticus tetrameter efficeretur, iam antiqui edd. *meus* addiderunt. — 239. *inducere*, cf. Liv. XXX, 18, 4: „ego inducam in pugnam equites“. Sall. Cat. 60, 5: „cohortem prætoriam in medios hostes inducit“. Obiectum verbi iubendi omissum est, v. Madv. Gr. Lat. 390 not. 3, magistrum equitum puta. Fl. „inuadere“ scripsit; non opus; nam quod proximo versu non dux sed equites parere dicuntur, quid aliud dici potuit duce non nominato? — 240. Primus pes pæon quartus est. Comma posui post *parent;* vulgo minus apte post *citi* ponunt. — 241. *ruunt* Hermannus addidit, ut tetrameter constaret, cf. 238. — 243. *Iure iniustas*. Clausula creticis tetra-

metris addita non vires solum, sed etiam ius uicisse prædicat. In cod. B clausula cum antecedenti versu iungitur.

244. Redeunt octonarii iambici. — *Numquam etiam . . . adhuc*, Plautina abundantia, ut „quoque etiam" supra 30. — *perperam*, falso, cf. Ter. Phorm. 745: „Eo perperam olim dixi, ne uos forte imprudentes foris effutiretis". — 245. Se et patrem, utpote deos, præsentes pugnæ adfuisse dicit; *in re praesenti* cf. Casin. 476. — *illi* pro *illic* versus causa Both. Recte scribitur in codd. v. 133. 737. 754. 773. Most. 309. Men. 975. Mil. 1271. Merc. 96. Pœn. 333. 334. 340. 1199. 1237, multisque aliis locis; sed persæpe vulgaris forma substituta est.

246. *Perduelles*, hostes, antiquo nomine, quo XII tabulas usas esse vel ex Cicerone, Off. I, 12, 37, notum est. Cf. infra 636. Mil. 224. — *penetrant se*, cf. Trin. 276. 291. 314. Truc. 44. Men. 393: „penetraui pedem". — Post *fugam* hiatus in diæresi. — *ibi*, tum, cf. Curc. 644. Cas. 276. Most. 106. 692. Epid. 237. Plura vid. ad Asin. 502. — 247. *Uortentibus* sc. se, cf. Liv. XXXVIII, 26, 8: „versuros extemplo in fugam omnes". — 248. Hiatum post *sua* correpta ultima defendit Spengel, Plaut. p. 204 sq.; Lindem. *suapte* scripsit, Ritsch. *suad*. — 249. Post *pugna* hiatus in diæresi. Fl.: „Hæc illi ui pugnata pugnast". — *a mani* scribit Nonius p. 231 hunc versum afferens, ut Most. 755 Servius. Cf. *luci* supra 163. — 250. Alterum *hoc* ablativus est mensuræ ad comparativum relatus. — 252. *ad nos* in cod. B correctum. — 253. *Uelatis manibus*, vittis ramisque oleæ, quos præferebant supplices, cf. Verg. Æn. XI, 101: „Velati ramis oleæ veniamque rogantes". VII, 154: „Centum oratores . . . ire iubet ramis velatos Palladis". ib. 237: „Præferimus manibus vittas". Iliad. I, 14, al. — *ignoscamus peccatum*, cf. Bacch. 1180: „ut eis delicta ignoscas". Terent. Heaut. 647: „istuc factum ignoscam". ib. 218. — 254. Cf. Liv. I, 38, 2: „Deditisne vos populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique R. dicionem?" — 255. *in arbitratum*, arbitrio Thebanorum, ut suo arbitratu agant. — 256. *est* metri causa transposuit Pylades. — 257. *Qui* ablativo casu, ut 415. Capt. 820. Cas. 515. Quin etiam plurali numero ponitur Rud. 1110:

„signa qui parentis noscere haec possit suos". Pseud. 487. Cas. 702: „Gladios . . . qui me atque te interimat". — *Pterela*, non prorsus accurate, quoniam Græcum Πτερέλας non est primæ declinationis, sed contractum Πτερέλαος. Cf. infra 409. 411. 415. In cod. B primum scriptum erat „potare solitus est hæc si dicam", deinde supra versum additis, quæ omissa erant: „potare rex solitus est haec sic dicam". Sed laborat etiam nunc versus, quare *potitare* emendarunt Pius et Camer., ut v. 415 et 531. Iidem *est solitus* mutato ordine; ego malui vocabulo postea addito alium locum assignare („solitus est rex"). — 258. Post *exequi* hiatus in diæresi. — *me capessere*, i. e. conferre, ut Bacch. 110: „Quo nunc capessis te?" ib. 1070: „Quam se ad uitam capessat". Asin. 157.

259. Incipit colloquium Mercurii et Sosiæ, non iam octonariis iambicis, sed trochaicis septenariis conscriptum. — *Attat* exclamatio est admirantis aut stupentis, cui subito apparet aut in mentem venit res timenda aut saltem non expectata; cf. Curc. 390. 582. Cist. 529. Pœn. 824. Pers. 721. Trucul. 570. Alibi *attatæ*, vid. Merc. 359. — Post *illi* hiatus; Fl. „illic" scripsit. — 260. *hunc* olim emendatum. — Post *hominem* hiatus, cuius vitandi causa R. „hocedie" scribebat, Müller „huc" ante „hunc" addebat. Fl. audacius: „hasce hodie ad aedis hinc". — 261. *imagost huius in me*, huius imaginem gero. — 262. Numerorum causa *huiusce* scripsi, probante Müllero; Both. et Fl. „huius cepi"; R. „in med". — *statum*, i. e. staturam, vid. Colum. I, 9, 3: „mediastinus qualiscumque status potest esse", quod proceritati opponitur. — 265. *suo sibi* aut proceleusmaticum efficit aut contractis duabus primis dactylum. Versus diæresi caret; quare Fl. voc. „his" pro spurio seclusit. — *sibi* additur ad augendam notionem, quæ in *suo* est, fere ut „proprio"; cf. Asin. 818. Capt. 5. 46. Mil. 633. Pers. 82. Pœn. 57. 485. 1086. Ter. Ad. 958: „Suo sibi gladio hunc iugulo". Lucret. III, 884: „Qui possit uiuus sibi se lugere peremptum". Pl. Trucul. 685: „Ubi male accipiar mea mihi pecunia". — 267. *scio* recte omisit Both. — *quod* olim emendatum. — 268. Post *Nocturnum* hiatus in diæresi. Alter hiatus est ante *ebrium*, nisi *obdormiuisse* legeris, quod plerisque placuit.

— Sosia miratur noctem non procedere. *hac noctu* antiqui dicebant, v. infra 400. Mil. 383. Macrob. Saturn. I, 4, qui Ennii hæc laudat: „noctu concubia“ et „hac noctu filo pendebit Etruria tota“. — *Nocturnus*, Noctis deus, qui noctem regit, etiam titulis celebratur, vid. Orell. Inscr. Lat. III, n. 5857 sq. — 269. *Nam* iam in codd. emendatum. — *septem triones*, ursa maior vel, ut Cicero Nat. Deor. II, 41, 105: „Helice, cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus, Quas nostri septem soliti vocitare triones“; cf. Varro L. L. VII, 74, Festus p. 339 M. — 270. Lunam quoque locum mutare negat aut se movere ab eo loco, ubi primum apparuerit. *se mutat*, cf. Liv. V, 46, 11: „mutari finibus“. — *Atque* comparationi inservit, ut infra 439. Casin. 801 sq.: „Neque fallaciam astutiorem ullus fecit poeta, atque ut haec est fabre facta“. Mil. 764: „Haud centesimam partem dixi atque, otium si sit, possum expromere“. ib. 1123 in huius loci similitudinem emendatum: „Numquid uidetur demutare atque uti . . .“ Cf. etiam infra 1012. — 271. *Iugulae* ab antiquis Romanis signum dicebatur, quod Græci Oriona dicebant. Varro, qui hunc versum affert L. L. VII, 50, et Festi Epitom. p. 104 miras huius nominis causas produnt. Communis utriusque error est, quod *iugula* singulari numero ponitur; vid. Manil. V, 174 sq.: „Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistra Consurgunt Iugulae“. — „*Vesperugo*“ ait Varro l. l. „stella quæ vespere oritur“, Vesper, Ἕσπερος. Quint. I, 7, 12: „in pulvinari Solis, qui colitur iuxta ædem Quirini, *Vesperug*, quod *Vesperuginem* accipimus“. cf. Martian. Capell. VIII, p. 883. — *Vergiliae*, quas Græci Πλειάδας dicebant, vid. Cicer. Arat. v. 261 sqq. Post h. v. hiatus, cuius vitandi causa Ritsch. in Novis Excurs. p. 118 nominativi formam *vergilias* commendare ausus est. — 272. *statim*, v. 235. — *die* versus causa aut scribendum aut pronuntiandum saltem. De qua forma v. Gell. IX, 14, 7. Serv. ad Verg. Georg. I, 208. *die* præbent codd. Merc. 4. Pseud. 1156. cf. Proleg. p. 216.

284. *Optumo optume optumam.* Placet sibi Plautus in eiusmodi παρηχήσεσι, cf. Capt. 767: „me amoenitate amoena amoenus onerauit dies“. Cas. 197: „nitoribus nitidis“. Cist. 471: „O Salute mea salus salubrior“. Epid. 121: „pretio pretioso“.

657: „miserum me habes miseris modis". Most. 157: „Venus venusta". Mil. 954: „pulchram pulchritudinem". Asin. 264. al. multa. — *datam* (sc. operam) *pulchre locas*, noli dubitare, quin tibi gratiam relaturus sit pater meus. — Errorem cod. B *des* ceteri evitarunt; „da" intelligi poterat; cur imperativi loco coniunctivus poneretur, nulla causa erat. — 275. *me uidisse;* hunc verborum ordinem versus flagitat, ac nescio an eo spectet etiam error cod. B „uedisse". — 276. Sosia negat se ullam vidisse longiorem noctem. Unius ei in mentem venit, quam cum hac comparare possit, qua verberatus vesperi usque ad matutinum tempus de trabe suspensus fuerit; sed illam quoque breviorem fuisse censet. Post *nisi* hiatur, cf. Proleg. p. 220 et 224; Fl. *itidem* scripsit. — *perpetem*, perpetuam, cf. infra 725. Trucul. 278. Pacuv. v. 188: „Concorditatem perpetem". 208: „hanc operam mihi des perpetem". — 278. *atque*, i. e. et quidem, cf. Asin. 709. Mil. 369. Pseud. 744. Bacch. 564. Casin. 692: „Seruos es .... Atque meus". Ter. Eun. 915. Heaut. 763: „Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens". — *adpotum*, cf. Rud. 566: „si probe adpotus siem". Gell. VI (VII), 7, 7. — 279. *Mira sunt*, i. e. mirum est, cf. infra 428. Bacch. 446. Capt. 797. Casin. 177. Trin. 861. Pseud. 1212. Men. 1024: „quid sit, mira sunt". Pœn. 842: „Omnia edepol mira sunt, nisi erus hunc heredem facit". Huc quoque pertinet Terent. Eun. 288: „mira uero, militi qui placeat"; quem locum recte explicat Donatus, coll. Verg. Æn. I, 669: „Nota tibi". Cf. Most. 46: „patiunda sunt". Neque aliter Græci, v. Madv. Syntax. Græc. 1 b not. 4. — *inuitauit*, cf. Rud. 362: „Neptunus magnis poculis hac nocte eum inuitauit". 590: „si inuitare nos paulisper pergeret; Ibidem obdormissemus". Sallustius apud Nonium p. 321: „quum se ibi cibo vinoque læti invitarent". Sueton. Aug. 77: „quotiens largissime se invitaret, senos sextantes non excessit". — 280. *Ain*, sive *Aiin* scribere mavis, disyllabum est, et quidem quasi duplicata semivocali priorem longam habet, vid. Proleg. p. 198. Fl. inutiliter *tu* addit. — 283 sq. *Ubi sunt* etc., cf. Men. 128: „Ubi sunt amatores mariti?" Talem noctem veneri aptissimam esse dicit. Hominibus eiusmodi libidini deditis hanc noctem *scitam*, i. e. bonam, commodam esse ait, maxime si

scortum *male* conduxerint, i. e. care, magno, ut ait Donatus ad Terent. Eun. 4, 4, 2 hunc versum laudans. Contrarium, *bene emere,* Plaut. Most. 292. Suet. D. Iul. 50. al., v. Gron. Lect. Plaut. p. 12. — 286. *Conplexus*, cf. Lucret. II, 154: „Sed conplexa meant inter se conque globata". Quæ sequuntur, *cum Alcumena cubat*, separari non debent.

288. *quis est hic homo*, hoc ordine B. — *hoc noctis* cf. 154. — 289. *meticulosus* (secunda longa), i. e. metus plenus, cf. Most. 1083: „Nescis quam meticulosa res sit ire ad iudicem". — *hoc aeque*, i. e. aeque atque hic. Hæc enim particula apud Plautum comparativi modo construitur, cf. Curc. 141: „Qui me aeque fortunatus erit?" Casin. 652: „Neque est neque fuit me senex quisquam amator adaeque miser". Most. 29: „Quo nemo adaeque iuuentute ex omni Attica antehac est habitus parcus". Etiam Plin. Hist. nat. XXXV, § 17: „picturæ ... quibus equidem nullas aeque demiror". — *Quem* codd. (etiam B) corrupte. Bothius „Mi" scribebat; facilius Müller „Em". Fleckeisen longe aliud reposuit: „Quom [recogito]". Oratio non obliqua, sed recta, ut sæpe apud *credo, opinor, scio,* al. Veretur Sosia, ne in latronem incidat, qui se fusti verberaturus sit; sed scurrili servorum ratione non simpliciter hoc dicit, sed per circumlocutionem eum pallium suum *denuo detexturum* esse dicit, nam in texendo tela radio et pectine identidem verberatur. *detexere* autem est pertexere, cf. Pseud. 400. Titin. v. 25: „quae inter decem annos nequisti unam togam detexere". Cicer. de Orat. II, 38, 158: „quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur". Ulpian. in Dig. XXXIV, 2, 22: „Quod in tela est nondum detextum contextum appellatur". Scilicet in tela pendula sive stante (*ὀρθίῳ*) texendo descenditur. Sæpe autem ab his rebus ad verbera significanda similitudo petitur, ut „pectere fustibus", „carminare", al. — *denuo*, cf. 313. — 290. *Illic homo hoc* codd., numeris claudicantibus. Both. „hocce" scribebat; Fl. „hoc meum". Nos secuti sumus antiquiores, qui inverso ordine „hoc homo" edebant, nam tali chiasmo in ordinandis verbis non raro utitur Plautus, cf. infra 641. 705. 984. Asin. 32. Aul. 679: „te eam conpressisse uinolentum virginem". Bacch. 541: „hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo". 743: „quid istis

ad istunc usust conscriptis modum". Cas. 124: „te adgerunda curuom aqua faciam". Mil. 859: „Ne dixeritis obsecro huic uostram fidem". ibid. 955. 1102. Pœn. 376: „Noui ego huius mores morosi malos". Truc. 844: „meum Diniarchi puerum inuentum filium".

291. *dentes pruriunt*, i. e. dentibus vel ori meo plaga infligetur. Nam qui pruritu laborat, is ex plagarum aut verberum dolore quasi pruritus levamen sibi quærit. Inde prurire eum dicunt, cui verbera imminent, cf. Mil. 399: „mihi dorsus totus prurit". Pœn. 1319: „Num tibi malæ aut dentes pruriunt?" Pers. 32: „scapulæ pruriunt". — 292. *pugneo* em. Acidalius coll. Rud. 763: „tibi messis in ore fiet mergis pugneis". Hospitium pugneum est, quod pugnis fit, i. e. pulsando et tundendo, ut Mil. 513: „supplicium stimuleum" al. — 294. *pugnis faciet ut dormiam*, ita me pugnis onerabit, ut dormientis instar exanimis relinquar, cf. v. 299 sq. — 295. *Oppido*, prorsus, cf. Asin. 285. Most. 132. 161. 797. Merc. 700. Pers. 740. Pseud. 425. al. — 296. *aduorsum* ed. pr. — *auscultet* optative intelligendum; non opus est coniunctione „ut". — 297. *Igitur*, cf. 207. Corruptelam codicum Acidalius sic emendabat: „Igitur demum magis maiorem"; Gertzius: „Igitur magis modum in mororum". Mihi et aptius et propius visum: „Igitur magis homo maiorem". *Magis* non raro apud Plautum ex superfluo comparativis additur, v. Aul. 414. Capt. 637. Men. 55 et 958. Merc. 886. Pœn. 82. 212. 460. Stich. 700. Nec aliter Græci antiqui, ut Hom. Iliad. 24, 243: ῥηΐτεροι μᾶλλον. Herodot. I, 32: μᾶλλον ὀλβιώτερος. Eodem modo *aeque* ponitur Capt. 693. — 298. *Iam diust quod.* Fleckeisen *quom* scripsit, ut Merc. 532: „illi quidem haud sane diust quom dentes exciderunt". Sed etiam illud dictum videtur, cf. Plin. Ep. IV, 27, 1: „Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium". Etiam apud Terent. Heaut. 54: „Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus est" vereor, ne parum recte Fl. „quom" pro „quod" scripserit. — 299. *Iam pridem*, olim emendatum, i. e. iam diu, cf. Ter. Hec. 219. Heaut. 229. — 300. *nudos*, verberatos se spoliasse significat. — 301. *conmutem meum.* Vulgo edd. inverso ordine *meum conmutem*, ne quartus pes trium syllabarum sit, sed v. Prol.

p. 184. — *Quintus.* Ludit in nomine, quod proprie numerum significat. Explicat proximo versu. — 302. *uiros* iam in codd. emendatum. — *autumat*, dicit, vulgo Plautus, cf. 328. — 303 sq. *sicolo* codd. corrupte. Edd. frustra emendare conati sunt, ut Camerarius, quem plerique secuti sunt, „sic uolo", Lindem. „sic olo" (i. e. oleo). Gertz: „Nunc iam me ergo sic loco". Equidem potius credo excidisse versum, ut tale quid fuerit:

„si colo
Morem eundem, qui multos per annos mihi uitam dedit",

quibus apodosis in proximo versu adiungatur „non feret, quin uapulet"; in quibus *feret* eadem ratione intelligendum, qua dicitur „tacitum ferre, inultum ferre". Quod si durius aut obscurius videtur, fieri potest, ut ex eo versu, qui omissus videtur, obiectum audiatur, velut si fuit: „si colo Morem antiquum, si gradum quis obuiam mi hodie feret", aut: „si colo Morem, quem colui usque semper, si quis hinc quidquam petit" . . . „non feret, quin uapulet". Luchs in Hermæ VIII, p. 122: „Non fiet quin". — *expedit se*, i. e. parat se. — 305. *Quis homo* sc. vapulabit? Hæc Sosia secum, ut Mercurius proxima; verum hic ita sententiam formavit, ut etiam ad illa respondeat. Mox cod. B „pugno sedet", I „pugnos aedat". Edd. recte *pugnos edet*, s. comedet, i. e. pugnis fruetur, comice pro: pugnis onerabitur. Inde Sosia proximo versu ait, sero, post cenam, sibi non opus esse, ut quidquam edat. Schmieder *edet* quasi „editurus est" explicat: „pugnos expediat oportet ad certamen mecum ineundum". Sed Mercurius non ad pugnam provocat; adversarium vel non repugnantem pugnis concisurus est. — *hoc noctis* cf. 154. — 306. *Proin tu* ed. pr.

309. *tractim*, longo tractu, ut explicat Nonius p. 178, uno longo ictu. Sic „tractim vocales pronuntiare" Gellius IV, 6, 6. VI (VII), 10, 1; 20, 3. Verg. G. IV, 260: „Tum sonus auditur gravior tractimque susurrant". Quod autem Gronovius: „Loquitur" inquit „ut Mercurius, cuius est virga tractim tangendo oculos sive demulcendo, quibus vult, somnos conciliare", vix satis consideravit, Mercurium non suas sed latronis partes agentem ea loqui, quibus Sosiam perterrefaciat, potiusque soporem significare eiusdem generis, quod v. 300 indicavit. Quamquam Sosia quidem vel in summo timore iocabundus „Bene feceris" inquit „si mihi

somnum paraveris, nam nimis diu vigilavi". — 310. Codd. et B et ceteri: „MERC. Pessum est.
SOSIA. Facinus nequiter etc."
Facile apparet versus 311—12 a Mercurio pronuntiari nomenque Sosiæ errore librarii hic positum esse, quum versui 313 anteponi deberet. Sed contra codicum auctoritatem non ausim cum Scioppio et Fl. „pessume" scribere idque deleto personæ nomine cum „pervigilaui" coniungere, præsertim quum proxima expediri nequeant. Rectius antiqui editores: *Pessumum est facinus*. Mercurius, quod nuper proposuerat consilium tractim tangendi, id iam quasi nimis placidum improbat pessimumque facinus esse dicit, si quis adversarium *nequiter*, i. e. non fortiter, feriat; malam hanc esse manus disciplinam. Sed offendit *malam* pro obiecto positum verbi feriendi, quum in tam generali sententia aut nullum obiectum poni debeat aut plurali numero (malas); rursus obiectum verbi *discit* desideratur. Nisi fallor, sic Plautus scripsit: „Pessumum est Facinus nequiter ferire; *malaca* male discit manus", ut mollia manum male discere dicat. Mollia autem Plautus sæpe Græco vocabulo „malaca" dicit, v. Bacch. 69: „malacum pallium". 351: „in malacum modum". Cas. 785: „corpusculum malaculum". Mil. 669. Stich. 231. Truc. 600. — 312. *Alia forma*, mutata, v. proxim. vers. Post *forma* hiatus. Fl. transp.: „oportet esse". Ritsch. „formad" scrib., Luchs „forma os esse". — *pugno legeris* codd. corrupte. Olim correctum: „pugne, læseris", in quo prius utique probandum, nam indicari oportet, quem Mercurius secunda persona alloquatur, nec probari potest Fleckeisenii coni. „pugnis iceris". Sed in *legeris* potius *tetigeris* latere arbitratus sum, cf. v. 309. — 313. „*Interpolare*" ait Nonius p. 34 „est inmittere et interponere et novam formam e vetere fingere . . . Est autem tractum ab arte fullonica, quæ poliendo diligenter vetera quæque quasi in novam speciem mutat". Deinde h. l. laudat. Sed ponitur non solum de vestimentis, ut Cic. ad Q. fr. II, 12 (10), 3, sed etiam in tabulis pictis, ut Most. 257: „Noua pictura interpolare uis opus lepidissumum". Inde ad alias falsariorum mutationes transfertur, ut Cic. Verr. I, 61, 158. Plin. H. N. XII, 59: „Alexandriæ, ubi tura interpolantur". — 314. *Exossatum os*

esse oportet, frangentur in capite eius ossa, ut eximi possint. Cf. Capt. 598: „os denasabit". Rud. 662: „malas edentaverit". 731: „ni ei caput exoculassitis". *Exossare* autem proprie dicitur de piscibus, quorum spinæ eximuntur, ut proximo versu et Pseud. 322: „Exossabo ego illum similiter itidem ut murænam coquus". — De omisso *ei* vel *eius* ante *quem* vid. ad 106. — 315. *Mirum ni*, em. Pius. Post *muraenam* hiatus. Müller *iam* addebat. — 316. *Ultro istunc* (ita cod. I), i. e. apage eum; cf. Capt. 545. Casin. 436. Most. 596: „Ultro te!"

317. *Olet.* Mercurius, quasi Sosiam nondum viderit, odore ait se sentire adesse aliquem. Solita comici locutio, cf. Mil. 1250: „Nescio ubi hic prope adest, quem expeto uidere; olet profecto". Aul. 211: „Aurum huic olet". Men. 165 sqq. Trucul. 132. — *malo suo*, i. e. in malum suum aut cum malo suo, cf. infra 362. Asin. 468. Cas. 466. 769. Men. 133. 992. Rud. 775. Similiter „bono publico" Capt. 496. Trin. 220. — Cod. B: *numquam*, supra scripto: „alii *num nam*"; et sic vulgo editur, sed duplex hiatus post *nam* et post *ego* parum veri similis est. Fl. „Hei [mihi] numnam". Lindem., quem sequor: *numquidnam*, cf. Asin. 823. Bacch. 1102: „Numquidnam ad filium hæc ægritudo attinet?" Ter. Andr. 235: „ut sciam, numquidnam hæc turba tristitiæ adferat", ubi Donatus: „Comicum hoc et Terentianum". — *Num obolui*, i. e. num meus odor ad eum pervenit? cf. Casin. 763: „Iam oboluit Casina procul". Men. 377: „Oboluit marsuppium huic". Mostel. 38. — 319. *superstitiosus*, divinus, hariolus, cf. Curc. 397. Rud. 1139: „Quid si ista aut superstitiosa aut' ariolast atque omnia, quidquid insit, vera dicet?" — *Gestiunt* (B ab initio „gestiuit", sed emendatum fortasse eadem manu), i. e. libidine implentur, sc. feriendi, cf. Bacch. 591: „dentifrangibula haec meis manibus gestiunt". Asin. 313. — 320. *Si exerciturus es*, sc. eos, pugnos tuos. — 321. *Vox mihi ad auris aduolauit*, cf. Rud. 333. Nunc primum se Sosiam audire simulat. Sosia servili modo ex similitudine orationis facetias quærit vocique, quæ ad latronem aufugerit, quasi altilibus volucribus se alas intervellere debuisse dicit. — 323. *iumento suo*, proprio; ipsius culpa fiet, si quid mali ei accidet; nam ipse ad me accedit. Sosia, ut solet, quod translate dictum

erat, proprie accipit. — 324. *Onerandus est* scripsi cum B. Vulgo *Onerandust*, ut hiatus ante h. v. sit. — 325. *ut uectus huc sum*, i. e. postquam v. h. s., ex navigatione, cf. infra 726. Men. 622: „Quin ut dudum deuorti abs te, redeo nunc demum domum". — 328. *certo*. Fleckeisen in præfat. p. 17 *certe* scribendum censet; vix opus. — 329. *Hinc enim mihi dextera* codd. turbatis numeris. Fl.: „Hinc enim dextra mihi". Müller: „Hinc enim mihi vox dextera auris" mavult, quia syncopatam formam „dextra" a Plauto abiudicat, quod quo iure faciat, dubito, vid. p. 211. Lindem., qui præpositionem abesse non posse censebat: „Hinc mi a dextera uox"; quem in fabula typis describenda secutus sum, temere, nam sine præpositione *dextera* eadem vi ponitur supra v. 239. Quare h. l. aut omisso voc. „enim" scribendum erat: „Hinc mihi dextera uox", aut syncopata adiectivi forma: „Hinc enim mihi dextra uox". — *uerberare* de sono aut voce sæpius repetita et ingrata multis locis ponitur, velut Trucul. 113: „Me illis quidem hæc verberat verbis". Cicero: „verberare aliquem convicio" Ep. ad Fam. XVI, 26. in Pison. 26, 63. Tacitus autem Agr. 41: „Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas". Sosia, ut solet, in propria vocis significatione ludit. — 330. *uicem* Fleckeisen edidit; sic enim dicebant Latini, cf. Capt. 395: „Ut eum redimat et remittat nostram huc amborum vicem". Madvig. Em. Liv. p. 9 not.

334. *Ilicet* significat „actum est", cf. Curc. 186. Cist. 512: „Actum est; ilicet; me infelicem!" Epid. 674. Stich. 392. Ter. Eun. 54. 374. — 335. *conloqui* aliquem ut alloqui Plautus dicebat, cf. infr. 891. Asin. 149. 519. Capt. 825. Most. 771. Men. 422. Pseud. 246. 253. — 336. *Igitur* male in codd. additum om. Cam. — *Qui*, i. e. Quo. Seyffert in Philol. XXIX p. 391 inutiliter coni. „Si possum". — 337. *Uolcanum in cornu conclusum*, i. e. ignem in laterna cornea, vid. supra v. 149. infra 402. Corneæ laternæ commemorantur apud Athen. XV, 699 f: *κεϱατίνου δὲ φωσφόϱου λύχνου σέλας.* Lucret. II, 388: „Præterea lumen per cornu transit". Mart. XIV, 61 et 62. Plin. H. N. XI, 126: „(Urorum cornua) in lamnas secta tralucent atque etiam lumen inclusum latius fundunt". — 339. *Seruos esne*, emend. Camera-

rius. Fl.: „Seruosne es“. — 340. *Ain* cf. 280. Post *uero* hiatus. *Mentiris* neglecta positione ultimam corripit, id quod sane in fine versus offendit, quare Lindem. „mentire“ scripsit; cf. Proleg. p. 201. Camerarius „Ain“ pro monosyllabo habens scribebat: „Mentiris nunc iam“. Mercurius Sosiam „verberonem“ appellat quasi verberibus dignum. Sed Sosia ridiculi causa ita accipit, quasi *uerbero* verbalis forma sit, eumque mentiri ait, qui se verberare dicat, quum non verberet. Mercurius respondet brevi verum fore. — 341. *dicas dicere*, sc. me, cf. ad v. 22. — 342. *quo profectus*, i. e. quo tendas, pergas, cf. 465. Ter. Eun. 280: „fortasse tu profectus alio fueras“. Auditur aut „es“ aut „sis“, nam et indicativus ferri potest, vid. ad v. 17; de verbo substantivo omisso vid. ad 590. — *quid ueneris*, v. ad 373. — 343. Post *eo* hiatus. Camer. aliique „mei“ addiderunt. — 344. *sceleste* codd. Edd. inde a prima pleræque „scelestam“, quod mihi minime necessarium videtur. — *Conprimam linguam*, orationem aut similia sæpe dicitur, cf. infra 492. Sed servus argutias quærens comprimendi verbum, quasi lingua puella sit, de concubitu intelligit. Idem lusus Asin. 290. Cas. 339. Rud. 1074. Truc. 261. — 346. Post *negoti* hiatus in diæresi, sed ante *est*, ut dubitandi causa sit. Antiqui edd. parum feliciter: „negotium“, Fl. „nunc tibi negotist“. — 347. *Singulos*, non binos, vigiles Romanos posuisse constat ex Polyb. VI, 35, 6. — 348. *tutatus est*, absolute dictum sine obiecto, ut Cæs. B. Civ. III, 111: „tam late tueri parva manu non poterat“. — 349. *familiaris*, servos domesticos, v. 127. Pluralis numerus genus indicat, cf. Truc. 513 et 750 de uno puero. Pseud. 456: „uicinos“. Stich. 329: „Tuos“. Merc. 706: „Urbani fiunt rustici?“ — 350. *Nescio* pro dactylo legendum, quod ne ibi fieret, ubi veri verbi vim retineret, Luchs. in Hermæ VI, p. 270 mutato verborum ordine scribebat: „Nescio quam familiaris tu sis“; Becker in Studem. Studiis, I, p. 239, totius loci naturæ, quum minantis verba sint, magis convenire suspicatur: „At scin quam tu ...“ Neutrum necessarium videtur. — Ante *nisi* forsitan aliquis expectaverit adversativam coniunctionem *sed* aut *uerum*; sed similibus abundat Plautus, vid. infra 416. 420. 492. Asin. 368. Most. 990: „nisi quid magis“ etc. Curc. 414: „Qui Summanus?“

Cist. 191: „Ut sunt humana". Epid. 720: „Solve sane". Pœn. 1059: „Quid ais?" Mil. 529: „Aperitur foris". 737: „Nunc iam istis rebus desisti decet". Nam Ritschl. temere his duobus locis lacunas statuit. Terent. Eun. 545. Etiam Heaut. 65 ante „proinde" expectabatur „sed" aut „ac tamen". — 351. *accipiere faxo.* Frequentissime apud Plautum *faxo* cum altero futuro indicativi iungitur, ut hoc verbum non regat (particula *ut* aut posita aut omissa), sed ex æquo positum fere parenthesis modo interiiciatur; verbisque sic iunctis plerumque non tam effectus significatur quam affirmatio, tanto gravior, quod, qui affirmat, se ipse auctorem prædicat. Rem primus accurate tractavit Madvigius in Opusculis II, p. 75 sqq., qui quum post *faxo* apud Plautum et Terentium amplius quinquaginta locis futurum indicativi invenisset, coniunctivum circiter sedecim, et iis quidem, ubi una aut duabus litteris mutatis (*a* in *e*, *sit* in *erit*) salvaque mensura futurum restitui posset, illam formam solam legitimam esse censebat, coniunctivos librariorum aut errori aut licentiæ tribuebat. Quæ quamquam verissime animadversa sunt, ego tamen Plauto tam severas constantiæ leges imponere non ausim, præsertim quum uno loco, quod mihi gravissimum videtur, etiam *ut* addatur (Asin. 893: „faxo ut scias"). Futuri exempla hæc sunt: Amph. 351: accipiere f. 991: f. deludetur. 1123: f. dices. Asin. 131: f. erunt. 742: horrescet f. Bacch. 502: f. haud dicet. 710: f. hic erunt. 824: f. iam scies. Capt. 1003: f. uenies. Cas. 461: aberit f. Epid. 157: Iam f. hic erit. 465: possidebit f. 646: f. scibis. 701: f. scies. Men. 322: madebunt f. 458: f. dices. 549: f. opprimes. 648: f. referetur. 779: f. amabit. 930: potabis f. 936: f. erit. Mil. 465: f. hic erit. 1358: f. dices. Pseud. 49: f. scies. 387: f. scies. 393: f. aderit. 1040: f. scibis. 1044: f. amplexabere. 1326: f. feres. Pœn. 173: f. scies. 368: f. dabit. 460: f. erunt. 911: disperibit f. 913: f. eris. Pers. 162: f. aderunt. 196: laudabis f. 440: f. erit. 447: f. aderit. Rud. 578: exarescent f. 1351: f. exibit. Trucul. 119: f. erunt. 427: f. hic aderit. 748: f. erit. Terent Andr. 854: f. audies. Eun. 285: f. insultabis. 663: f. scies. Phorm. 308 et 1055: f. hic aderit. — Futuri exacti hæc exempla sunt: Aulul. 568: f. perdiderit. Capt. 793: f. obstiterit.

Pseud. 771: expugnatum f. erit. Pœn. 343: f. constiterit. Trin. 60: „f. dederis". Sed hic locus et Aululariæ possunt etiam esse coniunctivi perfecti. Men. 509: „faxo haud inultus prandium comederis" necessario perfectum intelligendum, nam prandium iam comesum est. Coniunctivi præsentis hæc exempla sunt: Amph. 583: f. expetant. 965: „f. haud quidquam sit morae", quum in antecedenti versu sit: „parata fac sint omnia". Asin. 867: f. opprimas. 893: f. ut scias. Bacch. 857: f. dicat. Curc. 586: f. reperias. Most. 65: f. adferat. 1115: ferare f. Men. 113: f. uisas. 527: f. referantur. 631: f. scias. Pseud. 954: f. dicas. Trin. 62: f. haud nescias. 882: f. scias. Trucul. 633: f. dicat. Terent. Ad. 209 sq.: accipiat faxo atque etiam dicat. 847: sit faxo. Eadem significatione etiam Amph. 607: „faciam ut offendas domi".

352. *seruos sum* codd. cum hiatu et sine diæresi; Camer. et posteriores: „sum seruos". — *At scin quomodo?* sc. accipiare. Mercurius non ad Sosiæ verba respondet, sed sua (v. 351) continuat. Locutio Plauto familiaris, v. Aul. 47. 300. 819. Pœn. 373. 435. Rud. 797. cf. „Scin quam" infra 664. Bacch. 589. — 353. *Superbi* hominis est potius lectica aut curru vehi quam suis pedibus uti. Mercurius autem minatur se Sosiam ita fuste verberaturum esse, ut ab aliis auferatur necesse sit, suis pedibus abire non possit. Mire errat Nonius p. 171, qui superbos veteres mortuos dixisse putat. Ceterum et apud eum et in B recte omittitur vox „actutum", quæ in ceteros codd. ex similitudine versus 350 aut 356 irrepsit. — *hinc* corripitur, v. Proleg. p. 204, nec opus est, ut cum Bothio „ni" scribas. — 354. *auferere*, cf. Curc. 568. — 355. *Quin*, i. e. At, cf. 406. — *huius familiæ familiarem*, i. e. servum huius domus, ex hac familia; „familiai" versus causa Both. — 357. *Tun* olim emendatum. — *postulas*, i. e. vis, ut sæpe apud Plautum et Terentium, cf. infra 782. Aul. 354. 579. Cas. 884. Most. 254. 603. 1003. Men. 784. 1058. Pœn. 779. Pseud. 856. Trin. 972. Truc. 717. Sæpe sequitur etiam accusativus cum infinitivo, ut Asin. 188. 503. Capt. 337. 710. 732. Cas. 127. Men. 433. Pseud. 858. Rud. 543. 990. Stich. 488. Trin. 237. Truc. 143. 915. Terent. Heaut. 674. Eun. 480. — 360. *Quid nomen tibist?* quomodo

appellaris? Sic, non *quod*, dicere solet Plautus, vid. Capt. 284. 976. Cist. 606. Most. 650. Men. 337. 488. 1109. Pseud. 640. 981. Pers. 622. Rud. 1160. 1163. Trin. 889; ut dubitare liceat, an non recte codd. Merc. 507 habeant: „quod nomen". Etiam „quidquid est nomen tibi" Men. 799. Pseud. 643. Gell. IV, 1, 4. — 361. Sosia magnum se faciens etiam patris nomen prædicat, quasi liber homo sit et ingenuus. — 362. *tu istic*, cf. 571. 740. Men. 638. 640. 918. Merc. 747. — *malo tuo*, cf. 317. — 363. *audaciai* versus causa Camer. — *columen*, i. e. culmen, cf. Cat. R. R. 15: „Maceriam . . . altam p. V et columen p. I". Varr. R. R. III, 7, 2: „Unum (genus columbarum) agreste, quod habetur in turribus ac columinibus villæ". — *consutis dolis*, cf. Pseud. 541. Græce *ῥάπτειν δόλους*. Capt. 685: „ob sutelas tuas te morti misero". — 364. Sosia, ut solet, proprie accipiens non dolos sed *tunicas* ait se consutas habere. Duas autem vulgo tunicas gestabant, interiorem et exteriorem, subuculam et indusium, ut ait Varro L. L. V, 131. cf. Gell. X, 15, 3. Aul. 637: „ne inter tunicas habeas". Quintil. XI, 3, 138. Nec elegantiores soli, sed etiam servi, v. Pers. 364: „dum tunicas ponit". Calpurn. 3, 29: „Protinus ambas Diduxi tunicas et pectora nuda cecidi". Iosep. Antiq. XVII, 5, 7: *θεώμενος ὑπερραμμένον τοῦ δούλου τὸν ἐντὸς χίτωνα (ἐνδεδυκέναι γὰρ δύο) εἴκασεν ἐντὸς τῆς ἐπιπτυχῆς κρύπτεσθαι τὰ γράμματα.* — 365. *mentiris etiam*, cf. 340. — *pedibus*, Mercurius quoque servili modo ludit, quasi in superioribus ablativus instrumenti sit, non abl. modi. — 367. *ingratiis*, quamvis nolis, vapulabis, cf. 162. — 368. *arbitrarium*, quod arbitratur aliquis sive credit, dicit Plautus; cf. Pœn. 790: „Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario". — 370. Post *Qui* hiatur. Both. „Ego qui" scribebat; Fl. „At parum"; neutro opus. — *Perii*. Scilicet plagam ei inflixit Mercurius. Verum hoc non contentus idem sic pergit: „Quod te periisse dicis, nondum satis malum tuum commemoras, si comparaveris cum eo, quod te manet; nam multo plus verberabere". *praeut*, cf. Bacch. 922: „praeut ego erum expugnabo meum". Men. 369. Mil. 20. Merc. 461: „praeut quo pacto ego divorsus distrahor". Ter. Eun. 301. — 371. *pugnis usu fecisti tuum*. Quod me pugnis cædis, me quasi tuo servo uteris. Alludit ad usucapionem. — 372. *Pro fidem* olim emen-

datum, ut 369. Denuo eum pulsavit Mercurius. — 373. *Loquere* em. Lindem. versu iubente, coll. Most. 1099 et 1118. — 374. *Quoius es* primum pedem faciunt. — 377. *Etiam muttis?* i. e. Nondum taces? — 378. *qui uocare*, i. e. quo nomine, cf. Bacch. 469: „quae vocatur?" — 379. *aiebas* iam in codd. emendatum. — *Peccaueram.* Plusquamperfectum pro imperfecto positum, quod sæpius fit in *fueram* (vid. Madv. Gr. Lat. 338 b, not. 6), apud Plautum etiam in aliis, ut infra 754. 909. 912. Asin. 708. Aul. 625 et 757: „quod abstuleras". Curc. 425: „iusserat". ib. 559. Pseud. 622: „dederat". Stich. 253: „fecerat". Ter. Eun. 1030: „uideram". — 380. Linguæ errorem excusat, Sosiam se dixisse, quum socium deberet et vellet dicere. Codd. corrupte: *socium ne me.* Camer. *sociennum me*, qua forma utitur Plautus Aul. 649; sed, ne numerorum vitium commemorem, sic παρήχησις perit. Lindem. „socium memet", Fleckeisen: „Nam illut, Amphitruonis socium me", cf. Mil. 27: „illud dicere uolui „femur". ibid. 819: „illud „stertit" uolui dicere". Most. 818: „illud quidem „ut conniuent" uolui dicere". Cas. 645: „Illuc dicere „uillicum" uolebam". ib. 670. Rud. 423: „illud quidem „subaquilum" uolui dicere". Sed etiam sine pronomine, ut Pseud. 716: „Adduxi" uolui dicere". 849: „Dimissis pedibus uolui dicere". Ego ne nimis longe a codd. discederem, *nunc* (i. e. n̄c) pro „ne" scripsi. — 381. *Scibam* edd. versus causa. — 382. Post *ratio* hiatus. Fl. transp.: „ratio te". Müller „Utinam mi istuc" scribebat. Gronov: „O utinam". *Fugit te ratio*, errasti, cf. Catull. 10, 29: „Istud, quod modo dixeram, me habere, Fugit me ratio; meus sodalis Cinna est Gaius, is sibi parauit". Rhet. ad Herennium II, 16, 24 et 25, 40. — „Utinam" respondet Sosia „pugni tui fugissent, ut me verberare non posses". — 383. pro *tu* Gertz „te" scribendum censebat; vix opus. — 385. Non pacem sed inducias tantum concedit. — 387. „Duplex" inquit Lindemann „patet emendandi via. Aut enim legendum: *Dic si quid uis*, aut: *Dicito sis*". Illud Fleckeisen prætulit; hoc Lindem. et ego, librarium „si quid vis" ex v. 385 huc transtulisse arbitratus. — *fide* versus causa aut scribendum aut certe pronuntiandum, cf. supra 272. *Tuae fidei credo?* i. e. credamne? extat etiam Casin. 918. Holtz. confert

præterea Most. 762 et Mil. 1030: „voco?“ Pœn. 1228: „Pergo etiam tentare?“ — 388. Ridicule Mercurius per se ipsum iurat, idque, si fallat, malum optat, quod alteri erit; cf. 927. — 391. *foedus ici* Otto coniecit, eleganter, sed quam vere, nescio. — 392. *quod* Camer. em. iubente sermonis usu, nec infrequens librariorum error est, ut *quid* pro *quod* scribant, velut infra v. 495 „quod facis“ in B prius fuit „quid“, deinde correctum „quod“, cf. Asin. 145. Men. 981: „Supplici sibi sumat quod uolt“ (Codd. *quid*). — 394. *uiuos*, i. e. quamdiu vivis, numquam in vita tua, efficies, ne ego Sosia sim. Cf. Men. 242: „uiuos numquam desistam exequi“. — *hodie* sæpe abundat apud *numquam*, numquam omnino, cf. 422. Asin. 623. 667 sq. Mil. 216. Rud. 612. 1016. — 395. *alienabis*, alienum facies, quod plerumque venditione fit. — *noster*, i. e. ex nostra familia, Asin. 57. 384. Mil. 433. 435. — 396. *nobis*, cf. 381. — Post *me* hiatus, Ritsch. *med* scrib., Fl. *quisquamst alius*. — 397. Versum triplici hiatu laborantem, post *cum*, post *una*, post *ieram* (sic enim scribit), Spengel Plaut. p. 178 defendit; Fleckeisen pro spurio habet. Qui audacter corrigere velit, pro „ieram“ scribere possit „profectus eram“. — 399. „*malum* ab indignante interiicitur“ Schmied. — *sum ego* tribrachyn facit, ut 420 *Iam ego*. — 400. *hac noctu*, cf. 268. — *huc* add. Pylades. — „*Persicum portum*“ inquit Festus p. 217 M. „Plautus cum ait, mare Euboicum videtur significare, quod in eo classis Persarum dicitur stetisse non procul a Thebis“. Sed hic non significatur Thebarum portus, quem sibi finxit poeta v. 162, sed alius quidam, unde eadem nocte ad illum Thebarum portum venerint, v. 408. 816; est autem hic quoque a Plauto geographiæ nec gnaro nec curioso fictus. — 402. Cod. B *nunc isto*, supra scripto: „al. hic sto“, quod edd. tenuerunt, sed versus syllaba longior fit; recte Fl. *sto*. — *mihi est* codd., *mist* pronuntiandum. — 403. Pro *nonne* Gronov. Both. Fl. „non“ ed.; sed eodem iure interrogandi particula deleri potuit v. 163. 400. 401. 402; item 448 et 619. Videtur Plautus hanc formam ante vocalem prætulisse. Spengelii programma de hac re editum Monac. $18^{66}/_{67}$ non novi. — Deinde versus causa aut *homo* aut *modo* delendum; hoc Both. et seqq., nos illud tollere maluimus. — 404. *mihi* add. Pius. — 407 in

Amphitruonis ultima brevis manet vel ante consonantem cf. 340; quod in ultimo pede non ferens Both. aliique: „sum Amphitruonis Sosia“. — 410. *ui pugnando*, cf. Asin. 548. Men. 1032: „teque eripio ui pugnando ingratiis“. Vatin. ad Ciceronem Ep. V, 10 b: „sex oppida ui oppugnando cepi“. — 413. *memorat memoriter*, cf. Capt. 249: „memoriter meminisse“. — 414. *quid ais?* ponitur in transitu ad novam quæstionem, quasi „audi“. cf. 614. 841. Asin. 368. 887. Bacch. 76. Capt. 606. al. — *dono* versus fulciendi causa add. Loman, cf. 530; si *doni* scripseris, facilius intelligetur, cur omissum sit. Both. transp.: „est datum“, hiatu relicto in diæresi. — 415. *qui*, i. e. qua, v. 257. — 416. *Elocutus est*. Brix. in Annal. phil. CI, p. 762 coni. „Elocutust. Set ubi“. Non opus, vid. ad v. 350. — Versus causa Dousa scrib. „Est in cistula“, Both.: „In cistellula“, quem secutus sum, cf. 766. — 418. *Quadrigas* et bigas plurali numero dicebant antiquiores Romani, nam audiuntur equi, cf. infra 446. Asin. 277: „quadrigis albis“. Aul. 590: „citis quadrigis“. Men. 919: „iunctis quadrigis“. Pœn. 366. Stich. 291. — *Quid me captas?* i. e. quid mihi insidias struis? cf. 788. 814. Men. 633: „Viden ut te scelestus captat?“

422. *tabernaclo* hic et 424 pronuntiatum esse intellexit Lindem., nam *a* longum est. — 425. Post *impleui* hiatus in diæresi; Müller „ibi“ ante „uini“ addebat. — *hirnea* vas vinarium fictile est apud Caton. R. R. 81, *hirnula* apud Cicer. Parad. 1, 11; *irnela* (i. e. *irnella*) in Epitome Festi p. 105. — *Ingressust uiam* sc. rectam; em. Camerar. Cf. Asin. 53: „Rectam instas uiam“. Pœn. 701 scribendum: „*Inis*, leno, uiam“. — 426. *ut matre fuerat natum*, ut ex cado effusum erat vinum, aqua non admixta. Relativa sententia anteposita est, ut 415. Post *uini* hiatus; Müller „ibi“ aut „illi“ addebat; Fl. transp. „Eam ego uini, ut matre natum fuerat, eduxi“. — *eduxi*, i. e. ebibi, cf. Stich. 754: „Si hoc eduxeris“. 757: „Tene tu hoc, educe“. — 427—28 hoc ordine B; inverso ceteri. — 429. *uincon* sine *e* in cod. scribitur. — 430. *med esse* scribendum esse olim intellectum; in proximo versu B: „me desse“. — 433. *scio* sæpe apud Plautum mediæ orationi interponitur quasi paren-

thetice, cf. Asin. 375. 499. Aul. 196. Most. 93. al. Balbus ad Cicer., Att. VIII, 15 A 3: „Is quæcumque tibi de Cæsare dixit, quæque Cæsar scripsit, scio, re tibi probabit". Senec. ep. 66, 50. Interdum postponitur, ut Asin. 811. Bacch. 629. Cas. 15. Pœn. 1213, aut anteponitur, ut Asin. 783. Bacch. 630. Capt. 324. Sic etiam *credo* Amph. 293. Most. 1063; *fateor* Afran. Compital. fr. 1. al.; *spero* Epid. 125. Asin. 908; alia. — 434. *saltem.* „Si cetera dubia sunt" inquit, „hoc saltem dic mihi". Cf. infra 815. Men. 611: „Num mihi es irata saltem?" *Sosia* ultimam producit hoc et proximo versu, quod in masculinis fieri posse puto, v. Proleg. p. 195. Müller „id" addebat coll. 603: „hoc dici uolo". In proximo autem versu alii „iam" inseruerunt, Fleckeis. cum Grutero transp.: „esse nolim", Müller: „nolim Sosia". — *nolim.* Non præsens coniunctivi, sed futurum expectatur; verum „nolam" nemo dixisse videtur. — 436. *ignobilis*, i. e. ignote, quem nemo hic novit; cf. Pseud. 597 et 969: „Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis", quem locum affert Festi Epit. p. 175: „*Nobilem* antiqui pro noto ponebant". Pseud. 1110: „neque iis umquam nobilis fui". — 437. Quod in B h. v. et 443 *quomodo* scriptum est pro *cum*, ostendit in archetypo *quom* fuisse. — *cognosco*, in notitiam sive memoriam revoco. — 438. Verba *saepe . . . inspexi* parenthesin faciunt, quibus interpositis non id sequitur, quod proprie debebat, „talis est", sed repetita notione iam posita: *nimis similis est mei.* In his *similist* pronuntiandum, et sic edidit Both.; sextus versus pes proceleusmaticus est. Camerarius *sum* delebat, quo facto durities parenthesis interpositæ tollitur versusque numeros explet, sed sine diæresi; nec sententia prorsus apta efficitur; nam expectabatur potius: „Quemadmodum me sæpe in speculo conspexi". — 439. *tam* ad sequentia referendum: tam similis, ut sura, pes etc. omnia nihil differre videantur; vid. ad Aul. 460. — *consimilis atque ego*, i. e. consimilis mei, cf. Mil. 402 sq.: „somnium simile somniauit, Atque ut tu suspicatus es". *Atque* comparativum est, v. ad 270. — 440. *nasum* neutri generis ex Lucilio affert Non. p. 215. Apud Plautum legitur etiam Curc. 111. Mil. 1248. Men. 167. — 441. *collum* codd., *collus* Nonius p. 200, qui etiam Accii, Lu-

cilii, Cæcilii, Nævii, Catonis Varronisque exempla huius formæ affert. Plautus præterea Capt. 355: „collus collari caret". 894: „collos".

442. *nihil hoc similīst similius.* Imitatus est Fronto p. 101 Naber: „tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius". — 444. *sane sapio et sentio*, mente et sensibus sanus sum et valeo. *Sane* similiter Curc. 179: „Nam bonumst pauxillum amare sane, insane non bonumst". — 446. *Quo agis te?* quo tendis? cf. Most. 552. Mil. 860. Pœn. 530: „Quo te agis?" Ter. Andr. 780: „Quo hinc te agis?" Most. 335. Pers. 483: „Unde agis te?" — 447. *ita uix*, ne ita quidem, si Iovis equis, quibus nihil celerius cogitari potest, uteris. — 448. Pro *Nonne* Fl. „Non", sed v. 403. — 449. Infinitivus *nuntiare*, sive *licet* audias sive ad *sinam* referas, Plautinæ simplicitati non convenit. Ex superiore versu irrepsisse videtur; certe Plautus aut „nuntiato" scripsit aut „nuntia; te"; illud ego olim conieceram, hoc Gertzius. — 450. *lumbifragium* olim emendatum. Extat etiam Cas. 889. cf. Stich. 195: „lumbos defractos". — 452. Iam Sosia dubitare vix audet, quin alter ille Sosia sit. Quod si ita est, necesse est ipse perierit aut se aliquo loco perdiderit, ut est Mil. 431. „Num apud portum" inquit „me reliqui? Forsitan hoc factum oblitus sim". — 454. *meam* iam in B emendatum. — 455. *Uiuo fit* etc., ut mihi imaginem meam aliquis præferat. Nam in clarorum virorum funeribus non solum maiorum imagines defuncto præferebant, sed etiam ipsius mortui, cuius exemplum notissimum est Suetonii Vespas. 19: „Archimimus personam eius ferens imitansque, ut est mos, facta et dicta vivi". Ceterum comparetur locus fere geminus Most. 419 sq.: „Ludos ego hodie uiuo praesenti hic seni Faciam, quod credo mortuo numquam fore". — 456. Post *portum* hiatus; Camer. *uti* pro *ut* scribebat, Müller: „haec hic ut sunt". — 457. *ignorabit*, non norit, cf. infra 1063. — *ille Iuppiter.* Sic solebant in invocando, cf. Curc. 27: „Nec me ille sierit Iuppiter". Cicer. Cat. III, 9, 22: „ille, ille Iuppiter restitit". ib. 12, 29: „venerati illum Iovem". Maxime Most. 391 et Pseud. 928: „Ita ille faxit Iuppiter". Ex quibus locis antiquam verbi formam, *faxit*, huic quoque loco reddidit Fl.

— 458. Hoc quidem, ut se herus non agnoscat, optare se dicit; ita enim liberum fore. Notum est servos, quum manu mitterentur, ut liberum caput in posterum præferrent, crinem omnem deposuisse rasumque caput, donec crevissent capilli, pileo texisse. Versum laudant et explicant et Servius ad Æn. VIII, 564 et Nonius p. 528. Uterque cum codd. Plautinis consentit in scriptura *Ut ego hodie*, cum hiatu. Lingius malebat: „Uti ego h." cum hiatu post „uti", Camerar.: „hic hodie"; R. et Fl. præf. p. XVII: „Ut ego raso capite caluos hodie c. p."; R. in Nov. Exc. „hocedie". Si hiatus removendus est, ego „hoc hodie" scripserim propter proximi versus rationem, ubi *hodie* post „hoc" ex h. v. irrepsisse Lindem. vidit.

Postquam abiit Sosia, Mercurius abiecto graviore metro senariis versibus secum colloquens lætatur, quod Sosiam abegerit, et quæ deinde futura sunt prædicit. Talia prologi esse solent; sed facit hoc interdum Plautus, ut non in ipso fabulæ principio, sed post primam scenam, spectatis iam præcipuis fabulæ personis, totius argumenti rationem spectatoribus enarret, ut in Cistellaria et in Milite glorioso, cf. supra p. 162. In hac autem fabula novum est, quod idem utroque loco fit et Mercurius eam, quam in prologo instituit argumenti enarrationem, hic persequitur. Si autem vere statuimus prologum non ab ipso Plauto profectum esse, apparet ea, quæ prologi narrationem continuant, vss. 475—491, et ipsa postea addita esse et quidem ab eodem auctore.

459. Versus iusto longior. Both. „operis" omisit, nos cum Lindemanno aliisque „hodie", vid. ad v. 458. Præterea Usener in ind. schol. Gryphisv. 1866 p. 16 „Bene pro speque" legendum censebat, eleganter magis quam necessario. — 463. *Narrabit* olim emendatum; ut 473. — 464. *adeo*, autem, cf. Aul. 730: „Id adeo te oratum advenio". Bacch. 822: „Ego adeo numquam accipiam". ibid. 961. Epid. 54. 170. Mil. 1184. Merc. 230. Trucul. 835. al. — 467. Post *omnem* hiatus in cæsura. Fl. transp. „Amphitruonis omnem", Müller coni. „Compleuero". — 469. *quam* non eliditur. — *igitur demum*, cf. ad 207.

— 470. *Quæ facta*, sc. sunt, vid. ad v. 590. — 471. Versus, ut in codd. est, vix ferendus, cum hiatu ante *in* et anapæsto in quinto pede. Quare editores voc. *coniugis* traiectum putant; unus Lindemannus vidit ne genetivum quidem ferri posse, dativum *coniugi* requiri, quem secutus sum, nec enim huic similis est locus Vellei II, 65, 1: „si Cæsar eius aspernaretur concordiam“. Loman licentius: „Rediget cum coniuge antiquam in concordiam“. — 473. *probri; tum* olim emendatum. — 474. *in tranquillum conferet*, sedabit; *seditionem*, cf. Ter. Andr. 830: „perpulisti me, ut homini adulescentulo In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria, Filiam ut darem in seditionem atque in incertas nuptias. — 475. *dudum*, v. 110 sqq. *minus*, parum. — 478. *seminatust;* verbum finitum addidit Fleckeisen, hoc quidem loco recte, ut opinor, quoniam temporis discrepantia notari debet. — 480 sq. *minori*, i. e. ætate, serius concepto, Herculi; *maior*, i. e. dignitate, Iuppiter. *Minor*, Amphitruo, *maiori*, i. e. Iphicli pater est. — 482. Post *Alcumenæ* hiatus in cæsura. Fl. transponit: „honoris huius“, quo chiasmus vix intelligendus oritur. Müller „huiusce“ scribebat. *huius honoris gratia*, cf. Aul. 25: „Eius honoris gratia“. — 483. *curauit uno ut fetu fieret*, sc. ut geminos pareret, v. 476; cf. infra 872. Quod sequuntur præsentia, vid. ad 192. Fl. corruptum versum censebat et Ritschelio duce sic rescripsit: „Pater curabit [Iuppiter summus meus]“ (Epist. crit. p. XVII). Gertz: „pater curabit, uno ut fetu fiat, et“. — 486. *suspicio* codd. corrupte. Lambin. „susceptio“ quasi conceptio, sed hoc non ita dicitur. *consuetio* emendavit Scioppius ex Donat. ad Terent. Ad. 666: „*Qui illa consueuit prior.* Dicebant veteres . . . . . *εὐσχημόνως*, ut Plautus: „Ut clandestine et celetur consuetudo“, coll. Fest. p. 61: „Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit“. Fl. hunc versum antecedenti anteponere volebat sic scribens: „Ut clandestina haec celetur consuetio, Ne [illa] in susp. p. s.“ — 488. *igitur* iam in codd. emendatum. — 491. *ut* in B bis positum ceteri codd. priore loco omittunt. — *expetere in*, cf. infra 583. Liv. I, 22, 7: „ut in eum omnes expetant huiusce clades belli“. Dativus ponitur infra 865 et 889. — 492. *crepuit foris* domus, ut fit verso cardine, *ψοφεῖ*. Mirum antiquorum et recentiorum errorem, qui exeuntes pulsasse por-

tam sibi fingebant, iam Becker in Charicle, I, p. 231, satis refutavit. — 493. *Amphitruo subditivus*, Iuppiter. — 494. *usuraria*, cuius usuram solam habet, cf. 974 et 1151. — Ceterum versus duplici hiatu laborat, post *cum*, quem defenderunt eiusmodi locis, quales sunt Capt. 24. Rud. 1382, et post *Alcumena* in cæsura. Fl. liberius rescripsit: „Atque Alcumena una uxor u.“; Müller: „Simul cum A. sua uxore u.“

---

495. Colloquium Iovis et Alcmenæ trochaicis septenariis scriptum. — *rem communem*, sc. nostram, domesticam, domum. — *quod* in ipso cod. B emendatum. — 496. *Atque inperce* Camerar. emendavit. „Iubet“ inquit „vicinam partui parcere sibi et gerere diligentem curam corporis sui neque quidquam laboris aut molestiæ illo tempore suscipere“. Verbum rarum extat Casin. 776: „integrae atque imperitae huic inpercito“. Nec dubito, quin Cam. sensum loci recte intellexerit; sed „tibi“ desideratur; quare potius credo scribendum: „At tibi inperce“. — 497. *tollito*, educari iubeto, noli exponere. Res nota. — 501. *quod* pro ablativo, *quo* cum *d* paragogico, acceperunt Ritschelius (Neue Excurse p. 58) et Bergkius (Beiträge p. 57 sq.), ne a vulgari lege (Madvig. Gr. Lat. § 266 not.) Plautus recessisse putetur, quam secutus est Bacch. 743: „quid istis ad istunc usust conscriptis modum?“ Pseud. 50: „Quam subito argento mi usus inuento siet“. (Men. 740: „hoc usus factost“ casus discerni nequit.) Non credo. Nam legitur non solum „quod facto est opus“ h. l. Cas. 563. Merc. 556 et „quod facto usus sit“ Ter. Hec. 878, „quod tacito usus sit“ Cistel. 131, sed etiam „istuc exquisito opus est“ infra 622 et 784, et in SC. apud Cic. Fam. VIII, 8, 5: „si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset“, ut necesse sit aut nominativus sit aut accusativus. Illud qui defendere volet, Pers. 583 afferet: „opusne est haec tibi empta?“ Sed vere emendatum videtur „hac“. Quare liberius obiecti casum in his positum arbitror. Trin. 807, ubi codd. „quo“, non cum R. „quod“, sed cum Fl. „quom“ scribendum.

502. „*qui quidem* fere idem significat, ac si dixisset: non mirum est, scitum esse hunc sycophantam, quum sit meus pater“,

Lindem. Mercurio enim nemo astutior. — 503. Codicum scripturam vitiosam esse vel futurum *palpabitur* ostendit. Veram Fleckeisen Ep. crit. p. XVIII eruit ex Servio ad Æn. XI, 725: „Observato quam blande suppalpatur mulieri" et Donato in Ter. Adelph. prol. 2: „Observat orare ut blande palpetur mulieri". Cf. Mil. 106: „matri suppalparier". — 506. Mercurii verba hæc, ut v. 502—3, a ceteris non audiuntur et, si ad veræ vitæ rationem exigenda res esset, eodem tempore dicenda erant atque Iovis et Alcmenæ verba (505 et 508); quod quoniam in scena fieri non potest nec spectatorum aures, nisi quæ deinceps pronuntiantur, capere possunt, necesse est interrumpatur paululum colloquii series. Fit hoc tam sæpe apud Plautum, ut temerarium foret, si quis cum Brixio in Annal. philol. CI, p. 761 versus 506—7 versui 505 anteponeret; nam vel sic „illa" v. 506 ad „uxorem" v. 504 referri potest, et „istuc" v. 508 ad v. 505. *illa* est enim vera uxor Iovis, Iuno, quæ si sciat eum *istis rebus*, i. e. furtivo amori et adulterio, operam dare, tam male eum accipiat, ut Amphitruo quam Iuppiter esse malit. — 507. *faxim malis*, i. e. quovis pignore contendam te malle, cf. Aul. 486. Merc. 814. Pers. 73. Trin. 221. Trucul. 64: „Quos ... si faximus conscios, ... faxim lenonum et scortorum [multo minus] Et minus damnosorum hominum, quam nunc sunt, sient". — Ceterum versus duplici hiatu laborat, post „te" et post „Amphitruonem"; Fl. ed.: „ted Amphitruonem malis esse". Müller „multo" addebat ante „malis". — 509. *lectus*. Scripturam codicum confirmat Priscian. VI, 73, p. 257 H: „etiam „huius lectus" antiquissimi protulerunt. Cornificius in I de etymis deorum: ipsis vero ad Cereris memoriæ novandæ gratiam lectus sternuntur. Plautus in Amphitrione: Quam lectus ubi cubuisti concaluit locus". Etiam in Trin. 651 ex vestigiis codicis B (intellectu) „in lectu" scribi potest. Apud Senecam, Ep. 95, 72, veri similius est „lectos" scriptum fuisse, nisi forte in re divina antiqua forma servata est. Sed numeri h. l. parum placent, nam quartus pes proceleusmaticus est; quare Both. transpositis verbis: „ubi cubuisti, lectus", Fl. „lecti" ed. — 510. *Heri*, ut alia vocabula iambica, ultimam corripit, nec opus, ut ea de causa *here* scribatur; sed res parvi momenti est, siquidem Quin-

tilianus I, 4, 8: „in *here* neque *e* plane neque *i* auditur". In Plautinis codd. optimis fere semper *heri* scribitur; *here* extat Mil. 59 et Pers. 109, vid. Ritsch. Opusc. II, pag. 254 sq. Müller, Pl. Prosodie p. 189 sq. — 511. *supparasitabor*, parasiti et assentatoris modo subveniam, cf. 986. Mil. 350. — 513. *ecflictim* (B priore loco „afflictim", errore), i. e. perdite, cf. Casin. 49. Merc. 435. Pœn. 1098. Nonius p. 104 affert Pomponii: „Scio pol te illam amare efflictim". Laberii: „domina nostra privignum suum amat efflictim". Ecfligere enim est prosternere, perdere, v. Asin. 811. Cist. 356. — *non ego te noui?* scilicet talem, qui non vera fide sed ludibrii causa ista dicas, vel qui impudens sis; sciebam te impudentem esse. — Post *noui* hiatus in cæsura; Müller „abin hinc" volebat. — 515. *Quid tibi hanc curatiost rem aut muttitio?* i. e. Quid hanc rem curas aut quid muttis? Substantiva verbalia in *io* sæpe apud antiquos verborum modo ponuntur, ut Most. 6: „Quid tibi hic ante ædis clamitatiost?", atque etiam obiectum sibi adiungunt, ut Asin. 911: „Quid tibi hunc receptio ad test?" Aul. 415: „Quid tibi nos tactiost?" cf. ibid. 735. Curc. 624. Casin. 383. Men. 995. Pœn. 1312. Most. 33: „Quid tibi me aut quid ego agam curatiost?" Rud. 502 sq.: „Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio? Quidue hinc abitio, quidue in nauem inscensio?" Cæcil. v. 62: „Quid tibi aucupatio est Argumentum aut de meo amore uerbificatio est patri?" Cf. etiam Asin. 305. Ter. Eun. 671. — 516. *Quoi ego* em. ed. pr. Tum versus causa antiqui edd. „Quoi pol ego", Lindemann. „hoc iam", Ritsch. Præf. Trin. p. 172: „hoce", Spengel, Plaut. p. 226: „iam iam", quem secutus sum. Ceterum sententia interrupta auditur „plagam infligam" aut simile quid. Lamb. contulit Vergilianum illud „Quos ego". — *Muttito modo*, nam si muttiveris, plecteris. — 517. *expediuit* intransitive positum torsit interpretes. Lambinus corr. „expetiuit", quod aliud est, cf. 491. Dousa enarrat „expedita est, i. e. peracta est", quod fieri nequit. Melius Meursius „parum utilis fuit, male profuit", ut Ter. Heaut. 388: „expedit bonas esse nobis", quamquam sic potius „nihil" aut „parum" quam „nequiter" ponendum erat. De expeditione militari cogitare nolim, nam Tac. Hist. I, 88 cum Madvigio Advers. II, p. 559 sq.

corruptum censeo. — *paene* in sua re per litoten quandam dicit; alius „prorsus“ dixisset.

518. *quod dicis*, audiatur „ob id“, cf. supra 106. — 519. *Abii* olim emendatum; sed præterea hiatus vitandi causa antiquiores editores „huc“ aut „hinc“ addebant, Hermannus „ego“. Post *legione* hiatus cæsura defenditur; Ritsch. Nov. Exc. p. 74: „legioned“. — *tibi*, tua causa, hanc *operam*, hoc tempus, exercitui subtraxi. — 520. *ut* Fleckeisen addidit postulante sententiæ ratione, cf. v. 9. — *gessissem* olim emendatum. — 522. *palpo percutit*, i. e. palpatur, ut faciunt equos domantes, blanditur, cf. Merc. 153: „palpo percutis“. Pseud. 950: „mi obtrudere non potes palpum“. Palpus videtur esse mollis interioris manus sive palmæ pars. — 524. *praeuortisse prae rep.*, republica potiorem habuisse; cf. Pseud. 293: „pietatem amori præuortere“. — 525. *Concinnas*, i. e. reddis, facis, ut ait Nonius p. 43 h. v. all., cf. Capt. 595: „me insanum uerbis concinnat suis“. ib. 810. Stich. 286: „Tranquillam concinna uiam“. Trin. 684. — 526. *Id actutum diu est*, cf. Most. 331: „Iam reuortar. PH. Diust iam id mihi“. — 529. *est* iam in deterioribus codd. additur, ubi legitur *Tempust*; sed metrum integram syllabam flagitat. — *luciscat* B h. l. et 539; emendator *e* pro *i* substituit, ut est v. 543. Eandem formam Terent. Heaut. 410 Bemb. et Vatic. tuentur. — 530. *illi* pro *illic* versus causa Acidalius, cf. ad v. 245. Müller transp.: „mi illic dono“. — 532. *tibi*, quamvis semel positum, tamen interiectis aliquot verbis repetitur, cf. Aul. 541 sq.: „qui mihi omnis angulos Furum inpleuisti in aedibus misero mihi“. Most. 15 sq.: „tu“. 196 sq.: „Qui pol me . . . reliquit deseruitque me“. Pœn. 1223 sq.: „ita me di amabunt, ut ego, si sim Iuppiter, Iam hercle ego illam uxorem ducam“. — *Facis ut alias res soles*, i. e. benigne et amanter. Lætatur enim pretioso dono. — 533. *condignum*, Mil. 507: „condignam te simiam“. — 534. *qualist*, i. e. qualis est, olim emendatum, cf. 439. Error codicis B apud Nonium novo errore auctus est; is enim p. 198: „Culest pro qualis est, neutro posito pro masculino, Plautus Amphitryone“. — 537. *admodum quam*. Gell. XIX, 9, 10: „voce admodum quam suaui“. — *saeuos* olim emendatum. —

538. *Num quid uis?* sc. præterea. Abeuntis formula, cf. 540. 963. Bacch. 567. Capt. 191. Curc. 515. 524. Men. 324. 535. Mil. 1079. Merc. 320. Pseud. 669. Trucul. 870. Horat. Sat. I, 9, 6. Terent. Eun. 341: „rogo num quid uelit". Præterea extat: „Num quid me uis?" Aul. 170. 258: „Num quid uis aliud?" Ter. Eun. 191: „Num quid aliud?" Capt. 446. al. Pro *absim* Brix in Annal. phil. CI, p. 762 *absis* scribendum censet, fortasse recte: ut absens absentem ames. Ut est, non tam tautologia quam epexegesis sequitur, *me tuam absentem tamen* (sic olim emendatum), i. e. me, qui tua sim, quamvis absens. *tamen* sic ponitur, omisso *quamvis*, Capt. 597. Casin. 729. 736. Most. 174. Stich. 103. Ter. Eun. 170. Persæpe *tamen* extremum sententiæ locum obtinet, v. Capt. 187. Epid. 422. 512. Mil. 863. 1333. Pœn. 1087. — 539. *lucescit hoc.* Tempus non adverbio sed pronomine indicatur, ut Bacch. 1164: „Vesper hic est". Et hoc pronomen etiam subiectum fit verbi impersonalis, cf. Curc. 182: „hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit". Mil. 220: „lucet hoc inquam". Terent. Heaut. 410: „luciscit hoc iam". — *Abi prae,* cf. Curc. 486: „I tu prae". — 540. *Etiam* affirmat, cf. Most. 983. Plin. Epist. IV, 13, 3: „Studes? inquam. Respondit: Etiam". Cicer. ad Attic. VII, 3, 12, ubi cum Lambino scripserim: „Ecquid superest? Etiam". *Licet* et ipsum affirmantis est, cf. Aul. 321. Bacch. 1. Capt. 942. Curc. 95. 722. Casin. 564. Most. 395. 914. Men. 157. Mil. 537. Pseud. 357. 656. Rud. 1212—26. Trucul. 330. — 541. Versus aut lacunosus aut spurius. Fl. ed.: „Prius [enim] tua opinione hic adero; [eo] bonum animum habe". Possis etiam „ego" et „modo" addere. — 542. *concedas die* Camerarius scripsit, ut evitaretur hiatus „mitto ut"; cf. 272. — 543. *inlucescas* transitive, cf. Bacch. 222: „Vulcanus, Sol, Luna, Dies, di quattuor, Scelestiorem nullum inluxere alterum". — 544. *longior* ultimam producit, v. Prolegg. p. 196. — 545 sq. Codd. *ut aeque disparet Et dies e nocte accedat,* corrupte; nec enim *disparet* pro *dispar sit* poni potest, nec omnino hoc verbum ferendum est. Pistorius correxerat: „ut aeque dispares Et dies et nox accedant", quæ, vel si „cedant" scripseris, parum satisfaciunt. Fleckeisen licentius: „faciam dispar ut dies Aeque noctem acce-

dat". Richter proxime ad cod. „ut aeque dispar et Dies e nocte accedat"; quod recepi, quamvis videam dubitari posse, num *et* pro „etiam" sic poni possit (de qua re vid. ad Most. 559), aptiusque dies aut ad noctem accedere aut e nocte oriri diceretur quam e nocte accedere. Post *ibo* hiatur in cæsura; Müller „hac ibo" scribebat.

Nova scena non ante ædes Alcmenæ agitur, sed prope naves (v. 623). Sosia ad herum reversus, quid sibi acciderit, narravit; Amphitryo ludibrio se haberi censens iratus in eum invehitur, ipse domum properare studet. Prior pars scenæ, ut vehementi motu agitatos decet, bacchiacis tetrametris conscripta est (v. 547—69).

547. *i secundum*, i. e. sequere, cf. Stich. 454: „Ite hac secundum nos". Mil. 1340. Contrarium „i præ" supra 539. — *Sequor, subsequor.* Repetitio ardorem ostendit servi iratum herum placare cupientis. — 548. *Nam quam*, i. e. quamnam; *nam* enim interrogativum est, cf. „Nam qua" Aul. 44. „Nam quem" Pœn. 1125. „Nam quod" Most. 186. „Nam qui" Epid. 133. „Nam quo" Asin. 42. Curc. 12. „Nam quid" infra 653. Curc. 395. Casin. 605. 753. Cist. 495. Epid. 59. 117. 345. Men. 230. Merc. 404. Stich. 42. Trucul. 711. al. „Nam cur" infra 575. Aul. 42. Etiam Terent. Eun. 897: „Nam quid ita?" Phorm. 200: „Nam quod". 732: „Nam quae haec anus est?" — H. l. post *quam* hiatus est, qua de causa Fl. *quamobrem* iunctim scripsit, quod vix quidquam referre credo. Müller „ego" addidit post „arbitror", aut: „hominem. SO. Quam". — 550. *Eccere* interiectio est interdum quærentis, plerumque stupentis, si cui aut id, quod olim timuit, iam clare apparet, aut nova aliqua mali species obiecta est. Festi Epit. p. 78: „iusiurandi est, ac si dicatur per Cererem, ut ecastor, edepol. Alii *eccere* pro *ecce* positum accipiunt". Quorum posterius non prorsus spernendum; sed quod recentiorum quidam explicarunt „ecce rem", ἔχεις τὸ πρᾶγμα, non probo. Cf. Men. 394: „Eccere, perii". Casin. 363. Mil. 209. Pers. 300. Trin. 386. Terent. Phorm. 319. — *tuatim*. Veram scripturam servavit Nonius, qui enarrat „tuo more"

p. 179. Item Charisius p. 196 P. = 221 K. — 551. *tu* metri causa add. Fl.; *fides sit* transp. Both. — 552. *Quid est?* interrogatio indignantis, cf. 728. Asin. 504. 654. Capt. 572. Most. 448. 952. al. Similiter *quo modo* infra 730. 590. 1016. Pseud. 343. 1284. Merc. 801. — 554. *commodumst et* iam in codd. emendatum. — 556. *potes* item. — 559. *Malum quod,* i. e. malum aliquod, cf. Stich.: „Malum di tibi dent! GE. Haec eadem dicit tibi". Terent. Phorm. 976: „Malum quod isti di deaeque omnes duint". Male alii, atque etiam Lindemann „Malum! quod" interpungunt. — 560. *tibist in manu*, i. e. in tua potestate est, cf. Pœn. 915: istuc tibi et tuo ero est in manu". Asin. 85. 93. Merc. 619. Rud. 983. Ter. Hec. 667. Etiam Cicero et Livius. — 566. Hiatus in cæsura post *sum.* — *tua ex re*, i. e. ex ea ratione, qua tuas res gessi. — 567. *Rogasne etiam?* Seyffert in Philol. XXIX, p. 385 *Rogas me* Plautum scripsisse contendit probante Lorenzio, Philol. XXX, p. 607. Me non pudet nescire, quæ nesciam. — *ludos facis me*, i. e. me ludificas, ut sæpe Plautus, cf. Aul. 247. Bacch. 1082. Capt. 573. Epid. 695. Pers. 800. Pseud. 1165 sq. Rud. 470. — 568. *Merito*, anacrusis ex duabus brevibus constat, ut v. 554 ex una longa (Proin). — *si id factum est*, i. e. si te ludos feci. Sic cod. B prima manu; altera manu additum est, quod præbent ceteri codd., *ita,* unde ulterius progressi alii negationem addiderunt: „si non id ita factumst", quod vulgo editur. Sic tetrameter completur; ut nos edidimus codd. secuti trimeter efficitur; sed hanc quoque speciem interponi potuisse negare non ausim, cf. Christ. Metrik. p. 452. — 569. *uti facta* sc. est, nam etiam in relativis sententiis apud Plautum omittitur verbum substantivum, ut v. 470. 571. 963. Asin. 269. Bacch. 502: „quae futura fabulor". Men. 119: „Nunc adeo, ut facturus (sc. sum), dicam". Mil. 916. Stich. 646. al. Enn. satur. fr. inc. 10: „quaerunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum".

570. Finiuntur bacchiaci versus breviore clausula (⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑). Sequuntur trochaici octonarii atque adeo systema trochaicum usque ad v. 578. Fleckeis. bacchios continuare conatus non pauca mutavit. A nostra ratione non multum abhorret Spengel. Plaut. p. 158 et in Philolog. XXVI, p. 721.

In cod. B versus 569 et 70 continuantur; tum ex 571: „Ubi bibisti“, ex 572: „Equidem deciens dixi“ in proximos versus (572 et 573) migrarunt. — 571. *ita essem*, cf. Bacch. 1174: „Ita sum“. infra 598. Ter. Andr. 919: „Sic, Crito, est hic“. Phorm. 527. 529. Cic. Rosc. Com. 10, 29: „sic est vulgus“, alia. — *tu istic*, cf. 362. — 572. *Quid hoc sit hominis?* codd. h. l. et infra 762; sed coniunctivi ratio explicari vix potest. Indicativum substituit Herm.: „Quid hoc hominist?“ coll. Ter. Eun. 546: „Quid hoc hominis, quid hoc ornatist?“ verum hoc aliud est; nam in Plautinis locis non quæritur, qualis homo sit, sed quid hoc homine fiat aut factum sit, vel quid ei acciderit. Apparet igitur *fit* pro *sit* scribendum esse, et *homini* pro *hominis*: „Quid hoc est“ inquit, „quod homini fit?“ Nec hiatus causa, qui inter duarum personarum verba oritur, minus huic emendationi confido. — 573. Post *inquam* hiatur. Müller alterum „domi“ addebat. — 574. Extremo versui in cod. B additur *esse*. AM. *Vah*. Sed octonarius suum terminum habet. Quare *esse* aut delendum (ac sane prorsus abundat) aut in proximum versum transferendum; sed hoc et per se minus aptum est et diæresin versus tollit. *Vah* quo minus retineatur, nihil obstat. — 575. B: „qur“. Fl. „quor“. — 576. *At te ego faciam;* hæc cod. proximo versui tribuit eumque in voc. *es* terminat. *At* pro *A* iam in codd. emendatum. — 577. *et* ego addidi versus causa. — 578. Voc. *Saluos* a maiore littera incipit, quod indicio est, versum hic incipere. Octonarii per dimetrum transeunt in septenarios. — 582. *fando*, vid. ad Asin. 220. — Ante *profers* Fl. „ea“ addit; non opus. — 583. *in tergum*, em. Lamb. et Acidalius, v. supra 491. *expetant*, vid. ad 491. — 585. *uera*, em. Camerarius. — „*ui uerum uincitur*, si herus, quod vere locutus sis, minis confutet verberibusque“ Schmieder. — 586. *potest* recte Nonius p. 369, i. e. fieri potest, v. ad 169. Emendator codicis B *putes* substituit. — *nam* Gronovius intellexit interrogativum esse et cum *quo* iungendum. — *puta*, i. e. disputa, ut Non. l. l., aut reputa. Cf. Aul. 518: „putatur ratio cum argentario“. Terent. Eun. 632: „dum haec puto, Praeterii inprudens villam“. Heaut. 485: „Quodcumque inciderit in mentem, uolet, neque id Putabit, prauomne

an rectum sit quod petet". Ad. 796: „rem ipsam putemus". — 587. *ut* codd.; edd. „uti"; vix opus. Fl. etiam *et* addidit, quod sensus causa retinui. — 588. *illi* Both. em. ut supra 530. — 589. Versum pedes non explentem editores varie supplerunt. Camerarius „Amphitruo" addidit post „tibi", Weisius „pol"; Spengel., Plaut. p. 22: „Neque tibi istuc mirum mirum magis uidetur quam mihi". Müller: „istuc factum mirum". Gertz: „mi ere, mirum", quod amplexus sum.

590. *mirum*; Fl. „mirumst" omissionem verbi substantivi parum Plautinam esse arbitratus. Et hunc et alios in errorem induxerat Ritschelius, qui in prolegomenis Trinummi p. CIX affirmaverat „a sermone, quo Plautus utitur, ad vitæ usum communem composito omissionem verbi *est* et *es*, cum a poetis tum a scriptoribus frequentatam, omnino esse alienam". „Exempta esse pauca, quibus ad rhetoricum genus accedatur, in quo propriam sibi sedem omissio verbi habeat" (p. CX sq.). Qua in re mire fallitur V. D.; nam si codices fide dignos consulimus, hæc omissio verbi substantivi non minus frequens est apud Plautum quam apud posteriores sed frequentior. Sed Ritschelius codices in hac quidem re parum curat. „Alterius" inquit „personæ exempla negotium nusquam facessunt, ut quibus exigui circuli adiectione *es* ubique nulla opera restituatur"; scilicet „nanctu's", „obiurgandu's" etc. scribenda esse, qua de re quid nobis videretur, breviter indicavimus p. 196. At in participiis præsentis ne Ritsch. quidem hac ratione omissum verbum significat, v. Pers. 286: „Confidens", cf. Rud. 977: „Ne inpudenter inpudens". Quid quod etiam plurali numero *estis* omittitur? v. Asin. 641: „Satis locuti?" Aul. 347: „Cererin, Strobile, has facturi nuptias?" Stich. 646: „Saluete Athenae, quae nutrices Graeciae". Quod ad tertiam personam attinet, „ne ibi quidem" inquit „maioris vel laboris vel audaciæ erat toties alibi a librariis obscuratum *ust* vel *umst* revocare, ubi contra Plautinum morem *us* vel *um* vulgabatur". Sed hunc morem Plautinum velim mihi dicat unde noverit nisi ex ipso Plauto; Plauti autem quæ cognitio est, si codicum testimonia pro nihilo habemus? Quid quod etiam in hac persona pluralis (*sunt*) omissio non rara est? v. supra 217. infra 1108. 1127. Men. 277: „Ubi

conuiuae ceteri?“ Asin. 195: „Ubi illaec, quae dedi ante?“ 801: „non enim mortualia“. Pœn. 839: „In totis aedibus tenebrae“. Rud. 207: „Hoc quod induta sum, summae opes“. Stich. 215: „Potationes plurumae demortuae“. 217: „Quot cenae mortuae?“ Ter. Andr. 891 sq.: „inuenti . . . adducti“. Adelph. 331: „in quo nostrae spes opesque omnes sitae“. An credibile est, ibi Plautum omisisse verbum substantivum, ubi posteriores non essent facturi, ibi facere non potuisse, ubi ceteri scriptores facere soleant? Mihi quidem secus videtur. Nec enim ab arte rhetorica originem duxit hic loquendi usus sed a sermone vulgi. An ad rhetoricam magis quam ad vulgarem sermonem pertinent proverbia, quale Trucul. 872: „ubi amici, ibidem opes“, Ter. Phorm. 454: „Quot homines, tot sententiæ; suus cuique mos“? Immo a vulgi sermone hunc morem adscivit ars gravitatis studiosa, cui supervacua omnia languere videbantur, nec tamen eo usque progredi ausa est, quo progressus erat sermo vulgaris. Nam, ut infinitivum omittamus, erudita oratio fere in tertia persona singularis indicativi modi (*est*) verbum omittit, Plautus non in tertia solum persona sed etiam in prima et secunda, nec singularis tantum numeri sed etiam pluralis; et quod apud illos in primariis sententiis fit, apud Plautum etiam in secundariis factum esse videmus. Sed talis necesse est sententia sit, quæ vel omisso verbo intelligi possit, brevis et facilis et in solo prædicato, sive adiectivum sive participium sit, omnem vim habens. Ad communem sermonem pertinent exceptiones Ritschelii (p. CXI): „*nudiussextus* cum similibus, usu frequentatæ *mirum ni* et *mirum quin* locutiones, voxque *potis* vel *pote*“. Eodem pertinent, quæ Brixius ad Menæchm. 337 addenda esse vidit, primum alia exempla vocis *mirum*, Amph. 947: „mirum quid“. Trucul. 304: „Nihil mirum — uetus est maceria — lateres si ueteres ruunt“. Ter. Heaut. 245. Hec. 220: „Minume mirum“. Hec. 160: „Non edepol mirum“. Cicer. de Oratore II, 13, 55: „Minume mirum, si“. Deinde *sententiæ comparativæ*, quales sunt Men. 603: „Nihil hoc confidentius“. 618: „Nihil hoc homine audacius“. Most. 275: „Nihil hac docta doctius“. Mil. 309: „Quid peius muliere atque audacius?“ Ter. Eun. 50: „nil prius neque

fortius", ubi proprie „sit" omissum est, nam antecedit: „Siquidem hercle possis". His, quæ Brixius attulit, addantur Epid. 659: „Alium tibi te melius comitem quærere". Pœn. 571: „Aduocatos melius ducere". 680: „Nunc te illum melius capere". 682: „Cum illoc te melius loqui". Denique vulgo frequentatur *factum*, Trin. 127. 429. Epid. 696. Pœn. 1070. Ter. Eun. 708. Heaut. 568; „bonum factum" Pœn. 16 al.; Stich. 376: „Nimis factum bene". Pers. 772: „Tua factum opera". Bacch. 291: „Similiter factum a nobis". Most. 32: „Uirtute id factum tua". Brix. addit etiam Capt. 176. Ter. Eun. 288: „facete dictum". Bacch. 205: „Scitum istuc". Sed ita oculorum eius aciem præstrinxit Ritschelii auctoritas, ut de ipsa re dubitare non auderet; tantum aliter explicandam esse censebat. Omitti enim dicit verbum substantivum in formulis, quæ exclamationi quam integræ sententiæ similiores sint; eorum autem, quæ attulit, pleraque exclamationibus adnumeranda censet; quin etiam „minime mirum" et „non edepol mirum" pro accusativis habet. Quod ne aliis persuasurus sit, equidem non vereor; mihi quidem et quæ Brixius attulit et magis etiam quæ hic accesserunt nihil cum exclamatione videntur commune habere. Non igitur Brixio credendum est Plautum in locutionibus *certum est*, *par est*, *aequom est*, *melius est*, *satius est*, *opus est*, *usus est* similibusque verbum substantivum numquam omittere. „Melius" vidimus Epid. 659; „certum" extat Merc. 39 („illuc reuorti certum"); *opus* sæpius, ut Most. 253: „quid cerussa nam opus?" Merc. 390: „Nihil opus nobis ancilla". Mil. 916: „materiarius, quod opus qui det". Amph. 963. al. De illis autem cur dubitamus, quum hæc videmus: Pœn. 740: „Haud dubium id quidem". Most. 282: „Aurum turpe mulieri". Cist. 473: „Nil mecum tibi". 495: „Unde hæc gentium?" Trucul. 795: „Puer quidem beatus". Stich. 35: „hic tertius annus" (quod non refutatur eo quod Men. 231 est „hic annus sextust", nam utrumque dicitur). Amph. 569: „res uti facta dico". Cist. 119: „Mihi uisa amare"; cf. Enn. Annal. I, fr. 34, v. 40: „Nam me uisus homo . . . raptare". Ter. Andr. 970: „Pater amicus summus nobis". Adelph. 96: „Nullum huius simile factum". Itaque confitendum est admodum frequentem esse apud Plautum omissionem verbi sub-

stantivi. Primæ personæ et singularis et pluralis exempla ad v. 56, secundæ et tertiæ personæ nuper attulimus; relativarum sententiarum exempla vid. ad v. 569.

592. *ille egomet* codd. cum hiatu, nam ut „egomet" alteram producat, fieri vix potest, vid. Müller p. 30. Lindem. „illic"; Fleckeis. transp.: „egomet ille", ego: „fecit egomet"; sed cautius codicum scripturam reliquissem. — 593. *omne* ferri non potest. Fl. „Ordine omnia, ut quidque", cf. Bacch. 1089. Pseud. 1310. Müll. propius a codd. „Ordinem omnem", quod recte cum „edissertauit" iungitur, cf. Mil. 1158: „Omnem ordinem" sc. teneo (sic A.). Ter. Eun. 970: „tu isti narra omnem ordinem, ut factum siet". Pacuv. v. 283: „Gnate, ordinem omnem, ut † dederit, enoda patri". Nos cum Beckero (Studemund. Stud. p. 307) scripsimus: „Ordine omnem rem"; cf. Capt. 375: „Patri meo ordine omnem rem illuc perferat". Cas. 830: „Omnem in ordine rem Fateri ergo aequom est". Men. 666: „uxor resciuit rem omnem, ut factumst, ordine". — *dum*. Fl. „quom", vix opus. — *apud hostes*, i. e. in hostium terra, cf. infra 1006: „apud omnis aedis sacras"; sæpius „apud forum", ut Asin. 327. Ter. Andr. 302. Pompon. v. 168. l. Acil. de repet. v. 38; „apud uillam" Ter. Ad. 517. — 595. *Neque lac lacti magis est simile.* Item Men. 1067: „Neque aqua aquae neque lactest lacti, crede mihi, usquam similius". Mil. 242: „tam similem quam lacte lactist". Sed Bacch. 18: „sicut lacte lactis simile est". Unde profectus Ritschelius etiam in duobus primis locis „lactis" scribendum censet, apud Plautum et Terentium adiectivum quod est *similis* semper cum genetivo construi affirmans, Opusc. II, p. 570 sq. 579 sq. Quod quamquam longe frequentissimum est, tamen, si codices interrogamus, ne in personis quidem antiqui illi a dativo abhorruerunt, vid. Men. 1066: „hominem homini similiorem", quamquam ibi Wesenbergius ad Ciceronianam regulam (v. Madvig. ad Cic. Finib. V, 5, 12) „hominis" scribebat. Capt. 576: „omnis inueniri similis tibi uis". Trucul. 502: „Ecquid mihi similist", in quibus locis temerarium foret „tui" et „mei" scribere. Terent. Eun. 468: „Perpulchra credo dona aut nostris similia". Attius Medea (405): „Silvani melo consimilem cantum". — *similis* olim emendatum.

— 597. *Quid igitur?* i. e. quid tum? Orationem servi interrumpit, verum ea quasi non interrupta continuatur, v. ad 1137. — 599. *mala manu*, veneficum aliquem eum fascinasse dicit; Sosia vero alio sensu malam se manum expertum esse dicit, quippe quæ se pulsaverit. — 601. *uerberauit* codd. recc. et emendator cod. B. — 604. Amphitryo „Quod te“ inquit „habeo, iam uno plus quam volo mihi est; dii prohibeant, ne duos habeam Sosias“. — 608. *Dauo prognatum* codd. recc., cf. 361. — 610. *Nimia mira*, i. e. nimis mira, nimis magna miracula, cf. infra 1096. 1121. Men. 1018: „Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis“. infra 1073: „tanta mira“. — 614. *Sed quid ais?* v. 414. Quærit, num dormierit; nam somnia eum narrare. — 615. *Ibi*, i. e. in somnis, tum, cf. 246. Proxima corrupta sunt, quamquam edd. reliquerunt scripturam cod. B: *Ibi forte istum si uidisses.* Quæ enim ad hæc apodosis cogitari potest? Sensus postulat potius „si dormisses, videre potuisti“. Cett. codd.: *Ibi forte si istum uides.* Videtur fuisse „Ibi fortasse istum uidisse“; nam *fortasse* apud Plautum cum infinitivo iungitur, v. Asin. 37: „Ubi fit polenta, te fortasse dicere“. Epid. 293: „Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas“. Merc. 770: „Fortasse te illum mirari coquom“. Trucul. 668, et omisso, ut h. l., accusativo subiecti Pœnul. 1007: „Fortasse medicos nos esse arbitrarier“. Gerz. coni.: „Ibi forte istum ais vidisse“. — 616. Hiatur non solum in cæsura post *somniculose*, sed etiam post *eri*, quare Loman, Fl., Müller *mei* addiderunt. — 617. Lacunam indicat numerorum vitium. Camerar. „nunc te uideo“ ed., ego: „uti uigilans nunc uideo“, nam comparandi particula abesse non potest. — 619. *Quis homo?* sc. te contudit. — *nonne*, vid. supra 403. Both. „non me“ ed., Fl. „non“. — 620. *nugas blatis*, cf. Curc. 452. Epid. 330: „Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis quod nusquam est“. Versus ostendit *t* non geminandum esse. — 621. *Quem*, orationem interpellat, vid. infra 1137. In cod. B et *quam* scriptum est et omissa personarum nominum spatia. — 622. *istuc exquisitost opus*, vid. 501.

623—25. Amphitryo quamvis domum properet, tamen Sosiam curare iubet, ut res et vasa ex navi efferantur; servus

autem diligentiam suam laudat neque se, quamvis vinum biberit, heri mandatorum oblitum esse dicit. Sed vereor, ne parum conveniat Amphitryonem, quem turbæ illæ primum ira gravissima, iam vero etiam horrore compleverint, ante quam hæc exploraverit, de rebus levissimis cogitare servisque imperare. Nec video, quomodo is, qui servum se sequi iubeat ea via, qua proficiscatur, simul eundem servum, ut aliud curet, alio ablegare possit; nec enim aliquanto post eum subsequi iubet, sed proxima scena (v. 652) eos simul profectos ostendit. Sosia autem, qui nihil omnino bibit (v. 572), quomodo dicere potest, se non una cum vino imperium ebibisse, i. e. oblitum esse? Hoc enim sibi velle hunc versum ostendit Pers. 171: „Quamquam ego uinum bibo, mandatum non sueui simul bibere una". Schmiederus quidem sic explicat: „Hero ebrietatis eum insimulanti responderat (v. 572): Nusquam bibi. Quare hic dicere videtur: diligenter quæ imperasti exsequendo me non ebrium esse ostendam". Sed herus non ebrietatis eum accusavit, verum somniorum causam quærens inter alia hoc quoque interrogavit, ut hoc loco tam multis interiectis non sit, cur se purget Sosia. Quid, quod v. 626 etiam nunc gravissimo timore captum esse Amphitryonem ostendit et cum reliqua scena usque ad v. 622 optime convenit, cum interiectis nihil commune habet? Quare non possum, quin hæc spuria habeam, præsertim quum et numerorum et orationis vitiis abundent. V. 623 *quae iam imperari* codd. ἀμέτρως, Both. „quae imperaui iam"; v. 625 hiatus in cæsura offendere non debet, sed parum sibi respondent *quae imperes* et *compareant:* recte diceretur „ut quæ imperes, fiant" aut „ut quæ mihi commiseris compareant", i. e. non intereant. V. 625 affert Nonius p. 175 iisdem verbis atque codd. Plautini. Post *simitu* hiatur in cæsura. Cod. B in margine explicat: „simul". Est autem hæc forma apud Plautum satis frequens, v. Men. 732. Most. 780. Merc. 116. 835. Pseud. 1015. Stich. 251. 395. 738. Trin. 223. Eadem ex Pacuvio, Pomponio, Lucilio affertur. In titulis autem posteriorum temporum *simitur* legitur, v. Orelli Inscr. 2863. Mommsen, Inscr. Regni Neap. 423. Quam formam Ritschelius (in ind. schol. Bonn. 1853 p. XII et apud Reifferscheid. Suetonii fragment. p. 499 sq.) et antiquioribus scriptoribus vindicare

studet et h. l. vitandi hiatus causa commendat. — 626. „Utinam, inquit, re ipsa appareat non facta esse, quæ tu dixisti (de Sosia altero)". Schmieder. De omisso *ut* v. 12. *re eueniant* em. Camerarius.

Postquam abierunt Amphitryo et Sosia, exit Alcmena comitante serva Thessala (v. 763). Queritur secum de absentia viri, quam amat. Canticum creticis numeris compositum est vel, ut vulgo dicunt, bacchiacis, sed, si codicibus fides, interdum iamborum et anapæstorum interventu vitiatis. Quod ad versuum descriptionem attinet, a v. 627 usque ad 635 codicem B secuti sumus, ut versus fierent aut hexametri bacchiaci aut ab his non multum alieni. In iis autem, quæ sequuntur usque ad v. 642, ita vel in illo codice turbata est versuum descriptio, ut re vera nulla sit, editori autem nihil relinquatur, nisi ut probabilitatem aliquam rationis sequatur.

627. Minorem voluptatis quam molestiæ partem esse in hominum vita dicit. *res voluptatum* a Mureto Var. lect. VI, 9 cum Græco *τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν* comparatur; male; „voluptatum" genetivus generis est, „parva res" est exigua pars; parum voluptatum in vita esse dicit. — *Satin* interrogando affirmat, fere ut „nonne". Frequenter sic ponitur apud Plautum, cf. Capt. 646. Cas. 280. 465. 574. Epid. 656. Most. 73. Men. 510. 925. Mil. 395. Merc. 332. Pœn. 922. Trin. 925. 1013. Trucul. 550. — 628. *Praequam*, cf. Aul. 499. Most. 966. 1128. Merc. 23. — Ut constarent hexametri bacchiaci, Hermannus voc. „conparatum" ad calcem versus reiecit et in proximo „conplacitum" scripsit. Studemund de Canticis p. 49 sq. pro duobus posterioribus dimetris bacchiacis huius versus substituta dicit dimetrum iamb. cat. et tripodiam iamb. cat., pro primo proximi versus colon iambicum semiquinarium. Est autem forma hæc:

— — — ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑   — — ⏑ — — ⏑ ⏑ ⏑

⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑

630. *Quin* codd. Quo retento fieri vix potest, ut hæc sententia ab antecedenti *ut* pendeat. *adsit* hypothetice, *παραγένοιτ' ἄν*, explicat Lindemannus; sed tum in altera sententia scribendum erat

si . . . optingat; nec omnino talis dicendi ratio huic loco convenit. Quare *Atque* scripsi, cuius si prima syllaba evanuisset, prope necessario *Quin* ex *q. in* oreretur. — 631. *experior* primam corripit, v. Proleg. p. 202. — *domo*, οἴκοθεν, ex meis rebus, ex me ipsa, ut est in proximis; cf. Merc. 349: „domo doctus". Curc. 680: „reddit argentum domo". Cicer. p. Cluent. 9, 27: „domo sibi quærendum remedium existimavit". ad Fam. VII, 25, 1: „domo petes". Sed dubito an *domi* scribendum sit, ut Cist. 202: „Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quæram". Idem voluit Müller, Pl. Prosod. p. 625. Trucul. 451: „Ego prima de me domo docta dico" Gœlleri coniecturæ, optimæ sane, debetur. Ad usum præpositionis *de* cf. etiam Pers. 530: „te de aliis quam alios de te suauiust fieri doctos". — 632. Hexametri restituendi causa Herm. mutato verborum ordine: „dum uiri mei fuit mi potestas uidendi". Possis etiam: „dum uiri mei potestas uidendi fuit mi". — 633. Post finitum tetrametrum in voc. *me* hiatum esse, deinde sequi colon iambicum semiquinarium Studemund. censet; Hermann. hexametrum restituit addito „nunc" ante „hinc". — 634. *nunc* in cod. B omissum supra lineam additur; ceteri codd. vocabulo „uideor" anteposuerunt; numeri suadent, ut post ponamus. — *quem* non eliditur. — 635. *abitu* mediam producere vix potest, quare Herm.: „ex eo abitu", Loman et Fl.: „ex abitu mei uiri". — *quam* pro „quem" et *cepi* pro „cœpi" olim correctum.

636 sqq. Tetrametros bacchiacos constituerunt plerique; alia conatur Seyffert, de versu bacch. p. 7. In cod. B primus versus cum antecedenti coniunctus terminatur in voc. „beat", alter in „solatiost", tertius in „usque", quartus in „mercedes", quintus in „satis". — 636. *quom* scripsi Pareum secutus; cod. B: „quam", cett. „q̄m", i. e. quoniam, quod retinuit etiam Fl., vix patiente sermonis usu. Contra *quom* post gratulandi, gaudendi, laudandi verba et similia frequentissimum est, vid. infra 674. Capt. 151. 354. 916. al., Madv. Gr. Lat. 358 not. 2. Etiam Cic. Fam. IX, 14, 3: „gratulor tibi, quum tantum vales". pro Milon. 36, 99: „Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum". At *hoc* antecedente potius *quod* ponendum erat. Vid. tamen Bacch. 334: „Istuc sapienter saltem fecit

filius, Quom diuiti homini id aurum seruandum dedit". Terent. Phorm. 967: „hoc fretus, quom e medio excessit". — *perduellis* ditrochæum facit, v. ad 186. — 637. *Vicit* ultimam producit. — 638. *id solatiost* Hermannus quasi interpretamentum verbi *beat* tollendum censebat, deinde mutato ordine scrbd. „se recipiat", ut servarentur tetrametri. Utrumque iusto audacius. Ego malui cum Müllero *dum* pro *dummodo* scribere. — 639. Tetrametro bacchiaco additur clausula (⏑ ⏑ ⏑ ⏑ —). — 641. *meus uictor uir belli*, de ordine verborum v. ad v. 290. — 642. Fleckeisen, ut tetrameter constaret, scripsit: „optumumst præmium uirtus". Mihi necesse videtur, a voc. „Uirtus" incipiat sententia rhetorico quodam fastu pronuntiata, cf. Lucil. fr. ex lib. incert. 1. — 644. Tetrametro addita est clausula ⏑ ⏑ — — — —. Herm. et Fl. hæc cum proximo dimetro iungunt additoque in principio „Et" tetrametrum faciunt. — 645. *Tutantur* passive ponitur. Activam formam Nonius p. 476 affert ex Nævio („tuos qui celsos terminos tutant"), Pomponio, Pacuvio; de Plauto errat, nam Merc. 852 ex optimo cod. iam Camerarius ed. „Uos, Lares uiales, ut me bene iuuetis". — 646. Tetrametro additur clausula ⏑ ⏑ — ⏑ — — —. Ante *quem* omittitur demonstrativum *ei*, cf. supra 38. — *penest* B; cett. „penes est".

647. Iam domum suam pervenit Amphitryo cum Sosia. Comitantur eos servi vasa portantes (v. 847) more etiam ex Menæchm. 346 al. noto. Qui versum 623 ipsius Plauti esse credunt, hoc iam ibi indicatum esse dicent. Nova scena, quam codd. ab antecedenti non secernunt, trochaicis septenariis scripta est. „Credo" inquit Amphitryo „me exoptatum venturum, præsertim quum rem bene gesserim". — 650. *inductu*, i. e. impressione, cf. 239. Voc. hac significatione parum notum cod. B servavit; ceteri „ductu", quod edd. secuti sunt excepto uno Pareo. — *primo coetu*, i. e. primo congressu. — 651. *enim*, i. e. scilicet, cf. Cas. 258: „Ego enim uocari iussi". 300: „Negaui enim". Merc. 247: „Ego enim lugere". Mil. 285: „Non enim faciam, quin . . ." al. Ter. Eun. 1074: „Et lubenter uiuis et enim bene lubenter uictitas", quem locum edd. male interpungere solent. *Certe enim* est etiam Asin. 607; sed quoniam „profecto" significatur, fortasse rectius foret *certo enim*, quod

legitur Pœn. 1184. Stich. 92. — *optato* abundat Plautino more, cf. Pers. 289: „tibi parata praesto est (sc. mala res)". — 653. Pro *ille* Both. „illic", Müller. Nachtr. p. 44: „ille huc"; nos cum Fl. codd. secuti sumus. — 654. *dudum*, i. e. nuper, cf. infra 685 sq. Aul. 675. 695. Bacch. 572. 954. Capt. 476. Cist. 189. Men. 57. 308. 381. Merc. 888. Pseud. 489. Stich. 498. Trucul. 635. 790. — *se aibat* Guiet em. — *sciens*, i. e. consulto, cf. Mercat. 712. Cas. 646. Ter. Eun. 72. — 655. *se* pro *si* recte Fl. — *abitum* olim emendatum. — 656. *med* ante *haud* edd. hiatus vitandi causa, quod retinui, ne legentes vocabulum cum proximo iungerent. — 657. *qua gratia*, i. e. cuius rei gratia, qua de causa, cf. Curc. 454. Men. 150. — 659. *nunc* ante *istuc* om. ed. Parm. iubente versu. Lindemannus, cui *uenit* nihil aliud quam præsens esse posse videbatur, huius loco reposuit „est" („Qui tibi nunc istuc in mentemst?"); sed nihil obstat, quo minus perfectum esse putemus, cf. supra v. 52. — *Quia* olim emendatum. *Quia enim* Plauto frequentissimum est, cf. Bacch. 48. Capt. 876. Curc. 442. 449. Ep. 296. Most. 1080. Mil. 995. 1133. al. — 660. *saturam*. Scurrili ioco tumidam mulieris ventrem non gravidam sed obesam indicare dicit. — 661. *illanc* em. Pylades. — *quom* pro *quam* em. Pius, ut 636. *quom abeo* cum hiatu legendum. Ex Planti more hæc particula cum præsenti historico iungitur, cf. Capt. 282: „Uinom, quom inde abimus, liquimus". 879: „quoius erat tunc nationis, quom hinc abit?" Men. 29: „Tarenti ludi forte erant, quom illuc uenit". 1093: „Quot eras annos gnatus *tum*, quom te pater a patria auehit?" 1114: „Hunc censebat te esse, quom uocat te ad prandium". Merc. 607: „Iam abducta erat, quom ad portum uenio". Pers. 831: „Credo, non inconciliauit, quom te emo". Stich. 511: „ni dixisset ... quom uocat". Terent. Eun. 522: „quid habuisset, quom perit". ib. 725. 792. Eadem structura particulæ *postquam* est Men. 24: „Postquam iam pueri septuennes sunt, pater oneravit . ." Ter. Andr. 513: „Postquam uidet nuptias adparari, missa est ancilla". Hec. 826: „postquam uideo .. coepi". — 662. *ad aquam præbendam*, qua puer et puerpera lavandi sunt, cf. Ter. Andr. 483: „Nunc primum fac ista ut lauet". Queritur autem ob molestiam aquæ ex puteo tollendæ, quod

opus suum fore suspicatur; quare mox, v. 666, se puteum ipsum interempturum minatur. — *commodum*, opportune, ad ipsum tempus, cf. Casin. 569. Mil. 1190. Merc. 215. Stich. 366. Ter. Eun. 343. al. — 663. *Decumo post mense*, i. e. post nŭptias. — *Rationem dictare*, quod codd. præbent, nihil est. Lambinus emendavit *ductare*, i. e. ducere, ut ductare exercitum pro ducere; sed iterativa notio ab h. l. aliena est, quare scripsi *putare*, quod nescio an propius a codicum scriptura absit. Lindem. pro *te dictare* scripsit *delicare*, i. e. indicare, ut Mil. 842; parum feliciter. — 664. Amphitryo huius rei molestiam timere Sosiam vetat bonoque eum animo esse iubet. Is autem omnino negat se bono animo esse. *Scin quam*, cf. supra 352: „Scin quomodo?“ Pœn. 1323: „Scin quam cinaedus sum?“ Pers. 140: „Scin quam potest?“ Ex quibus locis qui indicativum hic quoque postulat (Fuhrmann in Ann. phil. CV, p. 813), refellitur loco Bacch. 589: „At scin quam iracundus siem?“ Sosia iurat se, si situlam ceperit ad aquam tollendam, tanta ira tantoque furore hausturum, ut puteum ipsum exhauriat et perdat. — *iam* omittendum esse tam numeri quam sensus ostendunt; ortum videtur ex proxima syllaba male repetita. — 665. Versus iusto longior. Nisi audacius sit, corrigam: „quicquam posthac creduis“. Lindemannus ceterique *quicquam* omittunt. *Creduis*, i. e. credas. Sensus est: Numquam tu mihi ne per deos quidem iuranti credideris. Cf. Asin. 845: „Neque diuini neque mi humani posthac quicquam adcreduas, Artemona, si huius rei me esse mendacem inueneris“. Pœn. 465: „Quid ei diuini aut humani aequomst credere?“ Omittitur „quicquam“ Bacch. 500: „Nam mihi diuini numquam quisquam creduat, ni ...“ Nam *credere* apud Plautum cum genetivo rei aut rationis iungitur v. Asin. 456: „quoi omnium rerum ipsus semper credit“. Trucul. 306: „Numquam edepol mihi Quisquam homo mortalis posthac suarum rerum creduit, ni ...“ — 666. *Ni* non eliditur; etiam post *occepso* hiatus in cæsura; Müller *iam* addebat ex v. 664. „*Occepso*, i. e. occepero“ Nonius p. 148 h. l. laudato. *intertrahere* ad interimendi similitudinem formatur, ne quis lusum ab extractione aquæ ductum minus intelligat. — 667. *alium ego isti rei adlegabo* (sic Gruterus ex cod. Pal. 5), i. e. alii aquam tollendam mandabo, cf. Stich. 677: „Ceteram ego curam mihi adlegaui“.

668. *Magis*, sc. quam si hic adstem. *me* Lindem. addidit, ne hiatus esset post *meum*, veri similiter. — *facere si* olim emendatum. Sed hunc versum codd. et edd. Alcmenæ tribuunt; quæ si viro advorsum venisset, sensu carerent et Sosiæ verba v. 672 et Amphitryonis 699 sq. Apparet, Amphitryonis orationem continuandam esse a 667 ad 672. — 669. *speratam*, i. e. expectatam, cf. Pœn. 1271: „O mihi sperate, salue". Stich. 583: „Sperate Pamphilippe". Versum affert Nonius p. 439. — 671. *adeo*, i. e. etiam, cf. Most. 275. Mil. 1287. Stich. 17 („patrem tuum meumque adeo"). 180. 661. Most. 619: „Adeo etiam". Similiter „neque adeo" Capt. 346. 513. Men. 21. et „atque adeo" (= et quidem) Curc. 333. Terent. Eun. 204. Andr. 162: „magis id adeo, mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato". Cf. infra 975. — *rumificant* edd., ut in archetypo Plautinorum codicum fuisse videtur; sed Nonius p. 166 sq. *rumiferare*, quod enarrat „honeste rumoribus ferre". Hoc commendat comparatio vocum vociferandi et rumigerandi; illud non habeo quo defendam. Idem Fleckeisen probavit in præfatione. — 672. *Ualuistine usque?* solita formula, cf. 708. — Alcmena salutatione viri non lætatur sed mirabunda eum adspicit seque ludibrio haberi putat. Quare Sosia: „*Haud uidi magis*", ironice. Cf. Capt. 555: „At etiam te suum sodalem esse aibat. TY. Haud uidi magis" (sc. sodalem). Merc. 714: „Haeres. LY. Haud uidi magis" (sc. haerentem). Pœn. 141: „Ignoscere id te mihi aequom est. MI. Haud uidi magis" (sc. aequom). Ex quibus locis apparet moris fuisse in hoc responso adiectivum omittere. Additur hoc in proximo versu, sed hic etiam aliis vitiis laborat. Nam pro Alcmena subiectum ponitur *quisquam*, cuius loco Both., Lindem. aliique *quicquam* reposuerunt; tum positus negationis („magis haud quisquam" pro „haud quisquam magis") non ferendus videtur, nec quæ alia ex Plauto huic similia afferri possunt, ut infra 676. Mil. 1407: „Et si intestatus non abeo hinc", minore suspicione premuntur. Fleckeisen versum sic rescripsit: „[Nam haec maritum suum] salutat magis haut quiquam quam canem"; nimis licenter. Ego malui pro spurio notare. — 674. *quom adspicio, gaudeo*. Sic solet Plautus, cf. Men. 1125: „Quom tu es liber, gaudeo". Cas. 394: „Quom

nos di iuuere, gaudeo"; cf. supra 636. Gaudet, quod uxorem gravidam conspicit et quidem pulchre plenam, *καλῶς πλήρη*, ut Menander Heaut. 6: *τὸν καλῶς εὐδαίμονα.* Alterum *te* omittendum esse et ex metri necessitate et ex sermonis elegantia intellexit Pius. — 676. *dudum* non longum significat sed breve tempus, v. 654. Quare non iniuria Müller *non dudum* scribendum censet. Proximo versu idem *Quasique* pro *Quasi qui*, non minore iure. Sed iam Muretus Var. lect. X, 13 vss. 677—78 pro spuriis damnavit, et 678 quidem tam similis est 676, ut ambo simul ferri nequeant. Accedit, quod verbosa ista loquacitas huic loco vix apta est. Verum vitium vocabuli *dudum* suadet, ut aliis terminis interpolationem circumscribamus et deleta extrema parte versus 676 similem partem versus 678 retineamus. *multo post*, i. e. ex longo intervallo, cf. supra 663. Huius interpretandi causa adscriptum est illud *dudum*, significatione a Plauti ætate aliena. — 680. *Haud aequom . . . dediscit.* Alcmena indignatur quod, quum vera dicere se didicisse dicat, hoc dedidicerit. — 682. *reuortimini* primam producit, quod quum fieri non soleret, Fl. „conuortimini" scripsit, quod incuria typographi etiam in nostram editionem transiit. — 683. *auspicium*, quod iter ingressurus cepisti, an *tempestas*, venti adversi. — 684. *Qui non abiisti.* Ne quis coniunctivum postulet, indicativus in eiusmodi sententiis apud Plautum frequens est, cf. Men. 584: „Di perdant . . . me, qui hodie forum umquam oculis inspexi meis". ib. 603: „qui, quae uides, ea pernegat". — *abiisti* et *uti* versus causa iam antiqui edd. — 685. Versus iusto longior. Camer. „Dudum" in principio versus delebat, Both. „pridem", quod repetitio proximi versus commendat. *quam dudum*, cf. Asin. 446. Stich. 310. Trin. 608: „Quam dudum istuc aut ubi actumst? ST. Ilico, hic ante ostium. Tam modo, inquit Praenestinus". Simplicius Terent. Eun. 697: „Quando? DO. Hodie. PH. Quam dudum? DO. Modo". Hoc quoque loco idem respondetur: *modo;* sed ante hoc legitur *iam dudum;* quæ locutio, omnibus scriptoribus familiaris*), significare

---

*) Librariis quidem ita, ut etiam de suo „iam" adderent ante „dudum", v. infra 956.

solet „iam pridem, iam diu“, eiusque est, qui non brevitatem sed longitudinem temporis notare studet. Plautus aliud dixerit necesse est. Quid autem propius est, quam ut interroganti „quam dudum“ respondeatur „*tam dudum*“, quomodo Prænestinus ille „tam modo“ dixerat? Hoc respondens Alcmena simul gestu, δεικτικῶς, brevitatem temporis significat ac, ne ulla dubitandi ratio relinquatur, addit, quod vulgo usurpabant, „modo“. — 686. „Quomodo“ inquit „fieri potest, ut nuper dixerim me ad legiones iturum, qui multos menses afuerim?“ — 687. *Quid enim censes* etc.? Quid me facere vis? An, quia tu me ludificas (lusor meus), placet, ut ego vicissim (contra) te ludam? Equidem serio loqui malui. — 688. *Qui . . . qui*, cf. 154. — 689. *deliramenta loquitur*, cf. Capt. 592. — 690. *unum somnum*, eum quo nunc capta est; nam somniare eam certum est; Gertzio *illum* somnum scribendum videbatur. — *Quaenc.* „Ne“ encliticon apud antiquiores Latinos sæpe omisso pronomine demonstrativo, cui adhærere debebat, relativo additur. Fit hoc in continuanda interrogationum aut exclamationum serie, ut Mil. 13: „Quemne ego seruaui . .“ Trin. 358 sq.: „Quoius egestatem tolerare uis? . . . Quin (i. e. Quine) comedit quod fuit, quod non fuit?“ Epid. 708: „Quamne hodie per urbem uterque sumus defessi quærere?“ Cist. 481: „quaene infitias eat?“ Sed non minus sæpe ponitur in respondendo, ubi sententiam aut disertis verbis propositam aut mente intellectam interrogando et admirando refutare conamur, id quod sine interrogatione sententia affirmativa ab *At* incipiente fieri poterat, ut h. l. „At vigilans somniat“ vel „At vigilat“. Cf. Curc. 700: „Quodne promisti?“ Rud. 1019: „Quemne ego excepi in mari?“ ib. 1231. 272: „Quaene eiectae e mari simus“. Most. 727. Ter. Phorm. 923: „Quodne ego discripsi porro illis quibus debui?“ Catull. 64, 180: „An patris auxilium sperem? Quemne ipsa reliqui Respersum iuvenem fraterna cæde secuta? Coniugis an fido consoler memet amore? Quine fugit?“ — 693. *Non taces?* cf. Asin. 922. Bacch. 466. 622. Most. 722. Men. 600. 1005. Sosia iocabundus herum vetat factum negare, nam fieri posse, ut dormientes se navis domum detulerit. Sed dominus iratus ne per iocum quidem aut deridendi causa eum uxori adsentari patitur. — 695. *huice* pro *huic* versus fulciendi

causa ed. Fl.; Lindemann. „nunc" addebat. — 696. „Si bacchæ" inquit „bacchanti et obvios quosque thyrso percutienti restiteris et adversatus eris, tanto plures ab ea plagas accipies, sin cesseris et clementer passus eris, una plaga inflicta vis insaniæ frangetur". *Non tu scis?* cum proximis non syntactice iunctum, cf. Asin. 176. 214. Rud. 382: „Scin tu? etiam qui it lauatum etc." — *uelis* codd.; Fl. ex sententia Ritschelii „uis"; sed „uelis", ut alia vocc. iambica ultimam corripit, cf. Müller p. 217. Nec modus offendere debet; Plautus enim non is est, qui in oratione hypothetica accurate utriusque sententiæ concinnitatem servet. Non raro, ut h. l. protasin coniunctivo, apodosin indicativo modo profert, cf. infra 884: „Faciundumst mihi illud, si studeam". Asin. 163. 411. Bacch. 442: „Hocine hic pacto potest Inhibere imperium magister, si ipsus primus uapulet?" Pœn. 348: „Si sapias, curam hanc facere conpendi potes". Mil. 1347: „si ita tibi sententia esset, tibi seruire malui Multo quam alii libertus esse. Pseud. 797: „ego si iuratus priorem hominem ducerem Coquom, non potui quam hunc quem duco ducere". Casin. 417: „Volui Chalinum, si domi esset, mittere"; ne ea commemorem, quæ etiam apud alios scriptores inveniri possunt, ut Bacch. 997. 1038. Pœn. 553, al. — 698. *resoluas*, i. e. absolvas, vid. ad Asin. 430. — *At pol qui*, i. e. Atqui pol (ut Asin. 663), cf. Asin. 816. Rud. 946: „At pol qui audies". De particula *qui* cf. infra. 769 et 738. — *certa res est*, certum et consultum est mihi, cf. Most. 694. Mil. 400. Trin. 270. al. — 699. Post *me* hiatus in cæsura, cuius tollendi conamina vid. ap. Müllerum p. 727. — 700. Sosia „uxorem" inquit „obiurgando infestiorem reddes, ut si irritaveris crabrones". — 701. *rogare* Camer. delevit versu iubente. — 702. *Num* olim emendatum. — *superat*, i. e. abundat, cf. Stich. 279: „Ripisque superat mihi atque abundat pectus laetitia meum". Livius III, 16, 4: „Tantum superantibus aliis ac mergentibus malis". — 703. *in mentemst* v. 177. — *ex me*, quod in codd. exciderat, servavit Nonius p.44. — 704. *antehac* B. m. pr.; *antidhac* man. sec. — 705. *pudicae suos uiros quae sunt solent.* De ordine verborum vid. supra 290. — 706. *eo more expertem*, i. e. eius moris, cf. Asin. 44. Pers. 509: „ea res me domo expertem facit". Lucret.

VI, 1179: „lumina expertia somno". Sallust. Cat. 33: „fama atque fortunis expertes sumus". Hunc versum affert Nonius p. 359. — 707. *equidem* cod. B. ut 691. 723. Men. 645; cett. „quidem". Si versus recte traditus est, post *aduenientem* hiari videtur; Müller *huc advenientem* scribebat, ut 793. — 711. *parturam* Lindem.; proceleusmaticum defendit Müller, Nachträge p. 56. — 712. *Quid igitur?* Ultima syllaba produci videtur, v. Proleg. p. 196, nisi forte excidit „est". Sed aliud præterea animadvertendum; nam *Quid igitur?* pro *Quid igitur rei est?* non satisfacit sententiæ. Quæritur, quid mulier gravida in ventre ferat; et quoniam antecedit *puero*, sequitur *insania*, hic quoque requiritur ablativus, *quo* aut *qua re*. Quare olim mihi in mentem venerat scribendum esse *Qui igitur;* nam ut *quid* pro ablativo habeam cum *d* paragogico (Ritsch. Neue Excurse p. 61), non adducor. Idem placebat Müllero, p. 48, qui præterea hæc verba non Amphitryoni sed Alcmenæ tribuens: „Qui igitur *sum?*" scribebat, vix recte. Sed relinquendus accusativus, qui in pronomine eadem vi qua ablativus poni posse videtur. Sic infra 872 sq.: „et quod gravida est uiro Et me quod grauida est". Græce dicitur κυεῖν τι. Cf. Most. 97: „gnaruris hanc rem". Ad rem Lindem. confert, quæ habet Servius ad Æn. IV, 229: „Uxor tua non puero sed peste gravida est". — 714. *habebis, si facit*, cf. Aul. 563: „Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe". Pers. 235: „Ero, nisi scio". Men. 1071: „liber esto, si inuenis". — Iure Alcmenam indignari concedet, cui in mentem venerit, quantam vim antiqui in verbis male ominatis inesse crediderint. — 715. *omen*, *ominator* scribendum esse iam Pius intellexit. — *condecet* iam ed. pr. — 716. Servus impudens heræ ipsi malum minatur, sed impudentiam scurrili ioco tegere studet. Iocum ex vulgato more repetit, quo prægnates mulieres, si animo defecturæ videbantur, malum gustare iubebantur (a quo longe diversum est, quod Plinius H. N. XXXIII, 107 de malo Punico tradit). „Huic" inquit „prægnati mulieri non mālum solum dari oportet, sed etiam mălum". Hoc non intellecto Lindemannus eumque secutus Fl. sic h. v. interpolarunt: „Enimvero prægnati oportet mulieri malum dari". Quod si solum dixisset, nec cum antecedentibus nec cum sequentibus conveniret.

— 717. *obrodat*, mordeat. — *animo male esse*, v. infra 1074. — 718. *Tu* codd.; Fl. „Tun“. Sed interrogandi particula frequenter omittitur, ut Asin. 407 sq. 413. 438. Aulul. 45. 82. 642. Capt. 261. Most. 173. Mil. 1030. Pseud. 1220. Ter. Heaut. 607: „Dubium id est?“ — *dicere* sc. me, v. 22. Fl. *dicier*, vix opus. — 719. Versus iusto longior. Spengel Plaut. p. 23 „uigilantem“, quasi ex memoria versus 618 repetitum, delebat. Weise „misero“ sustulit, quem cum Fl. secutus sum, quia hæc vox mihi h. l. male otiosa videbatur. Sed præterea Fl. „fortassis“ scripsit, ac deinde „Hei mihi“. Both. „fors“, de quo vid. ad Asin. 787. — 720. Versum affert Nonius p. 18 et 159. *Atra bili percita est*, cf. Capt. 590: „Atra bilis agitat hominem“. Cic. Tusc. III, 5, 11: „Quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant“. Nam ex bilis vitio furoris causam repetebant, v. Hippocrat. Epidem. VI, 8, 95: οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασι γίνεσθαι ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Senec. Epist. 94, 17: „bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda“. Apul. de Magia cap. 50. — 721. *tam cito* iungendum. Adverbium gradus interdum apud Plautum divellitur ab eo adiectivo aut adverbio, quo pertinet, cf. Stich. 295: „tam gaudium grande“. Mil. 849: „Non hercle tam istic ualide casabant cadi“. 1193: „Quid tam intus fuisse te dicam diu?“ ib. 850: „nimis loculi lubrici“. Pseud. 704: „nimiumst mortalis graphicus“. Epid. 424: „minus hominem doctum“. infra 775: „multo mulier maximast“. — 722. *impliciscier*, i. e. implicari s. turbari cœpisse, sc. bilem; vox hoc uno loco invenitur. — 724. *me, qui . . . sumus* (i. e. quum simus). Simili modo a singulari in pluralem numerum transitur Bacch. 1110 sq.: „Heus, Bacchis, iube sis actutum aperiri foris, Nisi mauoltis, foris et postis comminui securibus“. In relativo pronomine talis negligentia apud Plautum non rara est, v. infra 959. — 726. *huc* corripitur, v. Prol. p. 204. Fl. transpos. „pedem meum“; Müller „huc pedem“. — *neque etiam*, i. e. neque dum; *ut*, i. e. postquam, cf. supra 325. — 728. *Quid est?* Fl. em. — Post h. v. edd. multi Meursium secuti versum intruserunt, quem ex Amphitryone Nonius p. 454 citat: „Nihilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi“, ita tamen ut *scelesta* scriberent, temere. Apud nos v. 1048 est. — 729. Numeri

scabri, etiam si statuamus *hercle* primam corripere. Müller, ne hiatus esset post *de*, addebat „nam“ ante h. v. Vulgo transponunt: „Non quidem hercle de hac re“. Possis etiam: „Non de hac re quidem hercle“. — 731. *ut commeminit*, ex eo quod memoria tenet; hæc enim omnia somniavit. — 732. *te*, quod in codd. excidit, servavit Nonius p. 44. *Prodigiali Iovi*, i. e. ei, qui prodigia mittit; Græce *τεράστιος* forsitan, ut apud Lucian. Tim. 41 al. Alibi Romanos videmus prodigiorum procurandorum causa Iovi Depulsori sacra fecisse, v. Orell. Inscr. Lat. n. 1230. 5621. Preller, Römische Mythologie p. 186. — 733. *comprecatam oportuit*, cf. Aul. 745: „non adtactam oportuit“. Cist. 413: „At non missam oportuit“. Mil. 1328. Stich. 134. 355. Trucul. 507. Ter. Heaut. 200. 635, semper omisso *esse*. — Eiusmodi comprecatio cum sacris oblatis coniuncta erat; *ture supplicare* vulgo dicebant, v. Plin. H. N. XIII, § 2. Mola salsa et ture somnia procurari solita esse testatur etiam Martial. VII, 54: „Semper mane mihi de me tua somnia narras, ... Consumpsi salsasque molas et turis acervos, etc.“ — 734. *Uae capiti tuo*, i. e. Væ tibi, Græce *σοὶ εἰς κεφαλήν*, Plat. Euthyd. 283 E, cf. Curc. 314. Most. 984. Rud. 375. Mil. 328: „Væ capiti tuo. PA. *Tuo* istuc, Sceledre, promitto fore“. Hoc quoque loco simile aliquid respondisse Sosiam plerique interpretum statuerunt. Lambini enarratio: „Istuc, quod mihi precaris, e re tua est et ad te pertinet potius quam ad me, si modo ea, quæ ad te attinet, curaveris“, verborum significationi non satis convenit. Quare Palmerius coni.: „Tuo istuc, crede, erit nisi curaueris“; Taubmannus etiam „curaberis“; Lindem.: „Tuo istuc referes, nisi curaueris“, quod ita enarrat: „tuo capite istud, quod mihi imprecata es, auferes, inque te recidet, nisi procuraveris sacrificio et precibus ad deos factis“. Sed ne impudentissimum quidem servum tam aperte heræ suæ maledicturum fuisse credo, neque ex verbis hoc sequitur Alcmenæ querentis, quod *iterum* sibi male dicat, i. e. quod iterum se insanam appellet, ut v. 712. Itaque *istuc* non ad Alcmenæ verba „Væ tibi“ refero, sed ad illud, quod Alcmenam facere iusserat Sosia, ut prodigium procuraret, nec pro subiecto verbi impersonalis „refert“ habeo sed pro obiecto verbi „curaueris“. Tua, inquit, interest, ut hoc cures. — 735. *inclementer dicit*,

cf. Pseud. 27. Pœn. 1327. Rud. 114. 734. Trucul. 272. 596. — *sine malo*, impune; cf. 317 et 714.

736. *Tace tu*, Sosia; *Tu dic*, Alcmena. — *hodie* extat in cod. B, quod quum coniectura suppletum putaret Müller, coniecit „primo cum diluculo“, ut 730. — 737. *Quis igitur*. Ante hæc auditur affirmatio ut sæpe ante *nam* aut *enim*; quæ si posita esset, hanc fere formam habuisset: „Tune negas?“ — *illi* v. 588. — 738. *etiam* cod. B; omittit cod. Brit. cum aliis. Lindem. recte: „Metrum reprobat *etiam*, nec admittit sententia, non enim aliud prius iam scire se dixerat. Legendum: *An iam id*“. — *Quippe qui* cod. B. Edd. vulgo corr. *quippe quae*, sed hoc potius coniunctivum requireret, vid. Pers. 698: „Quippe qui frater siet“. Fl. omisit *qui*. Verum Plautus non raro *qui* adverbiale (cf. supra 698) vocabulo *quippe* adiungit, ut sit „etenim“. Vid. Aul. 341: „Horum tibi istic nihil eueniet; quippe qui, Ubi quid subripias, nihil est“. Trucul. 70: „Ea nimia est ratio; quippe qui certo scio“. Terent. Heaut. 538: „Quippe qui Magnarum id sæpe remedium aegritudinumst“. Bacch. 385: „quippe qui nemo aduenit“, ubi vulgo ex Lambini correctione editur „quo“. Eadem ratione explicandum videtur Rud. 384: „quippe qui quem illorum obseruat falsust“. Pseud. 1271: „quippe ego qui probe Ionica perdidici“. Epid. 363: „Quippe ego qui nudius tertius meis manibus dinumeraui“. Supra v. 22. Cf. „ut qui“, Asin. 501. — 739. *Expugnauisses ... occideris*. In consecutione temporum Plautus non semper constantiam servat, cf. Mil. 131: „dedi mercatori, qui deferat, ut ueniret“. Casin. 186: „quin aut subtrahat aut invenerit“. Capt. 705: „Si quis faxit, qualem haberes gratiam?“ — 740. *Tute istic*, alibi *tu istic*, v. 362. 571. — 741. *Ubi ego audiuerim?* ποῦ ἂν ἀκούσαιμ' ἐγώ; Coniunctivus ponitur in interrogationibus, ubi admiramur aut admirando negamus id, quod ab altero prolatum est; vid. Madvig. Gr. Lat. 353, ubi afferuntur Ter. Hec. 589: „Illius stultitia victa ex urbe tu rus habitatum migres?“ Cicer. ad Q. fr. I, 3, 1: „Ego ... te uidere noluerim?“ Ex Plauto hæc afferri possunt: infra 806: „Vir ego tuus sim?“ 811: „Tun mecum fueris?“ Asin. 831: „Putem ego?“ Aul. 82: „Ego intus seruem?“ Curc. 120: „Egon salua sim?“ 494: „Egone ab lenone quicquam Mancupio

accipiam?“ Most. 204: „Cur non curem?“ 569: „Abeam?“ 610: „Iubeam?“ Pseud. 288: „Subriperet hic patri?“ 290: „Egon patri subripere possim quicquam?“ 486: „Abs te ego auferam?“ Pers. 339: „Tuin ventris causa filiam vendas tuam?“ 635: „Quæ (patria) mihi sit nisi hæc, ubi nunc sum?“ Trucul. 615: „Quid? manu uicerim?“ — 743. *Mirum quin* etc. „Mirum est“ inquit „profecto servum domino non contradicere“, ironice; cf. Aul. 85. Cist. 562. Merc. 200. Pers. 340. Rud. 1393. Trin. 967. 495. — 746. *quom .. interrogas. Quom* pro „*quoniam*“ aut „*quod*“ cum indicativo ponitur apud Plautum non solum post gaudendi verba, v. supra ad 636, sed etiam alibi; cf. supra 129, infra 1150: „quom sum Iuppiter“. Asin. 79: „Præsertim quom . . . habuit“. 81: „Quom me adiit“. Bacch. 531: „Saluos quom peregre aduenis, Cena detur“. Trucul. 358. Capt. 421: „quom optume fecisti“. 988: „quom ego plus minusque feci“. Most. 164: „quom lepida tute es“. Merc. 513: „Bonae hercle te frugi arbitro, a matura iam inde aetate Quom scis facere officium tuum“. Pseud. 293: „quom pietatem te amori uideo tuo praeuortere“. 828: „Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt, Quom hasce herbas huiusmodi in suum aluom congerunt“. 911: „quom te adiutorem genuerunt mihi“. Copiose hanc rem tractarunt Lübbert, Grammatische Studien II, et Autenrieth in Annal. philol. vol. supplem. VI. — 747. *equidem*, vid. ad v. 757. — *ipsus* et *istanc* etiam B man. sec. — 748. *Qui nunc* cod. B, cett. „quin nunc“; Both. et posteriores *Quid nunc*, quod probo, quamvis illam formam in Pseud. 154 congruens codicum et palimpsesti consensus tueatur. Posterior huius versus pars priorque sequentis excidit in B, sed posterior manus in margine supplevit. — *ac falsum d.*, i. e. et quidem falsum dicere s. dicentem audio. — 754. *Dedisse* mediam corripit, v. Prol. p. 198. — *dixeras*; expectabatur „dicebas“, cf. 379.

757. *Ego equidem*, cf. Bacch. 433: „Id equidem ego certo scio“. Merc. 260: „Amavi equidem hercle ego olim in adulescentia“. Terent. Heaut. 632: „Id equidem ego, si tu neges, certo scio“. Sall. Cat. 51, 15: „Equidem ego sic existumo“. Iug. 10, 6: „Equidem ego regnum vobis trado firmum“. 85, 26: „Equidem ego non ignoro“. Cicero de Orat. II, 6, 25: „Sic

ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos". Rectissime igitur Priscianus XVI, p. 1033 P. negavit *equidem* compositum esse ex *ego* et *quidem*, id quod etiam ad etymologiæ rationem parum veri simile foret, potiusque statuendum duas esse eiusdem vocabuli formas, alteram encliticam (*quidem*), alteram (*equidem*) et accentu et vi graviorem, ut interdum non multum differat a „profecto". Priscianus hoc quoque animadvertit: „potest *equidem* et ad primam et ad secundam et ad tertiam transferri personam"; addi potest: „et ad singularem et ad pluralem numerum". Vid. Sallust Cat. 52, 11: „Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus". ib. 16: „vanum equidem hoc consilium est". 58, 4: „Scitis equidem, milites". Varro R. R. I, 5, 1: „Equidem innumerabiles mihi videntur (agriculturæ partes)". Liv. V, 51, 4: „Equidem, si nobis cum urbe simul positæ religiones nullæ essent, tamen tam evidens numen hac tempestate rebus adfuit Romanis". Accedunt, ne ulla relinquatur dubitatio, poetarum loci, Verg. Æn. X, 29: „Equidem, credo, mea uolnera restant". Prop. II, 31, 5: „Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso". Pers. 5, 45: „Non equidem hoc dubites". Lucan. VIII, 824: „Haud equidem inmerito . . cautum". Apparet igitur parum recte Bentleium ad Terent. Heaut. 4, 1, 19 et Ad. 5, 3, 65 dixisse, *equidem* cum verbo primæ personæ semper iunctum ante Neronis ætatem; Ritschelius hoc quidem affirmare non audet, sed tamen „Plautino usu persuasissimum habet hanc formam a reliquarum personarum societate præter primam prorsus excludi" (Prol. Trinum. p. LXXVII). Hic non id quæram, cur, quod Sallustio et Varroni licuit, Plauto non licuerit, sed locos afferam, qui mihi quidem sani et certi videantur. Aul. 137: „Decet equidem uera proloqui". Epid. 594: „Adulescentem equidem dicebant emisse". Men. 538: „Di me equidem omnes adiuuant" („me quidem" a sententia loci abhorret). Pers. 545: „Equidem edepol liberalist". 638: „Atque equidem miseret tamen". *Atque equidem*, si codd. sequimur, fere constanter dixit Plautus, vid. præter hunc locum Aul. 704. Bacch. 967. Most. 1026. Mil. 650. Pœn. 511. Trin. 611. Terent. Eun. 956; unde non iniuria Luchs in Hermæ V, 277 etiam Epid. 31: „Atque equidem cito" scri-

bendum censet. Idem animadvertit, Plautum „scio equidem“ et „nam equidem“ constanter dicere. Duobus locis, Men. 306: „Insanit hic equidem“. Rud. 827: „Haec equidem Palaestra“, metro iubente ab editoribus „quidem“ substitutum est. De Cistel. 356: „Et equidem“ ambiguum iudicium est.

758. *Mane.* Alcmenam retinet, ne abeat; sed ante quam persequitur colloquium, Sosiam interrogat, num is forte Alcmenæ rem narraverit. — 759. *illic* codd.; „illi“ Both. Fl. — 762. *Quid hoc fit homini* nos emendavimus, vid. ad v. 572. Alcmenam intelligit. — *hoc* corripitur, v. Prol. p. 204. — 763. *i* Lindem. addidit versu iubente nec sensu aspernante. *Thessalam*, servam comitem, alloquitur. — *intus . . . foras*, cf. Casin. 327: „Eccum exit foras Chalinus intus cum sitella et sortibus“. — *proferto* iam ed. pr. — 766. Versus iusto longior. Lindem. et Fl.: „An etiam id credis, quæ in hac cistula“. Brix in Annal. phil. CI, p. 762 voc. „pateram“ spurium iudicavit. Fieri potest, ut „etiam“ delendum sit; „An etiam“ collato v. 738 defendere nolim. — 769. *Cerritum* vulgo Cereris furore correptum enarrant et, si glossariis antiquis fides est, etiam Græci *δημητρολήπτους* aliquos appellarunt. Quæ quum admodum incerta essent, Prellerus (Religion der Römer p. 71) a Cero, quem eundem Genium esse putat, h. v. deduxit, quasi Genium veri similius esset quam Cererem insaniæ auctorem esse. Si coniectura proponenda est, nescio an vox eiusdem stirpis est ac „gerræ“ (Asin. 593) et „congerro“ (Trucul. 104). Ceterum de h. v., quod apud Plautum præter h. l. extat Rud. 1006, vid. Haupt., Ind. lect. Berol. $186^7/_8$, p. 8 sq. Etiam apud Senecam de Ira III, 8, 7 vox restituenda est: „Difficilis quoque et indomita natura blandientem feret; nihil asperum cerritumque palpanti est“ (codd. „territumque“). — *circumferri*, *περικαθαίρεσθαι*, *περιαγνίζεσθαι*, lustrari. Fiebat autem hoc circumlatis hostiis, v. Preller, Röm. Myth. p. 301 et 371. Polyb. IV, 21, 9. Theophrast. Char. 16 extr. cum comment. nostro. Verum ex activa forma „circumfero agrum hostias“ passiva forma facta est duplex, „hostiæ circumferuntur agrum“ et „ager hostiis circumfertur“. Hanc structuram in mente habuit Nonius p. 261 et hunc locum afferens et Lucilii aliquem misere corruptum et Verg. Æn. VI,

229: „Idem ter socios pura circumtulit unda". Item Servius ad h. l.: „Circumtulit, purgauit. Antiquum verbum est. Plautus: Pro laruato te circumferam, i. e. purgabo". Qui utrum hunc Amphitruonis locum parum accurate citaverit, an similem aliquem alius comœdiæ habuerit, non diiudico. — Post „circumferri" hiatus in cæsura. Müller „Ita edepol" scribebat. — *Edepol qui. Qui* apud Plautum asseverandi vocibus additur, cf. supra 699. *Edepol qui* extat Asin. 551. Mil. 779. Pers. 563; *ecastor qui* Asin. 921; *hercle qui* Most. 812. Men. 1070. Merc. 405. 997. Pseud. 473. Stich. 559. Trin. 464. — 770. *larua* apud Plautum trisyllabum est primamque longam habet. Laruæ insaniam iniicere credebantur, v. Aul. 632: „Laruæ hunc atque intemperiæ insaniaeque agitant senem". Capt. 592: „Iam deliramenta loquitur, laruæ stimulant virum". *Laruatus* et *cerritus* synonyma sunt, v. infra 1049. Men. 875: „Num laruatust aut cerritus?" — 771. *Em* eadem significatione atque *en* apud antiquos positum esse Charisius p. 240, 16 K. auctor est, locum aliquem Gracchi afferens et Plauti Pœn. 729. Sæpe dicitur in verberando *Em tibi*, v. Asin. 428 locosque ibi allatos, sed non minus sæpe, si codicibus credimus, ponitur, ubi quid simpliciter ostenditur; ut Asin. 871. Aul. 631. 640. Bacch. 802. 1016. Capt. 371. 534. 851. Curc. 121. Most. 326. 792. 1161. Men. 612. Mil. 367. 894. Merc. 148. 309. 693 sq. Pseud. 759. 894. 896. Pœn. 159. 161. 207. Stich. 724. Trin. 3. — *mihi* monosyllabum est. — Alcmenæ nomen proximis verbis anteponendum et *nunc iam* scribendum esse olim intellectum est. — 772. *quae facta* sc. sunt, v. ad v. 590. — 774. *illi* cod. B, v. 530. — 775. *praestigiatrix.* Vocis utpote a præstringendo derivatæ propria forma „præstrigiatrix" esse videtur, eamque ubique Plauto restituendam censebat Spengel ad Trucul. I, 2, 32. Extat enim Aul. 620 in B et D. Pœn. 1128 in B. Trucul. 135 in A. — *multo m. maxima*; de ordine verborum cf. 721. — 776. *eam* verum esse non potest; *exsolue* scribendum esse ex proximo versu docuit Müller, Nachträge p. 60. — 777. *Res gesta est bene*, i. e. se bene habet, ut in proximis ostendit. — 778. Post *peperisti* hiatus, cuius vitandi causa Fl.: „Tu alium peperisti

Amphitruonem" scripsit; malim, si necesse sit: „Tu peperisti alium Amphitruonem". — 779. *pateram patera.* Kiessling in Mus. Rhenan. XIII, 411 sq. nominativum anteponendum esse censet; iniuria, cf. Ter. Phorm. 562: „Solus est homo amico amicus". — *congeminauimus*, gemini facti sumus; intransitive intelligatur necesse est (a „congeminasco"), quare *omnes* scripsimus. — 780. *Uide sis* iam in codd. deterioribus emendatum. — *signi quid siet*, cf. 417. Quod signum inspici iubet ante quam aperit, id ex more facit, v. Bacch. 782: „Nosce signum". Cic. Catil. III, 5, 10: „Primo ostendimus Cethego signum. Cognovit". — 782. *postulat*, cf. 357. — 784. *mihi est* cod.; pronuntiandum „mist". — 786. *At cum cruciatu iam* ed. pr. Auditur „fiet" aut „feres" aut „non apparebit", omisso verbo, cf. Asin. 129. Casin. 769: „Malo maximo suo hercle ilico, ubi tantillum peccassit". Sosiæ enim custodiam eius tradiderat. *Apparet* primam corripit, v. Proleg. p. 205. Absint igitur, quæ metri causa edd. mutare voluerunt; Camer. „ni" pro „nisi" scripsit, Lindem. „iam" omisit, Fl. „cum", Brix in Annal. phil. CI, p. 782 „verum", Müller transp. „est verum". — 788. Sosia herum ait consulto sibi insidias struere, *captare*, cf. 418. — *quia*, i. e. nam, non causam captandi affert sed causam, cur se captari putet. Sic ponitur non raro in respondendo, cf. Curc. 343: „Quia de eo emi uirginem". Men. 363: „Quia pol te unum ex omnibus Uenus me uoluit magnificare". Pseud. 626: „Quia uidere inde esse". — 790. Post *rursum* hiatus in cæsura, cuius vitandi causa alii „rursus" scribunt, alii „obsignauisti". Müller in voc. *posthac* vitium esse affirmat. — 791. *iam* codd. et edd. præter Fl., qui *etiam* posuit. — 792. *Ain* etc. Hæc Alcmenæ dicit. — 794. Hæc Amphitryo secum. *Pergam exequi* sc. rem quærendo, cf. Liv. VI, 14, 13: „Exequebantur quærendo, ubi tantæ rei furtum occultaretur". IX, 16, 4: „exequuntur quærendo a consule legati, quonam pacto crederet". XXII, 3, 2: „quæ cognosse in rem erat, summa omnia cum cura inquirendo exequebatur". XXV, 29, 10: „exequentibus sciscitando, quæ acta cum Romanis essent". Vulgo Muretum sequuntur Var. lect. X, 13 *exequi* interpretantem „narrare, διηγεῖσθαι", id quod

vix satis defenditur eiusmodi locis, quales sunt Cic. ad Fam. XI, 27, 6: „quæ vix verbis exequi possum“, Liv. XXVII, 27, 12: „si omnia exequi velim“. In eandem sententian Muret. Both. Lindem. Fl. etiam „Perge“ scripserunt et priorem versus partem Sosiæ tribuerunt (ut 798), alteram (Perge exequi) Amphitryoni. Ego nec codicum scripturam tentandam censeo et cum codicibus totum versum Amphitryoni tribui, Alcmenam autem credidi non propter hæc Amphitryonis verba, quæ non audit, sed sua sponte narrationem inceptam persequi. Gertzius, cui „exequi“ potius „narrare“ videbatur significare, Alcmenæ hæc tribuit: „Pergam exequi? Lauisti“. — 795. *Lauisti*, id quod primum peregre advenienti opus erat. *Lavare* activa forma pro „lauari“ vulgo dicebant antiqui, cf. Ter. Andr. 483: „fac ista ut lauet“. Eun. 593 sqq. Plaut. Most. 153: „Iam pridem ecastor frigida non laui magis lubenter“. Trucul. 321 sqq., quamquam Varro L. L. IX, 105 hoc improbat. — Post *laui* hiatus in cæsura; Müller p. 602 uaria conatur. — 798. Post *lecto* hiatus, cuius vitandi causa Cam. „heihei“ pro „hei“ scribebat, Fleckeis. „In eodemne lecto“. — 799. *argumenta*, quibus probet me hic fuisse. — 800. *dormitare* de appropinquante somno dicitur, semisomnum esse, cf. Cic. ad Attic. II, 16, 1: „Cenato mihi et iam dormitanti epistola est reddita“. — *aibas* versus causa Lindemann.; *abiimus* iam ed. pr. — 804. *hinc* pro *hic* emend. Both. — 805. Post *te* hiatus; edd. „ted“. Müller „ex te ego audio“ proposuit. — 806. *Vir ego tuus sim*, negat se virum eius esse, v. 741. — *falso falso* codd., quod ita tueri conati erant edd., ut prius adverbium, alterum adiectivum esse dicerent. Dousa intellexit scribendum esse *falsa falso*. Est autem *falsa*, quæ fallitur, cf. Ter. Andr. 647: „falsus es“. Eun. 274: „ut falsus animist!“ Eadem sententia infra 823 „frustratur“. — 807. *Haeret haec res*, expediri nequit, cf. Trin. 904. Pseud. 988. ib. 423: „Occisa est haec res; haeret hoc negotium“. Merc. 591: „haereo“. Pers. 535: „tali ut in luto haeream“. Amphitryo negaverat Alcmenam, quæ adulterio matrimonium rupisset, se iure virum appellare. Sosia scurriliter ambiguitatem captans, quasi non Alcmenæ virum, sed omnino

virum se esse negasset, mulierem ergo factum esse dicit. Lambinus scribebat: „hic iam mulier factust", nec sane attractio subiecti ad prædicatum hoc loco ferri posse videtur; Luchs in Herm. VIII, p. 115 „siquidem etiam" scribebat. Fortasse „hæc" delendum et „factust" scribendum. — 808. *qua istaec propter*, i. e. qua propter istaec, cf. Ter. Hec. 364: „Qua me propter exanimatum citius eduxi foras". — 809. In *ex* positio neglecta (aut *tua* monosyllabum); Müller transponebat: „tua facta". — *edictas*, enarras, cf. Epid. 106: „meorum moerorum atque amorum summam edictaui tibi". Men. 629: „Omnia hercle ego edictaui". — 811. *Tun* versus causa pronuntiandum. — *mecum fueris?* cf. 806. — 812. „Si nullus" inquit „in te ipsa pudor sit, saltem simulare debebas, ut, qui pecunia eget, mutuam sumit ab alio." Pro *tute* Fl. „tuipte" scripsit, vix necessario. — 813. *nostro generi non decet. Decere* cum dativo non raro iungitur apud antiquos, v. infra 1000. Pers. 214: „ut decet lenonis familiae". Ter. Ad. 491. 928. Lucret. I, 885, ubi cum codd. scribendum „herbis decebat". — 814. *inpudicitiai* versus causa scr. Both; *capere non potes* iam ed. pr.; sed nescio an versus tot vitiis obnoxius spurius sit. *captas*, i. e. coarguere, convincere studes, *capere* enim est convincere. — 815. *Cognoscin*. Lindem. ex codd. deterioribus: „cognostin", male; Amphitryo non quærit, num se Sosia noverit, sed num se agnoscat. Accentibus consulentes Loman. et Fl.: „Di inmortales! cognoscisne". — 817. *dicam*, expectabatur „dico". Plautus obliquam orationem prætulit, vid. infra 953. — *adsentiant*, adprobent, cf. Cic. Acad. II, 21, 68: „cum vitiosum esse constet adsentiri quidquam aut falsum aut incognitum". Activa forma Plautus non raro utitur in verbis, quæ vulgo deponentia sunt, ut „contemplo" Mil. 1023, „minito" Amph. 1032, „opino" Cas. 518, „partio" Asin. 269, „suspico" Cas. 371, „vago" Mil. 426, „proficisco" Mil. 1321. Huius quidem vocabuli antiquam formam (*adsentio*) Sisenna reducere conatus est, sed parum successit, v. Gell. II, 25, 9. Quintil. I, 5, 13.

Post h. v. Pius tradidit se „in codice reverendæ fidei" tres versus invenisse hac forma:

„AM. Quid testes? AL. Testes. AM. Quid testicularis; uno sat est.
Nec nobis præsente aliquis nisi servus Africanus
In actione adest, si hunc absentem invenerit puer".

Quæ ex Nonio p. 76 s. v. „Absente nobis" conflatis Plauti et Afranii fragmentis ineptissime conficta sunt. Camerarius sic correxit:

„AM. Qui? testes? AL. Testes. AM. Quid testiculare? AL. Enim uno sat est,
Nec nobis præsente aliquis nisi servus Sosia affuit".

Prorsus eiicienda esse iam Pareus et Gruterus viderunt.

819—20. Verba uncis inclusa spuria esse et pro *teque* scribendum esse *te qui* Hermannus iudicavit, quem cum Fleckeisenio secutus sum, et quia *forte* minus aptum est, et quia numeri nulli sunt. — 821—22. Hi quoque versus spurii videntur. Non solum *Namque* ratione caret, sed sententiæ ineptissimæ ab hoc loco alienæ sunt, vel si cum Müllero scribas: „Nam quom de illo subditiuo Sosia mirumst nimis", aut cum Mureto Var. lect. X, 13 in priore versu „mirum est minus". Utrumvis facias, *Certe* ratione caret. Codd. *nimis est*, versus causa „nimist" editur. — 823. *frustratur*, cf. infra 868. Most. 1133. — 826. *Ut mihi* (pronunt. „mi") . . . *nemo* . . . *contigit.* Solemnis iurandi formula, omissa apodosi huius fere modi: „ita mihi Iuppiter propitius sit!" Cf. Liv. XXII, 53, 10: „Ex mei animi sententia, inquit, ut ego rem publicam p. R. non deseram neque alium civem R. deserere patiar; si sciens fallo, tum me Iuppiter O. M. domum familiam remque meam pessimo leto afficias". Gell. IV, 20, 3: „Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes". Plaut. Bacchid. 771. — 829. Mulierum in iurando audaciam et levitatem sæpe poetæ tangunt, ut Tibul. I, 4, 21: „Nec iurare time; Veneris periuria venti Inrita per terras et freta longa ferunt". Prop. II, 28, 6: „toties sanctos non habuisse deos". Ovid. Amor. III, 3. al. — 830. *proterve*, i. e. audacter, cf. Bacch. 607. — 831. *In uerbis probas* codd. corrupte. Gruter: „tu uerbis proba's", Taubm. ne versus claudicaret: „Ain? tu uerbis proba's". Acidal.: „Ut te uerbis probas". Fl.: „Ut decet pudicam. AM. Ain? tu uerbis probas". Ego malui: „Id nunc uerbis probas" aut „Id tu uerbis probas", iureiurando scilicet;

factis enim non potes, quæ te coarguant, ut ipsa narrasti. — 832. Post *duco* hiatus in cæsura. Fl. transponebat: „esse duco". — 833. *cupidinem* non raro masculino genere dici constat, ut Horat. Sat. I, 1, 61. Od. II, 16, 16. — 834. Ante *parentum* Fl. *et* addidit, quo facile caremus, vid. ad Asin. 564. — 835. *ut* post *tibi* addidi, quod mihi per orationis leges ex altero membro audiri posse non videbatur. V. 9 pro testimonio neminem usurum credo. — 836. *examussim*, quamvis accurate examinetur. Nonius p. 9: „*Examussim* dicitur examinate ad regulam; est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant, rubrica inlinunt". Inde vulgo dicitur „ad amussim", Plautus *examussim* h. l. et Most. 99: „factae probe examussim" et Men. 50: „ut hanc rem nobis examussim disputem". Mil. 633: „amussitata". — 837. *Delenitus*, quasi fascinatione et incantamentis mente privatus, cf. Cist. 347: „Tu me delenis". Non. p. 278, qui etiam hunc locum affert. — 838. *Caue sis ne tu te usu perduis.* „Sic dictum" inquit Lambinus „usu perdere ut usu capere"; non male; sed quod addit: „quemadmodum usu quaeruntur rerum dominia, ita et usu amittuntur", non est verum. Usu, i. e. per usum, nihil amitti potest; nam quod dicunt, si ipse se amitteret, fieri posse, ut alius in eius locum succederet et usu in possessionem eius veniret, id eiusdem generis est, ac si quis lucum a non lucendo dictum putet. Est igitur *usu* non per usum, sed ex usu, et usu se perdere est usum sui perdere. — 840. *inquisitam*, i. e. non quæsitam, cf. 1010. — 841. *Quid ais?* cf. 414. — 842. Post *cognatum* hiatus in cæsura; Müller „ad te" addebat. — *a naui* cod., Fl. „ab n." ut 847. — 845. Divortium minatur. *Causam*, excusationem, cf. Capt. 618: „nullam causam dico, quin". Ter. Phorm. 272: „Non causam dico, quin quod meritus sit ferat". Eodem modo in proximo versu „nulla causa est"; cf. Casin. 914: „Nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes". Capt. 351. Pseud. 534. Most. 426. Cicero. Agr. III, 1, 3. — 846. *Convenit*, condicionem accipio. — 847. *hos*, servos sarcinas gerentes. — *adducam* ed. pr. — 848. Postquam abiit Amphitryo, Sosia ex Alcmena de altero illo, quem ipse viderat, Sosia quærit. — 851. *conlubitum* olim emendatum. — 852. *insimulare* et rei et

personæ accusativum sibi adsciscit, cf. Mil. 394: „Ita me insimulatam perperam falsum esse somniaui". Qui locus etiam suadet ut retineamus codicum scripturam *falsum*. Fleck. ex Lindemanni coni. ed. „falso", cf. infra 881. Mil. 299: „si falso insimulas Philocomasium". — 853. *Naucrate* ultimam producit, nisi forte cum Both. et seqq. transponendum: „id cognato".

---

854. Iterum Iuppiter advenit, primum turbas in summum aucturus, deinde omnia pro numine suo explicaturus. Advenit autem Amphitryonis personam gerens. Quare ne errent spectatores, histrio narrat se Amphitryonem esse non eum, qui nuper cum Sosia servo adfuerit, sed eum, cuius servus sit alter ille Sosia, qui proprie Mercurius sit; se quidem in cælo habitare dicit et, quando velit, ex Amphitryone Iovem fieri. Sed ridiculi causa semper suas quoque res histrio tangit, suumque domicilium commemorans ibi quoque cæli similitudinem invenit. Habitabat enim pauperum more in superiore ædium parte, in *superiore cenaculo*. De quo voc. vid. Varro L. L. V, 162: „Ubi cenabant, cenaculum vocitabant. Postquam in superiore parte cenitare coeperunt, superioris domus universa cenacula dicta". Liv. XXXIX, 14, 2: „Cenaculum super aedes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in aedes verso". Quid quod Ennius etiam in Annalibus (v. 61) eadem imagine usus „cenacula maxima caeli" dixit.

854. *cui* B, *cuius* codd. dett. Both. Fl. — 856. Post *qui* hiatur. — 858. *quom extemplo* (em. ed. Parm.), i. e. quum primum, cf. Asin. 439. Bacch. 300. Capt. 432. Most. 98. Merc. 291. Pseud. 809. Trin. 242. — *aduentum adporto* insolite dicitur, nec tamen ita, ut dubitationem movere debeat. Attii ex Philocteta versus est: „Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia et tesqua te adportas loca?" Lambinus comparavit Lucretianum (IV, 1234) „adfigere adhaesum". — 861. *Ne incohatam transigam' comoediam*, i. e. ne imperfectam relinquam. *Transigitur* comœdia ut vita, ætas, tempus; nec aliter Pseud. 566: „hanc fabulam dum transigam"; sed nihilo magis absoluta est, nisi argumento explicato et ad suum exitum perducto. —

incohatam scribendum esse docuerunt Wagner in Orthographia Vergiliana p. 440, aliique, cf. Fl. Ep. crit. p. X. — 863. *ueni, ut feram*, vid. ad 192. — 865. Hiatus post *Alcumenae* in cæsura, et deinde ante *expetat*. Fleckeisen ex Hermanni sententia versum sic transformare ausus est: „Si id innocenti [inmerito damnosum] expetat". De voc. *expetat* vid. supra 491. — 866. Numerorum gratia Lindem. „meme" scribebat; Herm. et Fl. „memet Amphitruonem". — 867. Post *adsimulabo* hiatus in cæsura. Fl. „[Iterum] esse" scribebat, Müller „Esse adsimulabo [ego]". — 868. Ante *hodie* hiatus; Cam. „hic" addebat, Fl. „Hodie frustrationem" scribebat. Mox *iniciam* olim emendatum. — 869. *Igitur demum*, vid. supra 207. Ex abundanti h. l. additur etiam *post*. — *faciam, fiat*, omisso *ut*, vid. ad v. 12. — 871 sq. *quod grauida est*, pro *quo*, v. 713. Accusativus h. l. eo magis est necessarius, quoniam sequuntur ablativi sine præpositione, *uiro* et *me*, non „ex uiro", „ex me". — 874. *hanc*, Alcmenam, quam exeuntem videt.

875. *Durare*, cf. Asin. 898. Mil. 1241. Merc. 635. Trucul. 325. Ter. Adelph. 554: „Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest". — 877. *infectare est. at clamitat* cod. B corrupte. Camer. corr.: „infecta refert ac clamitat". Lindemann., quem Fl. sequitur, „infecta re esse occlamitat", in quibus Hermannus quum animadvertisset „re" pravum esse, ipse coniecit: „Ea quæ sunt facta re, infecta esse occl.". Equidem scripsi *infecta esse instat, clamitat. Instare* hac significatione constanter affirmandi Terent. Andr. 147: „Ego illud sedulo negare factum. Ille instat factum". Ad quem locum Donatus: „Plautus: instare factum Simia". Asyndeton „instat clamitat" tuentur loci ad v. 13 allati. — 878. *arguit* sc. me fecisse, vel eorum me arguit, ut v. 890. — 879. *susque deque habere* aut *ferre* Gellius XVI, 9 significare ait „aequo animo esse et quod accidit non magni pendere atque interdum neglegere et contempnere, et propemodum id valet, quod dicitur Græce ἀδιαφορεῖν". Tum Laberii, Varronis, Lucilii locos affert. Festus p. 290 interpretatur „plus minusve". — 882. *Aut satis faciat im ille atq.*; tres primi pedes sunt dactylus, anapæstus, spondæus. Lindem. et Fl. deleto *mihi* ed. „Aut faciat satis ille". —

883. *Nolle esse dicta*, solita excusandi formula, cf. Ter. Ad. 165: „Nollem factum". — 884 sq. *Faciundumst, si studeam* v. 696. — 886. Versus causa *id* delendum videtur; Camer. transp.: „id factum". — 887. *illi* pro *ille* em. ed. Parm. Amphitryo significatur, ut apparet ex *illius* v. 889; nam prorsus improbanda est Lindemanni temeritas „hunc" pro „hanc" et „sonti" pro „insonti" scribentis. Iuppiter ad excusationem et obsecrationem sibi confugiendum esse dicit, quia, ut Amphitryonem nuper insontem suus (Iovis) amor male habuerit, ita nunc illius ira et maledicta in uxorem, quibus iure offensa est, sibi insonti, quippe qui Alcmenæ non maledixerit, negotium exhibitura sint ex convicio Alcmenæ. — 889. *expetent*, v. 491. — 890. *Et* si uerum est, ponitur ut „Atque" v. 948. Müller proposuit „Ei". Luchs in Hermæ VIII, p. 121: „Sed", coll. locis a Spengelio Plaut. p. 110 collectis. — Post *miseram* hiatus. Fl. ex Hermanni coni. ed.: „[modo] me miseram qui arguit". Müller altius vitium latere credit. — 891. *Stupri, dedecoris;* asyndeton in nominibus fere eiusdem significationis, cf. Asin. 817: „turbas lites". Aul. 391: „congrum, muraenam". Epid. 442: „armis, arte duellica". 516: „qui omnium legum atque iurum fictor conditor cluet". Men. 1111: „miseriis laboribus". Mil. 647: „sputator screator". Pseud. 582: „dolos perfidias". Pœn. 134: „grates gratias". Rud. 23: „Iovem se placare posse donis, hostiis", et apud Lucret. II, 118 et IV, 1002 „proelia pugnas edere". — *te . . . conloqui*, v. 335. — 892. *Quo* nec per se nec propter Alcmenæ responsum aptum est, quare cum Fl. *Quor* (i. e. cur) scripsi, antiqua forma, quam Mil. 1252 exhibet cod. B, ut supra v. 575: qur; cf. Proleg. p. 160. Versus restituendi causa Camerar. „ted" scribebat. Both. „nunc", Umpfenbach „quaeso" excidisse putabat, quem Ritschelius, Neue Excurse I, p. 39 sq. sequitur. Müller: „Quor te [a me] auortisti? AL. Ita [natum] ingenium meumst". Fl. „Est ita ingenium meum". — 893. Versum afferunt Priscian. IX, 4, p. 517 et Nonius p. 148. — 894. *autem* ponitur ubi cum admiratione et contemptu rogando alterius verba repetimus, cf. Pseud. 305: „Metuo credere. PS. Credere autem?" Terent. Eun. 798: „Ego non tangam meam? CH. Tuam autem?" —

896. *iracunda* em. Lambinus. Antiquus error etiam Nonium implicavit, qui p. 183 hoc versu allato *uerecundam* explicat „audacem et confidentem“ prorsus contrariam vim voci tribuens. Iuppiter hæc dicens blande manum Alcmenæ admovet; ea vero eum acerbe repellit manumque abstinere iubet. Cod. B et ceteri plerique *Potin es ut*, quod quum ferri non posset, cod. Brit. „est“ pro „es“; sed numeri ostendunt verbum omittendum esse, ut voluit Camer. — 899. *Cum ea tu* et *ioco* iam ed. pr. — 900. *nisi sis stultior stultissumo;* hoc iam v. 897 dictum est („si sis sanus aut sapias satis“). Fit hoc interdum in sermone quotidiano, ut protasis post apodosin repetatur, cf. Aul. 373 sq.: „Festo die si quid prodegeris, Profesto egere liceat, nisi peperceris“. Trucul. 513 sq.: „Quom tu recte prouenisti· quomque es aucta liberis, Gratulor, quom mihi tibique magnum peperisti decus“. Item Aristophanes, Ran. 1184 sq. *ὄντινά γε, πρὶν φῦναι μὲν, Ἀπόλλων ἔφη ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι.* 736 sq. *κἄν τι σφαλῆτ᾽, ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου, ἤν τι καὶ πάσχητε, πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε.* — 901. *Si dixi*, sc. te impudicam esse. — 902. *id*, i. e. ideo, frequenter post uerba motum significantia, cf. Cas. 650: „id huc missa sum“. Mil. 1151: „id nos ad te uenimus“. Ter. Eun. 1005: „Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem“; cf. supra 163. Item *quod*, Curc. 456: „Quid hoc quod ad te uenio“. Most. 735: „Nunc hoc quod ad te noster me misit senex“. Pseud. 643: „quod missus huc sum“. — Post *reuorti* hiatus in cæsura. Camer. „uti“ scribebat. Ritsch. Ind. schol. Bonn. 1854: „ut purigarem me tibi“. — 903. *fuit aegrius*, magis doluit, cf. Bacch. 1106: „Quid tibi ex filio nam, obsecro, aegrest?“ Capt. 129. 694. Curc. 169. Men. 613. Merc. 363. Terent. Hec. 227. 515. — 904. *ted* Camerar. em. — 909. *dixeram*, v. 379. 912. — 910. *hunc* correptum, v. Proleg. p. 204. Nec multum offendit, quod Sosia ille non adest, nam in ædibus versatur (v. 942), ut animadvertit Fl. Ep. crit. p. XX. *Vel* apud imperativos fere idem est quod „modo“, cf. Epid. 688: „Vel da pignus“. Most. 293: „uel rationem puta“. 906: „Vel mihi denumerato“. 1074: „Vel hominem iube aedis mancupare“. — 912. *dudum*, v. 842. — 913 sq. „Non aequum est“ inquit „ut ei, quod per iocum dictum est, plus tribuas,

quam iis, quæ nunc serio dicuntur"; *serio* non est adverbium sed adiectivum dativo casu; nam opponitur ei „si quid dictum est per iocum", ut Pœn. 1324 sq.: „si quid per iocum Dixi, nolito in serium convortere". Præterea in prævortendi verbo comparativa vis necessario inest, nec fieri potest, quod putabat Lindemann., ut simpliciter curandi significationem habeat; cf. Cist. 615: „Prævorti hoc certum est rebus aliis omnibus". Pseud. 237. Liv. XXXV, 33, 10. XXXVI, 27, 3: „quum alia sibi prævertenda esse dixisset". Plaut. Capt. 458. supra 524. — 915. *illum* cod. B; sed olim *illud* emendatum est, recte; nam pro ioco nondum accipit. — 916. *dexteram* versus requirit, v. Prol. p. 211. — *oro obsecro*, vid. ad v. 13. — 917. *Da mihi hanc* codd., quod si verum est, cum hiatu post „mihi" legendum. Ed. Parm. „ueniam hanc", Both. „Te, da mihi", Lindem. „Dato mi"; quorum nihil placet; mallem saltem „Da mihi tu hanc v." — 918. *feci inrita*, refutavi, ut ea nihili esse appareat. — 919. *Nunc quando factis me inpudicis abstines;* sic codices. Lamb. enarrat: „Nunc quando me a factis impudicis abesse et alienam esse confiteris"; quod valde vereor ut significare possit. Sed multo minus mihi placent virorum doctorum emendandi conatus, ut Lindemanni: „Nunc quando dictis inpudicis abstines, Ab inpudicis factis auorti uolo". Modestius Fleckeisen: „Nunc quando factis sum inpudicis abstinens". Mihi Plautus scripsisse videtur: „Haec (i. e. virtus) quando factis me inpudicis abstinet". — 920. *Ab inp. d. a. u.*, i. e. etiam ab inpudentibus dictis libera esse volo. *inpudicum* dicitur non solum, quod pudicitiam, sed omnino quod pudorem lædat, et interdum idem est quod „inpudens", v. Asin. 472. Rud. 393: „O facinus inpudicum, Quam liberam esse oporteat, seruire postulare". Pers. 194 „inpudicitia" est impudentia. — *auorti*, alienam esse, cf. Hor. Od. II, 4, 19: „neque sic fidelem, Sic lucro aversam potuisse nasci Matre pudenda". — 921. *tibi habeas res tuas*, solemnis in divortio formula, cf. Cic. Philip. II, 28, 69: „illam suas res sibi habere iussit". — 922. *Iuben mihi ire comites*. „Ad sententiam pariter atque ad versum plane supervacuum esse *ire*" contendit Lindem. Illud concedo; numeri ferri possunt, nam „iuben" pro pyrrhichio est, „mihi"

aut „mi“ cum proximo coalescit. — 923. Codd. et B et I non, ut Pareus indicat: „Mecum comitem“, sed: „Ibo egomet comitem“. Quæ quum metro repugnare viderentur, Lindemann. coniecit: „Sinito, egomet comitem mihi Pudorem duxero“. Fl.: „Sinito Pudicitiam egomet comitem duxero“. Utrumque iusto audacius. Nobis nihil mutandum videtur, v. Proleg. p. 211. — 924. *arbitratu tuo*, quale ipsa probaveris. In iure iurando similis lusus ut supra 388, nam uxor quidem Iuno est, pœnasque Iuppiter non sibi iuranti sed Amphitryoni optat. — 928. *Ah, propitius sit potius.* Mulier iam placatior Iovem Amphitryoni iratum esse non vult. — 935. *Inter eos*, homines, v. 931. — 936. *Bis tanto amici.* Accuratius diceretur „bis tam“ aut „bis tantum“; ablativus comparativis additur ut Pers. 154: „ter tanto peior“. Sed ex frequentissimo apud comparativos usu (v. ad Bacch. 306) *tanto* etiam ad positivum transfertur, cf. Merc. 293: „bis tanto ualeo quam uolui prius“. — 938. *isdem* codd., sed ablativus vix intelligi potest. Edd. *idem*, cf. infra 1101. — 939. *Uasa pura*, i. e. pure lota, quibus sacra præferantur, cf. infra 1142. Capt. 853: „iube Uasa tibi pura adparari ad rem diuinam cito“. Aul. 265. — 941. Si versus recte scribitur, hiatur aut ante aut post *exsoluam;* Both., Lind., Fl. „ut“ addebant, Müller „hic“. — 945. Numerorum defectui consulens Gulielmus extremo versui „dolis“ addebat; plerique ante voc. „ludificabitur“ aliquid excidisse putarunt, Herm. „dolis“, Lindem. „ludo“ aut „lepide“, Müller „ludis“ aut „pulchre“. — 946. *Quom;* Herm. „Dum“, vix necessario. — Scena, qua acta sunt, quæ h. l. significantur, interiit. Apparet Iovem hæc secum, ab Alcmena aversum, locutum esse, id quod illa proximo versu miratur. — 948. *Atque* sæpe ponitur oblata nova aliqua re, ubi ex nostro more potius „Sed“ ponendum erat, cf. Asin. 150. 400. Men. 352: „atque eccum uideo“. ibid. 761. Most. 1109. Pers. 737. Stich. 576. Pseud. 131: „Atque ipse egreditur intus“. Epid. 102: „Atque ipse illic est“. Trucul. 123: „Atque is est“. Pœn. 1079: „Atque adest“. Pers. 233. al.

949—966. Trochaici septenarii. Sosia arcessitus advenit; omnia composita et læta videntur; paratur celebratio festi diei. — 950. Numerorum defectui consulentes Camer. scr.: „Iam pax est inter uos quaeso duos“, Loman. et Fleckeis.: „Iam pax est facta uos inter duos“. Sed non est, quod numeros corrigamus, nam versus spurius est. Quo enim modo fieri potest, ut Iuppiter, qui v. 942 Sosiam evocari iussit, exclamet „Optume aduenis“, quasi de improviso apparuerit? Deinde hic versus cum sequenti (951) conciliari non potest; nam quod post interrogationem infertur *Nam*, necesse est causam quæstionis indicet; quærit autem, non quia gaudet, sed quia dubitat, an iure gaudere possit. Particula *Nam* hic quoque ut sæpe alibi (vid. ad v. 104) causam affert non eius, quod proxime dictum est, sed quod huic dicto subest. Parere imperio servi est, sed libenter parendi lætitia causa est, quoque magis gaudet, eo est promptior ad obediendum. — *Uolup*, non, ut olim faciebant, *uolupe*, scribendum esse demonstravit Ritsch. Op. II, p. 450, allato et Frontonis loco p. 136 Nieb.: „vetere verbo faceres animo uolup. Qua, malum, uolup?“ et iis Plauti locis, ubi, quia in exitu versuum ponitur, dubitari nequeat, quamvis in codd. fere aut „uolupe“ aut „uoluptas“ sit, Asin. 933. Casin. 733. Men. 664. Most. 149, ubi recte scribitur in B. — 952. *ita sese instituere*, i. e. ita se formare, tale vitæ institutum capere. Post *ita* sæpe apud Plautum non sequitur sententia ab *ut* incipiens, sed solute additur id, quod adverbio illo significatur, ut Aul. 460 sq. „ita mihi pectus peracuit: capio fustem, obtrunco gallum“. Curc. 300. 302. Men. 94. 101. Pseud. 1231: „ita res gesta est: angiporta certumst consectarier“. Pœn. 502: „Ita res divina mihi fuit: res serias Omnis extollo ex hoc die in alium diem“. Stich. 525 sq. Terent. Eun. 97: „ita erat res: faciundum fuit“. Simili modo ponitur *tantus*, ut Asin. 308. Men. 102. Epid. 83: „Tantae in te inpendent ruinae: nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere“, et *is*, ut Pseud. 595: „Eo sum genere gnatus: magna me facinora ecficere decet“. Mil. 801. Aul. 369. Sic hoc quoque loco non sequitur sententia ab *ut* pendens; coniunctivus *sit* hortativus quidam est: quales heri sunt, talem ipsum esse oportet. Quod autem in sententiis secundariis (*ut*

sint et proximo versu *si sint, si gaudeant*) coniunctivus ponitur, non raro apud Plautum sic latius patet notio orationis obliquæ, ut sententiæ relativæ coniunctivis sententiis interpositæ et ipsæ coniunctivo modo proferantur, ubi alii scriptores potius indicativum posuissent; cf. 817. Capt. 205: „pigeat nostrum erum, si solutos sinat, quos argento emerit". Mil. 302: „Quid tibi uis dicam, nisi quod uiderim?" 372: Numquam hercle deterrebor, quin uiderim id quod uiderim". 555: „Quidni fateare, ego quod uiderim?" Pseud. 307: „Det, det usque; quando nil sit, simul amare desinat". — 953. *ipse item sit* ceteri codd. præter B. — *conparet*, conponat, instituat, cf. Ter. Eun. 47: „An potius ita me conparem, Non perpeti meretricum contumelias". — 956. cf. 909. Voc. *iam* ante *dudum* in codd. intrusum nec versus nec sententia admittit; delevit Camerarius. — 957. Post *dixisti* hiatus; Camer. „tu" addebat. Si quid addendum, malim „Ego" ut 757. Fl. audacius: „An illut ioculo". — Post *ratus* omittitur „sum", cf. ad v. 590. — 958. Versus causa Lindemannus *At* capiti versus addebat; melius Ritsch. Opusc. II, p. 431 censet *expurigationem* scribendum esse et h. l. et Mercat. 949: „At ego expurigationem habebo, ut ne succenseat". Ex quo loco etiam id intelligitur, *expurgationem habere* esse se purgare; cf. Capt. 815: „edictiones aedilicias hic quidem habet". — 959. *rem diuinam*, sacra se facturum dicit, ut vota solvat, quæ pro felici reditu susceperit, v. 941. Sententia relativa non accurate cum demonstrativa iungitur, magisque sensus quam verba spectantur, cf. Asin. 552: „uirtutes tuas . . . quae domi duellique male fecisti". Capt. 918: „ex miseriis plurimis me exemerunt, quae . . . sustentabam". Men. 969: „ut imperium meum Sapienter habeatis curae, quae imperaui atque impero". Terent. Heaut. 876 sq.: „Quiduis harum rerum conuenit, quae sunt dicta". Nec multo aliter ipse Cicero de Fin. III, 21, 70: „Amicitiam adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere, quæ prosunt". Alibi licentius a singulari ad pluralem transitur, ut supra 724. Most. 550: „Sed Philolachetis seruom eccum Tranium, Qui mihi nec fenus nec sortem argenti danunt". Aul. 429: „Etiam rogitas, sceleste homo? qui angulos omnis Mearum aedium et conclauium mihi peruiam facitis". Cist. 554: „Uesti-

gium hic requiro, Qua aufugit quaedam". — *Censeo* sc. sic faciundum, cf. Curc. 279: „Sane censeo". Men. 556: „Sic censeo". Pseud. 668. Pœn. 731. 1253. Stich. 731. Trucul. 423. Ter. Eun. 217. Heaut. 588. Plaut. Cas. 588: „Gratiam facias. CH. At pol ego nec facio neque censeo". — 961. Deest aliquid versui. Lindem. „Blepharonem, is uti" scrib.; equidem *hic* malim. — 962. *Iam hic ero;* brevi se rediturum dicit; cf. Aul. 89. Men. 211. 222. Trucul. 209. Sed quomodo fieri potest, ut eum, qui hæc dixerit, Iuppiter statim redire iubeat? Iove iubente Sosia se pariturum esse promittere potest; post promissum Sosiæ Iuppiter nihil aliud dicere potest nisi hoc ipsum se velle. Quare nescio an inversus sit sermonum ordo, ac sic scribendum sit: „IV. Actutum huc redi. SO. Hic ero, quom illic censebis esse me". Etenim hoc quoque animadvertendum, particulam *iam* addita alia temporis significatione (quom illic censebis esse me) prorsus abundare. — 963. *Num quid uis* (cf. 538) *quin,* i. e. quo minus. — *opus.* Fleckeis. „opust", vid. ad v. 509. — 964. *quantum potest*, i. e. quam citissime fieri potest, cf. Asin. 600. Bacch. 344. 1024. Most. 746. 1034. Men. 836. 1034. Mil. 182. Merc. 682. Pers. 143. 577. Pœn. 570. Stich. 236. 252. Trin. 765. Ter. Eun. 377. De usu verbi cf. supra 169; de voc. *quantum* præterea Aul. 119: „quantum potero". Most. 517: „quantum quis". Terent. Andr. 577: „quantum queam". Eun. 844: „quantum queo". Ad. 350: „quantum potes, abi". — *fac* Cam. em.

Post v. 965 Bosio auctore edd. usque ad Lindemannum inserebant talem versum: „Quando istaec omnia exiurasti te mihi dixe per iocum". Is ex Nonio confictus est, qui p. 105 ex Plauti Amphitryone hunc senarium affert: „Exiurauisti te mihi dixe per iocum", qui quin ad deperditam fabulæ partem pertineat, dubitari nequit. Nos posuimus v. 1039.

967. Postquam abiit Alcmena, Iuppiter secum senariis loquitur. — *frustra sunt*, i. e. falluntur, decipiuntur, locutio Plauto familiaris; *a* semper breve est, vid. Spengel. Plaut. p. 62 sq. Bergk, Beiträge zur lat. Gram. p. 82. — Numerorum causa, ne esset hiatus post *hi*, Both. „hice", Fl. „hisce" scripserunt. — *ambo* . . . *duo*, mirum sane abundantiæ exemplum, quod vix defenditur

Most. v. 764 („Alexandrum magnum atque Agathoclem aiunt maximas Duo res gessisse"); Lindemannus comparavit Italorum „ambedue". Equidem non negaverim mihi hunc et proximum versum etiam propter sententiam admodum displicere, nec, si quis spurios dixerit vss. 967—68, repugnaverim. — 969. *diuine Sosia*, Mercuri. Post „diuine" hiatus in cæsura; Fl. „mi" addebat, alia Müller p. 496. — 971. Ante *aduenientem* hiatus in cæsura. Edd. inde ab Ald. *iam* addunt, quod ante „Amphitryonem" legitur apud Nonium in loco pluribus vitiis inquinato. Is enim p. 88: „*Conmentum* pro conmunitum. Plautus Amphitryone: fac iam Amphitryone aduenientem ab aedibus ut abeat quouis pacto pacto fac conmentus sies". Enarrandi errorem hodie quiuis convincet; *conmentus sis* est „inveneris". Versus causa *sis* legendum, ut 974 *sint*, Asin. 59. 284. De positione neglecta cf. Proleg. p. 201. Pleniore forma retenta Both. Fl. in v. 972 „fac" delerunt, quod recte fieri non potest. Equidem, quum obiectum abesse non possit, vix dubito, quin ante h. v. exciderit „hoc". — 973. *illunc* Pareus; librarii error *c* in *e* mutaverat. — *usuraria* cf. 494. — 975. *adeo* significat „quidem". Terent. Eun. 312: „Si adeo digna res est", ut codd. recte. Versus causa Both., Fl. *med.* — 976. Numerorum causa Camer. transponebat: „mihi quom sacruficem", Fl. „quom sacruficem mihi". Mihi forsitan magis placeat: „quom mihimet sacruficem". Grammatice non minus recte dicitur *fac ut ministres* quam *fac haec curata sint*. Omissæ coniunctionis exempla vid. ad v. 12, retentæ Asin. 817. 893. Pseud. 210. 515. Stich. 519. 152.

---

977. Advenit Mercurius patris imperio obediens. Properantes servos imitatur, qui sæpe in comœdiis (v. 980) quidquid obstiterit se deturbaturos minantur, ut Capt. 783 sqq. Curc. 280 sqq. Merc. 113 sqq. Stich. 285 sqq. Properantiumque more iambicis octonariis utitur usque ad v. 998. — 978. *fuat*, i. e. sit, vid. Non. p. 111. Post *qui* hiatus in monosyllabo ferendus, quamquam eius tollendi causa Fl. „nunc" addit post „quisquam", Usener (Ind. schol. Gryphisw. 1866, p. 17) „quispiam" pro „quisquam" proponit. — 979. *mihi . . . deo*, i. e. qui deus sum.

— 981. *nauem saluam*, ut Stich. l. l., *irati aduentum senis*, ut Mostel. 341 sqq. — 982. *huc me adfero*, cf. Verg. Æn. III, 345. VIII, 477. — 984. *eius dicto imperio sum audiens*, i. e. eius imperio dicto audiens sum, vid. ad 290. — 985. *item* pro *itidem* Lindem. versu suadente. — 986. *supparasitor*, cf. 511, unde librarius cod. B etiam h. l. futurum scripsit. — 988. *Amat, sapit*, i. e. quod amat, sapienter facit; cf. Men. 778: „At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo. SC. Sane sapit“. — 989. Omnes homines ait animo suo obsequi oportere, modo ne mala ratione fiat. — 991. In posteriore versus parte syllaba excidit; Both. „aspectantibus“, Fl. „inspectantibus“ ed.; possis etiam: „ac nobis spectantibus“, cf. 278. — 992. *coronam*, qua utebantur in conviviis; cf. Men. 453. Pseud. 1285. al. — 993. *illuc sursum*, in solarium aut tectum, v. 1001. Post *escendero* hiatus in diæresi. — Pro *scispellam*, quod nihil est, iam in cod. Brit. *aspellam* emendatum est; cf. Capt. 513. — 994. *madidus;* matulam capiti eius infundet, v. 1031. Ludit autem in usu vocabuli, quod plerumque de ebriis dicitur. — 995. *illi sufferet suus seruos poenas*, i. e. proprius eius servus ei pœnas dabit. — 996. *Quid id mea* sc. refert. *id* addiderunt edd. — 997. *esse* Fleckeisen addidit præeunte Hermanno, nec puto abesse posse, quoniam *morigerum* adiectivum est, non participium, ut *mortuum* v. 1011. Nec Asin. 67 similis est. Ferrem: „Meo me æquom esse morigerum patri“. — 999—1001 senarii sunt. Mutati metri nulla causa est; præterea hi versus prorsus idem dicunt ac v. 992—94; quare cum Müllero non dubito, quin spurii sint. — 1000. *potius* codd.; *potis* em. Lipsius, cf. supra 813. — 1001. *susum* pro *sursum* h. l. codd. Vulgaris hæc sermonis forma fuisse videtur, v. Ritsch. Proleg. Trinum. p. CIV, Lachm. ad Lucret. III, 44. — *ascendam* codd., Fl. „escendam“.

1002. Septenariis trochaicis loquitur Amphitryo eique postea respondit Mercurius. — *Naucratem quem.* Nomen, quod proprie ad demonstrativam sententiam pertinet, anteposita relativa sententia relativi pronominis casum sequitur. Attractio in vulgari sermone satis frequens, maxime accusativo casu, v. Bacch. 928:

„has tabellas obsignatas consignatas quas fero, non sunt tabellæ“. Capt. 1. 110 sq.: „istos captiuos duos quos emi, his indito catenas“. Curc. 419: „istum quem quaeris, ego sum“. Epid. 440. Men. 308: „Nummum illum quem mihi dudum pollicitus's dare, [sc. eo] Iubeas porculum adferri tibi“. Pœn. 647: „hunc chlamydatum quem uides, ei Mars iratust“. Rud. 1065: „illum quem dudum lenonem extrusisti, eius hic uidulum“. Trin. 985: „illum quem ementitus's, is ego sum“. Terent. Eun. 653: „eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!“ Heaut. 724: „Decem minas quas mihi dare pollicitus est“. Verg. Æn. I, 573. Pompeius apud Cicer. ad Attic. VIII, 12 A, 4: „Arma quæ missuri eratis, iis“. Sed etiam nominativo casu, ut Curc. 296: „isti qui ludunt in uia, omnis subdam sub solum“. Pseud. 723: „seruos qui hunc ferebat, ei os sublevi“. Pœn. 772: „Hi qui illum dudum conciliauerunt mihi, nunc his cerebrum uritur“. Trin. 137: „ille qui mandauit, exturbasti ex aedibus“. (Terent. Heaut. 604 non affero; ibi enim *eaque* scribendum). Cato apud Gellium III, 7, 19: „Leonides Laco qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius uirtutes etc.“ Aliisque casibus, ut Trucul. 733: „illis quibus invidetur, ii rem habent“. Aul. 563: „te reddam madidum, tibi quoi decretumst bibere aquam“. Cistel. 63: „Indidem unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem“. Plura vid. apud Holtzium, Syntax. I, p. 387 sqq. Kiessling, Mus. Rhen. XIII, 423. — 1003. *Neque domi*, sc. suæ erat. — 1004 sqq. *perreptaui*, cf. Ter. Ad. 715: „Perreptaui usque omne oppidum“. Enumerantur loci aut publici aut omnibus patentes, ubi homines vel agentes aliquid vel nihil agentes tantum confabulandi et audiendi causa degere solebant. Cf. Epid. 194 sq.: „Periphanem, per omnem urbem quem sum defessus quærere, Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro, Per myropolia et lanienas circumque argentarias“. Quod *gymnasia* plurali numero dicit, constat in maioribus urbibus sæpe plura gymnasia fuisse, velut Athenis quinque. *Myropolia*, unguentariorum tabernas, ut *medicinas* medicorum (Epid. 195. Men. 971) et *tonstrinas* tonsorum vulgo patuisse et otiosorum hominum plenas fuisse sæpe legimus, ut apud Lys. de Invalido 20: *ἕκαστος γὰρ ὑμῶν εἴθισται προσφοιτᾶν ὁ μὲν πρὸς μυροπωλεῖον ὁ δὲ πρὸς κουρεῖον ὁ δὲ πρὸς σκυ-*

τοτομεῖον ὁ δ' ὅποι ἂν τύχῃ etc. Demosth. Aristogit. I, 52. Theophr. Char. 11 extr. cum annot. nostra. Plaut. Asin. 340: „in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier". Hor. Sat. I, 7, 3: „Omnibus et lippis notum et tonsoribus". — 1005. *apud emporium*, ut proximo versu *apud omnis aedis sacras*, cf. supra 593. — Post *macello* hiatus in cæsura. — 1006. Post hunc versum vulgo plene interpungunt; male; quæritavit apud emporium etc. — 1008. Post *uxore* hiatus in cæsura; Fl. „mea" addebat, Müller „omnem" post „rem". — 1009. *quem propter*, cf. Trucul. 390: „adsimulasse me esse praegnatem haud nego. D. Quem propter, o mea uita? PH. Propter militem Babyloniensem". Quem locum restituit Buggius in Annal. phil. CVII, p. 409. — 1011. *Mortuum satiust* sc. esse, cf. Casin. 112: „Hercle me suspendio, Quam tu eius potior fias, satiust mortuum". Trucul. 913: „Mortuum hercle med est satius". — *Sed aedis occluserunt.* Ianuæ interdiu apertæ esse solebant, vid. Most. 436: „Sed quid hoc? occlusa ianuast interdius". Stich. 308: „Quid hoc? occlusam ianuam uideo". — *Eugepae* interiectio cum gaudio admirantis, ut Capt. 273. Rud. 171, hoc loco ironice ponitur, cf. Capt. 815. — 1012. *atque ut*, cf. supra ad 270. — *feriam*, pultabo, ut est Most. 437. — 1013. *ecquis hoc aperit ostium?* cf. Bacch. 577. Capt. 822.

1014. *Quid? ego sum?* Lindem. et Fl. ex malis codd. *Quis ego sum?* perperam; cf. Trucul. 256: „Ego sum, respice ad me. ST. Quid? ego? A. Nonne ego uideor tibi?" Bacch. 111: „Huc. LY. Quid? huc?" 145: „caue malo. LY. Quid? caue malo?" Capt. 999: „Salue, exoptate gnate mi. TY. Hem, quid? gnate mi?" alia, quæ affert Müller p. 176 sq. — 1015. „Qui fecerant, quod iis exitiosum esse posset, a diis iratis putabantur instigati ad facinus, quo ad exitium dederentur". Schmieder. — 1016. *Quo modo*, cf. 552. — *aetatem*, per totam vitam, cf. Asin. 272. 282. Curc. 553. Men. 707. Pseud. 515. Ter. Eun. 734. — 1017. *oblitum*, sc. me esse Sosiam. Lindemanno *mei me* sententia flagitare videbatur, iniuria. — 1018. *sceleste*, vid. ad Asin. 473. Pro *at* fieri potest ut *an* scribendum sit. — 1020. „An tu" inquit „si fores fractæ essent, eas non nostra

impensa sed publico sumptu restitui putabas?" — 1022. *ulmi* sunt virgæ, quibus plectebantur servi, v. Asin. 338. 360. Rud. 636. Pers. 279. al.; *Acheruns* autem apud Plautum inferorum locus est, Orci regnum, v. 1094. Capt. 682. 991. Cas. 425. Most. 490. Pœn. 341. Trin. 494. *Ulmorum Acheruns* est locus, ubi ulmi mortui sunt vel moriuntur; significatur autem tergum servi, in quo verberando virgæ conficientur et peribunt; cf. Capt. 643: „Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo". — 1023. *faciam feruentem flagris*, ita flagris caldum, ut ferveat. — 1024 sq. Qui prodigi in adulescentia fuerunt, mendicare in senectute solent. Vulgo dicitur „malum sibi quærere", hic scurrili exaggeratione *mendicare* dicitur. — *Quidum?* cf. Most. 1089. Mil. 327. Pseud. 336. 338. — *senecta aetate*, cf. Aul. 247. Cas. 220. 237. Trin. 43. Etiam Sallustius Fr. inc. 80. Lucr. V, 886. 896; „senecta membra" Lucret. III, 772. Participium esse docet Priscian. XI, 27 extr. Dicebant tamen etiam „aetate iuuenta", Corp. Inscr. Lat. n. 1202. — Post *aetate* hiatus in diæresi; Fl. „in aetate" scribebat, Müller „a me nunc". — 1027. *tibi* ultima producta legendum; Fl. „nunc tibi", quod per incuriam etiam in nostram editionem translatum est. — Mercurius se eum *infortunio mactare* dicit, i. e. nihil omnino curare, cf. Bacch. 360: „Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio". Curc. 536: „Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio". Pœn. 520: „divitem audacter solemus mactare infortunio". Trin. 993: „Ego ob hanc operam argentum accepi; te macto infortunio". Sed vernili scurrilitate hoc primum per imaginem atque adeo per ænigma pronuntiat. Nam quum antiqui non solum hostias mactare dicerent, sed etiam Deos mactare honoribus aut sacrificiis (Cicero saltem in Vatin. 6, 14: „quum puerorum extis deos manes mactare soleas") hac significatione arrepta dicit se eum sacris mactaturum vel ei sacrificaturum. — *Qui?* i. e. quomodo?

Post hunc versum in codice nostrorum archetypo folia quædam exciderant. Huic defectui succurrere conatus vir quidam doctus sæculi XV exeuntis, Hermolaus Barbarus, ut videtur (v. Hoffmann, de Plautinæ Amphitruonis exemplari et fragmentis, p. 24 sq. Ritsch. Opusc. II, p. 48), scenas quasdam composuit, quæ in editione Veneta Scutarii a. 1495 proferuntur. Has quum

Saracenus eiecisset, denuo recepit Pius (Mediol. 1500) paulum immutatas et insertis quattuor versibus e Nonio desumptis. Quæ res tantæ editoribus fraudi fuit, ut ad nostrum sæculum omnes supposita illa retinerent. Mirandum profecto est Niebuhrii et Lindemanni acumine opus fuisse, ut pro spuriis damnarentur, quæ hodie nemo non videt audacter magis quam bene et eleganter suppleta esse. Sed qui apud Nonium et Priscianum ex Amphitryone Plauti afferuntur versus in codicibus nostris non inventi, ii ad hanc fabulæ partem pertinuisse videntur. Quæ si cum iis, quæ in reliquis fabulæ partibus significantur, comparaverimus, qualia interciderint, aliquatenus suspicari licebit.

Periit primum extrema pars colloquii Mercurii et Amphitryonis, qua deus miserum hominem ludibrio habitum ab ædibus abigit (v. 972 sq. 991) matula in caput eius infusa (v. 994 et 1031). Periit proxima scena, qua, postquam abiit Mercurius, Sosia arcessito Blepharone gubernatore (v. 961) advenit, Amphitryo autem eundem esse credens, qui se nuper ab ædibus suis abegerit, et verbis increpat et minis verberibusque coercet (v. 995 sq. et 1032 sq.). Tum strepitu ante ianuam audito Alcmena prodisse videtur, in quam Amphitryo et quæstionem instituit acerrimam (v. 1008 sq.) et maledicta ingerit (Argum. II, 6); illa vero primum placide respondet, deinde quasi ab insano homine discedit (v. 1044). Tandem Iuppiter ipse, quo turbas ad extremum augeat, Amphitryonis personam gerens ex ædibus exit. Quem quum maritus pro mœcho corripere studet, ipse eum eodem nomine arripit (Arg. II, 7) colloque obstricto trahit (946. 1045), Blepharo autem arbiter captus, uter verus sit Amphitryo, dignoscere non potest, ridiculeque delusus abit (Arg. II, 7 sq. 945. 1051).

1028. Versum corruptum sic Pylades correxit: „Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo; exi foras, mastigia“; recte, quod „te“ addidit et „cruciatu“ scripsit, sed „At“ relinquendum erat. *certo* parum placet; delendum censeo. *exuo* nihil est. „Exi foras“ non displiceret, si versus pateretur; saltem melius est, quam quod Hoffm. p. 50 commendat „exito“, nam futurum imperativi hic locum non habet. Sed corruptum verbum, quamvis unde ortum sit non appareat, delere malo; quo facto

versus constitui potest tam accurate ad v. 1027 respondens, ut nihil inter eos excidisse videatur. — 1029. *est* addidi cum Hoffm. p. 51 versus causa. Mercurii verba sunt Amphitryonem ludentis, quasi pro advena eum habeat Amphitryonem quærente, atque adeo pro mendico aut parasito importuno Amphitryonis domum invasuro. Respondet igitur herum occupatum esse advenamque abire iubet, quod nisi propere facessat, (v. 1030) iure ei fore, quod parasitis fieri soleat, ut olla cineris plena in caput ei iniiciatur. Cf. Capt. 89: „qui colaphos perpeti potis parasitus frangique aulas in caput". Curcul. 396: „An aula quassa cum cinere effossus siet (sc. oculus)". — Manente vero Amphitryone a minis ad res progreditur, matulamque aquæ plenam ei in caput infundit. Edunt omnes *matulam unam tibi aquae*, versusque causa aut „acuæ" aut „aquai" legendum esse docent aut „matellam" scribendum; et *unam* quidem propria vi destitutum, quamvis non placeat, tamen non prorsus negaverim ferri posse, vid. Aul. 561; sed quomodo quisquam sibi velle aut postulare possit, ut matula in caput infundatur, non intelligo. Equidem non dubito, quin hæc separari debeant, ut post v. „postules" interpungatur, eiusque obiectum in antecedentibus aut positum esse aut inde audiri censeo. *aquam*, quod omnes codd. habent, retineo, *matula* ex Parisino Quicherati adscisco; *iam iam* et *infundo* de mea coniectura scribo.

Postquam abiit Mercurius, aliqua secum locutus esse videtur Amphitryo. Deinde Sosiam cum Blepharone advenientem propter flagitia nuper a Mercurio commissa vehementer increpat. — 1032. *Quid minitabas*, in deperdita superioris scenæ parte. De activa verbi forma cf. ad Capt. 736. — 1033. Amphitryo servo pœnæ causa ingens opus imponit. „duplos sexagenos" nihil est; secutus sum emendationem Herzii. — 1034. Verberatum esse Sosiam ab hero novimus ex v. 995. Blepharoni pro eo deprecanti hæc respondit Amphitryo. Sed sermonem interrumpit crepitus ostii, exeunte Alcmena. Qua animadversa Amphitryo Blepharonem aut fortasse Blepharo Amphitryonem tacere iubet (v. 1035): *Animam comprime.* Hæc enim Nonius male

intellexit, nec fieri potest, ut pro animo ponatur anima. Animam comprimere est spiritum retinere, v. Terent. Phorm. 868: „Animam conpressi, aurem admoui". — 1036. Amphitryonis verba sunt Alcmenam conspicientis. *Cuiusque* corruptum est. Bothii coni. „quisquam pro quæquam" prorsus improbanda est. Gulielmus volebat: „Cuique med absente corpus uxor uolgavit suum", quod ita probat Hoffm. p. 53, ut „Cui usque med absente" scribat, quæ non intelligo. Mihi certum videtur, non *que* sed *quae* legendum esse. Quid antecesserit, obscurum est; fortasse: „[Eccam video,] quæ me absente etc."

Proxima quattuor fragmenta senariis, ut videtur, composita ad colloquium vel convicium Alcmenæ et Amphitryonis pertinuisse censeo. Quo ordine se exceperint, prorsus incertum est. — 1037 sq. Hoc fragmentum Acidalius adsumpto etiam v. 1049 sic constituit:

Quæse aduenienté morbo nunc medicum tibi;
Enim tu certe aut laruatus aut cerritus es.
Edepol hominem te miserum! medicum quærita.

Sed extremus versus, si ad Nonii verba accurate attendimus, potius alius scenæ est, saltem cum antecedentibus coniungi non debet. *Quaese* verum videtur, i. e. quære, antiqua forma, qua usus est Plautus Bacch. 175: „Mirumst me ut redeam te tanto opere quaesere" et Lucret. V, 1227: „prece quæsit Ventorum pavidus paces". Postrema versus pars incerta est. Both. mire coni. „Quaese aduenienti morbo ius medicabile". Hoffm. p. 34: „aduenienti morbo medicatum tibi"; equidem malebam „medicamen tibi". Quicherat: „Quæse aduenienti morbo medicari Iovem". Mox „Enim", quod proposuit Acidalius, per se aptissimum est; sed quoniam ceteri versus senarii videntur, hic quoque a voc. „Tu" incipiendus est. Dubitari potest, utrum „laruatu's" legendum sit, an „cerritus es". — *laruatus* v. 670; *cerritus* 769.

1039. *Exiurauisti*, v. 924 sq. Errat Nonius, quod præpositioni intendendi vim tribuit; potius negativa vis est eius; eiurare est iurando amovere. — 1040. Antiquos Latinos *nobis praesente* dixisse pro „nobis præsentibus", quamvis primo adspectu

parum credibile videatur, tamen consensus grammaticorum negari non patitur, v. Priscian. II, p. 304 H., qui affert Ter. Eun. 649: „Nescio quid profecto absente nobis turbatumst domi". Ad quem locum Donatus: „Pomponius: Sine ergo istuc, praesente amicis, inter cenam. Varro in Marcellum: Id praesente legatis omnibus exercitu pronuntiat". Nonius l. l. ex Afranio affert: „si hic (codd. hac) absente nobis uenierit puer." Apud eundem legitur p. 154: „Præsente, coram vel præsentibus. Pomponius Syris: Quidam apud forum praesente testibus mihi uendidit. Attius Menalippa: Est res aliqua quam (codd. quæ) praesente his prius maturare institit. Fenestella Annalium lib. II: et quædam exta (codd. extra) præsente suis, quædam absente porrecisse (codd. proiecissem). Novius Mania medica: Te uolumus donare dono pulchro præsente omnibus". — Quod sequitur, *aliquis quisquam*, nihil est; scripsi *alius*. Deinde numerorum ratio ostendere videtur extremam versus partem omissam esse. Olim conieceram: „hic adfuit"; sed imperfectum requiritur, quare præferendum est supplementum, quod mecum amicissime communicavit V. D. Studemund. „præsto erat".

1043. Pareus puncto posito post „dico" ed.: „Uerum qui insimulas probri?" Gronovius: „Uerum qui insimulet probri?" Utrumque infeliciter. Recte Mercerius: „Non causam dico quin insimules"; sic enim loquebantur, vid. 846. Sed. voc. *uerum* illo loco, quo in codd. est, ferri non potest; quare Hoffm. p. 42 traiecto vocabulo: „Non causam dico quin uerum i. p." collato v. 852: „me insimulare falsum facinus tam malum"; mihi voc. corruptum videtur, eiusque loco scripserim *iure;* sed præterea fatendum obiectum ægre desiderari; quare aut „me" (med) scribendum, aut cum Hoffm. *insimuler*. Nuper Quicherat: „Non causam dico, uir, quin insimules probri." — 1044. Hæc quo pertineant, incertum est. Hoffm. p. 46 suspicatus est Alcmenam, ut supra v. 922 sq., sic hic quoque dixisse se domum mariti relicturam esse, Amphitryonem autem his verbis respondere, se eam non morari.

Tria quæ sequuntur fragmenta pertinent ad scenam quam maxime motoriam, qua Iuppiter et Amphitryo cum summo convicio

et tumultu alter alterum pro mœcho aggreditur. Tertium fragmentum (v. 1048) utrum recte hunc locum obtineat, an duobus alteris anteponendum sit, decernere non audeo. Septenariis trochaicis omnia scripta sunt. — 1045. *furem* Nonius, qui contextum nosse poterat, mœchum intelligit. — *Manifestum flagiti*, i. e. flagitii convictum, in flagitio deprensum; cf. Sall. Cat 52, 36: „de manifestis rerum capitalium". Iug. 35, 8: „manifestus tanti sceleris". Tacit. al. Quare etiam apud Plaut. Trucul. 133: „Manifestam mendaci, mala, teneo te" scribo cum ceteris codd., non cum A „manifesto", et Bacch. 691 cum Gulielmo „quem mendaci prendit manifestum", ubi codd. „manifesto"; nam *tenere* et *prehendere* cum tali genetivo apud antiquiores iungi non videntur. Criminis nomine non addito „manifesto" dicitur Casin. 216. 484. Men. 549. Merc. 720. Pseud. 752. Nec tamen ideo correxerim Men. 581: „Nec magis manifestum ego hominem ullum teneri uidi". — 1047. *impediuit*, i. e. implicauit. *thensaurum stupri*, i. e. stupri copiam, ut Nonius, stupri fontem, ut Hoffm.; etenim stupro quam maxime plenum et contaminatum mœchum appellat in sua domo deprehensum.

1049. Hoc fragmentum, quod edd. vulgo cum v. 1037 sq. coniungunt, inde separandum esse iam vidimus. Blepharonis verba esse arbitror Amphitryonem delirare censentis. Fuit quum putarem ad eam scenam referenda esse, qua Amphitryo Sosiam propter contumelias sibi a Mercurio illatas increpat; sed illam scenam Alcmenæ cum marito colloquio anteriorem fuisse puto, non posteriorem, eam autem, quo hic versus pertinet, ex Nonio novimus posteriorem fuisse. Quare potius crediderim hic Blepharonem tumultuanti Amphitryoni hæc dixisse. *quaeritat* codd., quod si verum sit, significet „desiderat"; sed quia talis significationis nulla exempla suppetunt, malui cum Acidalio *quaerita* scribere, vid. ad 1037. — 1050. Blepharo arbiter captus, uter verus Amphitryo sit, decernere non potest, v. Arg. II, 8; Amphitryo hoc indigne fert. *nostrorum*, vid. v. 4.

1051 sq. ad Blepharonis responsum pertinent; unus tamen minimum versus deesse videtur, nam v. 1051 quasi pro parenthesi additur, et quo *Neque* referatur desideramus. Plana res sit, si versui 1051 talem versum præcessisse statuamus: „Nolo

ego turbis implicari, quæ extricari nequeant". — *isthaec* in cod. Brit. aliisque recentioribus additur, nec aut grammaticæ aut metri ratio abesse patitur. Sensum recte Lambinus explicuit: „Vos inter vos istam controversiam decidite ac dirimite"; quamquam simile nullum suppetit exemplum. *partite* codd. præter B. De activa forma v. Asin. 269. „Uos inter" pro dactylo legendum; Fl. ed.: „Uos ista inter uos". — 1052. *tanta mira*, cf. 1073. 1121. Casin. 600. — 1053. *aduocatus*, ut in iudicio. — 1054. *qui* pro *quin* olim emendatum. In cod. D legitur „opus *est med* aduocato", unde Fl. et Ritsch. Neue Excurse I, p. 24 Hermanni coniecturam probant: „Quid opus est med aduocato, qui me utri sim nescio". — 1056. *ago* add. ed. pr. Post *quem* hiatur, nisi forte graviore medicina utendum est; nec displicet coniectura Spengelii (Plaut. p. 41): „Quid ago, quem aduocati iam *aeque* atque amici deserunt?" cum hiatu in cæsura. Müller cum Camer. „iam omnes". — 1057. em. iam ed. pr. — 1058. *Nam iam* codd., sed abundat syllaba; Both. transponebat: „ducam me" et delebat „st" post „facta". Lindem. „Nam" delebat, quem in hac quidem re secuti sumus. — *me ducam*, i. e. me conferam, cf. Aul. 698: „ego me deorsum duco de arbore". Bacch. 588: „duc te ab aedibus". Terent. Hec. 522: „duxit se foras". Pollio ad Cicer. Fam. X, 32, 1: „Balbus . . . duxit se a Gadibus". — 1059. „*Thessali* veneficio artibusque magicis erant infames" Schmieder; cf. Hor. Od. I, 27, 21 cum comment. — 1060. *peruorse perturbauit*, i. e. ita ut pervorsa fieret. Lindem. comparavit „assimilare similiter, cursim currere, madide madere, nitide nitere, sapienter sapere, valide valere, et multa id genus alia, in quibus et paregmenon est et comici sermonis abundantia". — 1063. *ignorant*. Nec Alcmena nec Sosia nec Blepharo eum a personato Amphitryone dignoscere potuerant. — 1064. *in aedis* Camer. em., necessario, quamquam idem error obtinet codd. v. 1068 et Aul. 543. — *ubi quemque*, cf. 1079. Asin. 936. Capt. 497: „Ubi quisque uident, eunt obuiam". Pœn. 106: „Ubi quamque in urbem est ingressus". cf. „ut quisque" As. 244. — 1065. Versus causa Fl. duobus posterioribus locis *si* pro *siue* . . . *seu* scripsit, quem secutus sum. Apud Plautum non raro pro *siue* . . . *siue* ponitur *si* . . . *siue*, v. Curc. 4. Cist. 172. Merc. 302. 983. Rud. 776.

Stich. 420. Trin. 183. Trucul. 819. — 1066. *Seu . . . siue;* Fl. hic quoque *Si . . . si*, fortasse recte; sed fieri potest, ut primus pes pro dactylo legendus sit. — Post *uidebo* hiatur in cæsura; Fl. *eum* addebat. — 1067. *me . . . id prohibebunt*, cf. Pseud. 13: „Id te Iuppiter prohibessit". Madv. Gr. Lat. 229, 2. — 1068. *in aedis* Camerar. em., cf. 1064.

Amphitryonem in ædes irrumpere conantem tonitrus Iovis impedit tanto fragore editus, ut attonitus ante fores concidat (v. 1079. 89. 93). Exit Bromia ancilla perturbato et tumultuanti animo horrenda illa miracula, quæ intus vidit et audivit, narrans. Loquitur autem, ut properantem decet, volubili octonariorum iambicorum metro. — 1069. *Spes atque opes uitae*, i. e. vires, quibus vita sustentari debebat, animus, in pectore *sepultae*, i. e. extinctae sunt, cf. 1090. Terent. Phorm. 943: „Sepultus sum". Cic. Cat. IV, 6, 11: „sepulta in patria". — 1070. *Confidentia* est fiducia, ut ait Nonius p. 262; cf. Cœl. ad Cic. Fam. VIII, 8, 9: „Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animaduersa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus". Nam quod Cicero Tuscul. III, 7, 14 „confidens" ait „mala consuetudine loquendi in vitio ponitur", id plerumque fit, non semper. — *iam in corde* B; edd. quidam „meo" addiderunt, quo retento Fl. „iam" omisit; nihil mutandum videtur, nam brevis syllaba ante diæresin lege permittitur, v. Prol. p. 185. — 1071. *consequi* codd., quod alii „in unum convenire", alii „me consequi", alii „in orbem rapi" interpretantur, quorum nihil ferri potest. Requiritur significatio rerum omnium mixtarum et confusarum, quare *concoqui* scripsi. — 1072. *enicer* olim emendatum. — 1074. *Animo male est*, animus deficit, cf. 717. Epid. 201. Pseud. 957. Rud. 510. — *Aquam uelim;* cf. Curc. 312: „Animo male est. PH. Vin aquam?" Mil. 1323 sq.: „Animo male factumst huic repente miseræ. PY. Currite intro, adferte aquam". Truc. 364 sq.: „animo male est. PH. Mane; aliquid fiet; ne abi. DI. Ah! aspersisti aquam". Bacch. 243. — *corrupta*, fracta. Fl. „corrumpta" scripsit παρηχήσεως causa; sed talia inventa animadvertimus, de nostro inferre non decet. — 1076. *uideatur*,

i. e. conspiciatur, inveniatur, quamvis quæratur; potentialis quidam coniunctivus est (Madv. Gr. Lat. 350), quasi: miseriorem haud facile quisquam inveniat v. invenerit. Cf. Aulul. 560: „Non potem ego quidem". Ad *magis* aut „misera" audiendum, aut simpliciter cum „miserior" iungendum, cf. ad 297. Quod V. D. apud Loman. Spec. p. 13 coniecit: „Nec me miserior femina, Neque illa uideatur magis", illam Alcmenam intelligens, ea profecto non est misera sed omnium felicissima. — 1077. *ubi parturit, deos sibi inuocat* codd. corrupte, non solum quia numeris carent, sed etiam quia apodosis non id continere debet, quod sponte sequitur, sed ea, quæ proximo versu legimus. Both. coni.: „ubi *partuis* deos sibi inuocat", in quibus non equidem cum Lindemanno „deam" requiro (sc. Lucinam, vid. Aul. 682), sed loquendi genus improbo a philosophis deorum vim et nomina explicantibus petitum. Lindem. scribit: „ubi parturit, deos *ubi* uocat". Sed in tali anaphora particula in utraque sententia primum locum tenere debet. Plautus sine dubio planius locutus est, velut: „ubi parturiens deos sibi uocat" aut: „ubi parturit deos*que* inuocat"; quod reponere ausus sum. Sed proximæ sententiæ quæritur quod verbum sit; nam si codd. sequimur, quibuscum consentit Nonius p. 227 („*Tonitrus* positum pro tonitru. Plautus etc."), non sine magna offensione verbum omissum est. Accedit numerorum vitium, quos deleto demum primo „ut" Hermanno auctore Fl. in anapæsticum octonarium redegit. Mihi aut *strepit* pro „strepitus" scribendum videtur aut, quo tolerabiliores fiunt numeri, *tonit* pro tonitrus. Tertiæ etiam coniugationis hoc verbum esse posse testatur malus rei interpres Nonius p. 49: „Tonimus positum sonamus cum modo, a tono. Varro Eumenidibus: Tibi tympana non inani sonitu Matris deum tonimus". Ad sensum, non ad structuram, conferri potest Pacuvii fragmentum apud Ribb. v. 335 sq.: „armamentum stridor, Strepitus, fremitus, clamor, tonitruum et rudentum sibilus." — 1079. *crepitu* cum Lindemanno credo ex superiore versu male repetitum esse. Hoc deleto multo iucundiores fiunt numeri, retento posterior versus pars a proceleusmatico incipit. — 1080 et 81 trochaici septenarii sunt iambicis octonariis interpositi, cf. Proleg. p. 186. — 1083. Hic versus iambicus tetra-

meter hypermeter est, proximus autem trochaicus septenarius, i. e. continuatur idem systema iambicum, divisoque voc. *confulgebant* duo octonarii fiunt, v. Prol. p. 186. Non opus igitur, ut cum Müllero „Ibi tum“ scribamus. — *Ut iacui*, i. e. „quæ quo eram prolapsa immota iacueram“, Schmieder. — 1084. *iam* cod. B; eodemque spectare videtur corrupta Nonii scriptura „tam“. Sed illa particula a loci sententia alienissima est, nec enim tum demum timere cœpit, quum vocem Alcmenæ audisset. *ita* cett. codd., quo significari videtur, ancillam audita dominæ voce tanto timore affectam esse, ut abiecto eo, quo correpta fuerat, stupore nec ardorem ædium curans ei subveniret; sed multo commodius hæc sententia abesset. — 1085. *Erilis metus* est metus heræ vel pro hera. „*Praeuortit*“ ait Nonius p. 362 „revocat. Plautus Amphitryone: ibi me inclamar argumentum ea res me horrore affit, Erilis praeuertit metus, accurro ut sciam quid uelit“, ubi et Plauti verba admodum corrupta affert et verbum male enarrat. Est enim „prævaluit“, cf. Liv. VIII, 16, 8: „quarum (turrium) usum forte oblata opportunitas prævertit“. — *ut sciscam*, cf. Bacch. 298: „ut illi id factum scisceren“. — 1087. *Neque nostrum quisquam sensimus*, cf. 1115. Men. 774: „Ut caueres, neuter ad me iretis cum querimonia“. 768: „Loquere, uter meruistis culpam“. 1097: „Uter eratis, tune an ille maior?“

1088. Interrumpitur octonariorum continuitas nova incipiente sententiarum serie. Huius principium facit dimeter trochaicus catalecticus; tum continuantur octonarii iambici. — 1090. *sepultust*, cf. 1069. — 1091. *cognoscam* olim emendatum. Pro antecedenti *et* Fl. „ut“, ut supra 287. Sed etiam copulativam particulam ferri posse ostendunt loci, ubi *atque* legitur, v. 456. 1008. Asin. 293. Aul. 649. Val. Max. IV, 5, 5: „ite et istud officium præstate victori“. — *est* addi debere olim intellectum est; h. l. posuit Fl. — 1093. *Tua Bromia ancilla*. Hoc ordine solebant Romani, cf. Bacch. 342 et 823: „meus Mnesilochus filius“. Capt. 867: „tuum Stalagmum seruom“. Cas. 711: „nostro Olympioni uillico“. Cist. 374: „mei Lampadisci serui“. Pœn. 170: tuus Collabiscus uillicus“. Ex Cicerone Madvig. Opusc. I, p. 170 attulit Cluent. 8, 25: „eius Lucium

filium". Arch. 3, 6: „eius Pio filio". Brut. 26, 98: „cuius Caio filio". add. Nat. deor. III, 15, 39. — Post *timeo* hiatus. Lindem. „contremo", quia in Palatinis codd. est „tremo"; cod. Brit. „teneo". Vulgo „Timeo totus". — *increpuit*, tonitrus enim quasi irati Iovis vox est. — 1094. *quasi*, i. e. quam si, v. Aul. 226: „magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem". Curc. 51: „tam a me pudica est, quasi soror mea sit". Mil. 484: „nec erile negotium plus curat, quasi non seruitutem seruiat". (Trin. 265 codd. „quam si" habent".) Sed quum *quasi* frequenti usu iam pro uno vocabulo esset, factum est, ut alterum *si* addi posset, id quod sæpius fit post *nisi*, cf. Asin. 831: „quasi dies si dicta sit". Casin. 46: „quasi si esset ex se nata, non multo secus", ubi A: „quasi esset". Lucret. IV, 1007: „quasi si iugulentur ibidem". — *Acheruns* v. 1022; de prosodia Prol. 208. — 1095. *Eadem*, quæ te perculit. — 1096. *in aedibus tu ubi habitas;* sic. B. Eadem verba v. 693 (nisi quod „ubi tu"). Fleckeis. utroque loco *ubi tute* scripsit, ad sensum prave, metri causa vix necessario. Vulgo ante hunc versum plene interpungunt; ego hæc cum antecedentibus coniungo. — *Nimia mira* v. 610. — 1097. Si versus recte traditus est, hiatur post *Amphitruo*. Lindem. „ita meus mi animus" scribebat, Müller „Ere Amphitruo". — *expedi*, i. e. dic plane et propere, cf. Pœn. 1027. 1114. 1200. Pers. 216. 639. Stich. 364. Trucul. 777. Ter. Phorm. 197. al. — 1098. *Uide etiam nunc*, considera iterum.

1102. Transit oratio in septenarios trochaicos. Fl. „uti" scribebat hiatus vitandi causa, qui, si versus recte traditus est, invenitur aut ante *ut* aut post *tuam*, ut voluit Spengel p. 204, aut ante *uxorem*. Koch in Annal. philol. C, p. 285 (iterum in Philologo XXXIII, p. 704) *uoxorem* scribendum censet, quæ forma extat in cod. B. Trin. 800 et Trucul. 512, quo quidem loco propter metrum ferri nequit („Mars peregre aduenìens salutat Nerienem uxorem suam"); ea forma adhibita tolli posse hiatum infra v. 1122. Asin. 84. 885. Cist. 329. Men. 943. Rud. 1046. Addit etiam Mil. 928. Merc. 577. Trin. 375. Magnopere cavendum, ne librariorum errores pro antiquitatis vestigiis habeamus. — 1103. *De ea re*, i. e. quod attinet ad eam rem, vid. ad Cistel. 85. — 1105. *Di me seruant*. In re læta et inopinata

vulgo exclamatur „Di me seruatum volunt" aut „cupiunt", v. Aul. 667. Cas. 763. Epid. 634. Men. 1198. Pseud. 910. Pœn. 920. Rud. 1164. Trin. 1076. Sed h. l. Amphitryo, cui pudicitia uxoris suspecta erat, ironice hoc dicit, ut „tanto melior" Bacch. 207. — 1108. *Ibi* B, *ubi* ceteri codd. recte. Post *puerperae* vulgo interpungunt, quasi sit dativus singularis; immo cum sequentibus iungendum est, et est nom. plur.; puerperæ solent deos invocare, cf. 1077. — 1110. *manibus puris*, i. e. lautis, cf. Aulul. 569, alia apud Marquardt. Enchir. Antiq. Rom. IV, p. 464. — *capite operto* Romani deos adorabant, ut Græci nudo; vid. Plutarch. Quæst. Rom. 10. Plaut. Curc. 389. alia ap. Marquardt. l. l. p. 466. — Post *operto* hiatus in cæsura. — 1113. *absoluito*, conferto in pauca, quæ narrare cœpisti, noli me diutius tenere; cf. Most. 827: „Omnino, ut te absoluam, nullam pictam conspicio hic auem". Men. 769. Epid. 462: „te absoluam breui". Aul. 509. — 1115. *nostrum quisquam audiuimus*, v. 1087. — 1117. *Mitte ista*, quæ suspicaris. — *ista* pro *istaec* versus causa Lindemannus. — 1118. *lauere;* formam tertiæ coniugationis, quam metrum requirit, servavit Nonius p. 504, simul plura aliorum scriptorum exempla afferens. — 1119. *ut magnus est et multum ualet*, i. e. ut magnus et ualidus est! Cur *ut* pro *et* scribatur, nulla causa est. — 1120. *incunabula*, quibus infantes involvuntur, cf. Trucul. 892: „Fasciis opus est, puluinis, cunis, incunabulis". — 1122. Ante *uxori* hiatus, v. ad 1102. Both. „meae quin" scribebat, Müller „Non ego metuo". Ceterum *non metuo* est idem fere ac „non dubito", unde *quin* additur. — 1124. *angues iubati*. Nonius p. 191: „Angues feminino genere Plautus Amphitryone: devolant angues iubatæ in compluuium duo". Prave, quoniam sequitur non solum *duo, ambo*, sed etiam *conspicati, citi*. Tales angues alibi quoque commemorantur inter prodigia, ut Liv. XLIII, 13, 4: „in aede Fortunae anguem iubatum a compluribus visum esse". Verg. Æn. II, 206: „Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque sanguineae superant undas". Et apud Euripidem, Phœn. 820, φοινικολόφοιο δράκοντος, quem Cadmus interfecerit, mentio fit, ut appareat id genus præter ceteros formidolosum habitum esse. Plinius autem hoc totum fabulis assignat, nam XI, § 122: „dra-

conum" inquit „cristas qui viderit, non reperitur". — *Inpluuium*, locus in medio ædium, atque adeo caui ædium, sub divo relictus, vulgo notum est. Apud Plautum cf. Mil. 159. 175. 289. 342. 554. — 1125. Post *capita* hiatur. Müller suspicatur: „Ei mihi, occidi"; temere. — 1128. *recessim* olim emendatum, i. e. retro cedendo, cf. Casin. 420: „Recessim dabo me ad parietem". *rursum uorsum*, i. e. retro vorsum, cf. Epid. 245: „Coepi rursum uorsum ad illas pausillatim accedere". Capt. 649: „sursum uorsum". — 1131 et 1132. Hos uersus in codd. errore transpositos esse olim intellectum est. — *Alterum altera manu* appositum est, et postponi debebat illis „eos prehendit". Cf. ad Asin. 230. — 1134. *percipit*, cf. Men. 905: „percipit insania". Stich. 342: „quoi misero medullam uentris percepit fames". Trucul. 464: „Bene si facere incepit, eius eam nimis cito odium percipit". — 1136. *exclamat uxorem tuam*, i. e. inclamat; nec mutatione est opus, nam sic Antonius quoque apud Cicer. Philip. II, 12, 30: „M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamauit; ex quo intelligi debet eum conscium fuisse". Subiectum huius verbi sequitur in proximo versu, *Summus . . . Iuppiter*, sed antequam hoc dicatur, interlocutor impatiens interrumpit quærendo *Quis homo?* Figura Plauto perfamiliaris, cf. supra 621. 596 sq. Asin. 415. Aul. 808. 811 sq. 636. Bacch. 709. 1149. 218. Cas. 627. 366. 582. Cist. 327. Epid. 67. Most. 454. Merc. 494. 469. Pseud. 1092. 948. 1150. Pœn. 425 sqq. Terent. Heaut. 978. 981. 431. 531. 654. Eun. 754 sq. 794 sq. alia multa. — 1138. *cubitibus* emendavit Scaliger, i. e. cubando, a cubitu, cf. Cat. R. R. 5, 5: „primus cubitu surgat". Plin. H. N. XXVIII, 54: „supini cubitus oculis conducunt". — 1141. *boni dimidium diuidere*, i. e. bonum ita dividere, ut uterque dimidiam partem habeat, solita orationis abundantia cum prolepsi coniuncta, cf. supra 1060. Curcul. 209. Aulul. 758: „dimidiam tecum potius partem diuidam". — 1142. *uasa pura*, cf. 939. — 1144. Post *coniectorem* hiatus in cæsura; Müller „eadem" addebat, male. — *Tiresiam*, olim emendatum. Thebani huius vatis in fabulis nomen nobilissimum est. Eius ut *coniectoris*, i. e. ἐξηγητοῦ, consilio eget

in prodigiis procurandis diisque placandis. Sed ipsius Iovis interventus efficit, ut hac opera supersedere possit.

Advenit deus cum gravi tonitru; ipse autem sedate admodum senariis loquitur. — 1147. *et* non producitur positione. Both. et seqq. omittunt „et tuis", temere, cf. 1081. — 1150. *quom sum,* v. supra 746. — 1158. *quam ob rem* etc., i. e. cur hanc rem ei vitio verteres, omissis obiectis, quæ sponte intelliguntur, cf. ad Capt. 288. — 1160. Septenariis trochaicis solito more fabula terminatur, v. Proleg. p. 172. Extremum versum, cui Ω litteram anteposuimus, utrum ipse Amphitryo an cantor aliquis omnium histrionum nomine protulerit, ignoratur, v. Proleg. p. 173.

COMMENTARIUS

IN

ASINARIAM.

Asinariam Plautus ex Græca Demophili cuiusdam fabula Latine vertit. Græcum fabulæ nomen *Ὀνηγός* erat; Plautus ad sui temporis morem *Asinariam* appellavit (sc. fabulam), i. e. in qua de asinis agitur, venditis scilicet, vel potius de pecunia ex asinis venditis redacta, quam servorum calliditas herili filio ad amicam emendam fraudulenter comparat. Sed in hac fabula non ut in plerisque aliis filius amori deditus patrem severum defraudat; pater ipse non minus libidini deditus nec minus egens uxorem severam et pecuniosam fallere studet filiique nequitiæ et conscius et adiutor et particeps est. Argyrippus igitur adulescens Philænium meretricem, Clearetæ lenæ filiam, amat. Donis non parcens cum ea aliquamdiu consuevit, sed iam pecunia deficiente excluditur, et quum alius adulescens, Diabolus, eodem amore captus, ut sibi puella in integrum annum tradatur, viginti minas promiserit, lena Argyrippum nisi eadem mercede soluta domum suam intrare vetat. Demænetus pater et ipse eiusdem meretricis cupidus eam filio conciliare studet sperans fore, ut huius beneficii gratia filius sibi quoque amoris eius partem concedat. Quare statim initio fabulæ facilis comisque patris partes agens Libanum servum hortatur, ut filio suo per fraudem aliquam argentum illud comparet, seque, si opus fuerit, adiutorem fore pollicetur. Proxima scena iram amatoris domo meretricis exclusi et avaritiam lenæ et convicium utriusque egregie depingit. Dum Libanus ille frustra viam aliquam pecuniæ auferendæ quærit, ecce Leonidas, alter servus eidem rei intentus, egregiam fraudis occasionem invenit. Nam Saurea, atriensis et actor Artemonæ, quam uxorem olim Demænetus cum magna dote duxerat, asinos aliquot mercatori peregrino viginti minis

vendidit, pretiumque nondum solutum adulescens quidam ignotus affert. Qui quum casu in Leonidam incidit, ille se Sauream esse dicit, sibique ut pecunia reddatur, postulat. Sed nec Leonidas, quamvis stomachetur, nec Libanus, fidelis in hac re adiutor, hospitem eo perducere potest, donec senex ipse Demænetus Leonidam Sauream esse affirmat. Numerata pecunia Leonidas gaudio exultans strategema suum prospere successisse conservo narrat, et uterque servus Argyrippum et Philænium iam de salute desperantes consolantur pecuniamque affirmant illi quidem paratam esse, sed tradere nolunt, antequam eos variis modis ludificaverunt. Non ab Argyrippo solum postulant, ut sibi summissis precibus supplicet, sed etiam Philænii blanditias et oscula poscunt, quod quum amator indigne ferat, servus herum ipsum cogit, ut se equi modo vehat. Tum demum ei pecuniam tradit patris fraude et mendacio comparatam, addita quidem condicione, ut seni noctem meretricis concedat. Interea rivalis advenit syngrapham afferens a parasito suo compositam, in qua leges, quibus puella parere cogatur, in ridiculum modum acerbæ scriptæ sunt. Qui postquam rem ab altero occupatam animadvertit et Demænetum filiumque cum meretrice potantes videt, ira furens et ultionis cupidus omnem rem Artemonæ aperire statuit. Matrona, ut suis oculis flagitia viri conspiciat, a parasito Diaboli adducta maritum maledictis, quibus par erat, vexatum domum abigit.

Fabula hæc integra servata est (vid. ad v. 803) et, nisi quod turpitudo argumenti offendit, merito laudatur; nam et optime morata est et imprimis ridicula. Quare iis temporibus, quibus in Italia renatæ sunt litteræ, et Latino sermone agebatur, velut Romana academia Pomponio Læto præside c. annum 1480, scena structa in Quirinali monte, Asinariam Plauti Latine egit, et Italicis versibus translata Venetiis acta est a. 1514 et in monasterio S. Stephani et alibi. Mox Ioannes Maria Cecchi Florentinus magnam partem, ut ipse ait, ad huius fabulæ exemplum celebrem illa ætate comœdiam „il Martello“ composuit (Klein, Geschichte des Dramas IV, p. 646).

Quod plerumque faciebant antiqui poetæ, ut personis, utique ridendi gratia fictis, ea nomina imponerent, quibus

ingenia earum aliqua ratione indicarentur, id hic quoque factum est, ubi per ironiam quandam splendida nomina et laudis plena turpibus induntur personis. *Demænetus* (Δημαίνετος), quasi a populo laudatus, senex ille nequam appellatur, quem uxor dum in senatu reipublicæ operam dare censet (v. 862), ex lustris ganeaque extrahit. Lenæ nomen suprascriptum est scenæ a v. 152 incipienti CLERETA; deinde in contextu v. 744 „claearetae"; in editionibus est Cleæreta, Κλεαιρέτη, sed potius *Cleareta*, Κλεαρέτη, fuit, nam Κλεάρετος et Τιμαρέτη nota nomina sunt; quasi quæ laudem acquirat. *Argyrippus* splendidum prima specie nomen est eius generis, quod, quia cum equo coniunctum erat, equitem decere videbatur ideoque multis placebat, velut uxori Strepsiadis in Nubibus Aristophanis, v. 63 sq.: ἡ μὲν γὰρ ἵππον προσετίθει πρὸς τοὔνομα, Ξάνθιππον ἢ Χαίριππον ἢ Καλλιππίδην etc. Hic vero alia huius nominis ratio est; nam sic appellatur adulescens, qui propter argentum equum se facit et servum suum dorso vehit (ὁ τοῦ ἀργυρίου ἕνεκα ἵππος), v. 692 sqq. *Philenium* in codd. meretrix appellatur; sed Φιληνίον, ut opinor, nemo audivit, Φιλαινίς et Φιλαινίον vulgata nomina sunt*); quare *Philænium* scripsimus. *Diabolus* rivalis appellatur, quasi maledicus aut calumniator (ὁ διαβάλλων), quia flagitia viri uxori eius indicat (v. 804). Fleckeisen „Diabulum" scripsit, quod si a διαβουλεύειν ducitur, nec probabiliorem habet nominis rationem nec propter numeros ferri potest, quoniam media vocis syllaba brevis est v. 627. *Artemona* Latine dicitur, quæ Græce fuit Ἀρτεμώ (ut Corp. Inscr. Græc. n. 696). Si vis nominis quærenda est, non tam a velo nautico, quod ἀρτεμών dicitur, quam ab adiectivo quod est ἀρτεμής, integer, repetendum videtur. — Servorum alter „truculentis oculis" (v. 398), qui atriensis personam suscipit pecuniamque mercatori aufert, heroico nomine *Leonidas* appellatur, alter, quasi mollis et elegans a thure *Libanus* dicitur, quum utrique potius contraria nomina conveniant.

---

*) Constat autem in nulla re esse maiorem librariorum inconstantiam, quam in usu vocalium e et æ. Sic in hac fabula „Demænetus" est in cod. B v. 341 et 573, alibi semper „demenetus"; frequente „laena" pro „lena", „sepe", alia.

Argumentum

in hanc fabulam alterius tantum generis extat, acrostichon, nec hoc loco in codicibus legitur, sed post prologum. — 1. *argento* ablativus instrumenti ad *auxiliarier* pertinet, cf. ad Amph. 290. — 4. *seruolo* versus causa olim emendatum. — 6. *Ruimus* cod. B; cod. Brit. et Palatini 4, 5, 6 *riuinus*, quod nihil est, quamvis et ceteri editores tenuerint et Gronovius (Lect. Plautin. p. 25) defendat, quasi „rivalis" sit; sed nec illa forma aut alibi invenitur aut ullo modo probabilis est, nec sententiæ structura substantivum substitui patitur deficiente verbo. Quare, quum alio confugiendum esset, scripsi: *Ruit alius amens*, quod a tam malo scriptore forsitan non abhorreat. — 8. *e lustris rapit.* Sic certissima emendatione iam antiqui editores, quum ex corrupta codicis B scriptura in ceteris sine sensu factum esset „eius triste agit".

Prologus,

qui in codicibus etiam argumento anteponitur, non fabulæ pars est nec ab ipso Plauto scriptus, sed post mortem eius, quum fabula referretur, compositus. Nec, qui hunc pronuntiat, ipsius poetæ nomine loquitur, sed pro histrionibus dominoque gregis spectatores alloquitur. Itaque prologi partes non ut in Amphitryone una ex fabulæ personis agit, sed histrio ad id ipsum ornatus, qualis est in Hecyræ prologo v. 2: „Orator ad uos uenio ornatu prologi", in ceteris Terentianis, ex Plautinis autem præter hanc fabulam in Captivis, Casina, Menæchmis, Pseudolo, Pœnulo, Truculento; cf. supra p. 162 sq. Ceterum, qui hunc prologum scripsit, nec festivi aut lepidi ingenii fuit, nisi quis cum Lingio (de hiatu p. 4) in ipsa ieiunitate leporis aliquid inesse censet, nec propria inveniendi facultate excelluit, nam alios prologos interdum nimis presse imitatus est, ut in vv. 4—5 Pœnuli, in 10—11 Trinummi. Animadverterunt hoc et alii et Geppert in „Neue Jahrbücher für Philologie XIX Supplementb." 1853, ubi totum prologum accuratius tractavit.

1. *Hoc agite*, i. e. animadvertite; utrumque iungitur Pseud. 151. Cf. Cist. 83: „Hoc uolo agatis; qua arcessitae causa ad me estis, eloquar“. Bacch. 989: „Hoc age sis nunc iam“. Mil. 1107. Capt. 782. 478. Pœn. 764. 1201. Terent. Eun. 130. Phorm. 435. — *sultis*, non *si uultis*, pronuntiari versus iubet, itaque editores scripserunt. — 2. *Quae quidem* codd. et edd.; Geppert malebat „Quae mihi quidem“, quo nimia vis pronomini personali tribuitur. — 3. *Gregi* histrionum *dominis*que gregis bene precatur. Grex histrionum sæpius commemoratur in prologis, vid. Casin. 22. Terent. Heaut. 45. Phorm. 32. Petronius 80:

Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur,
  Filius hic, nomen divitis ille tenet;
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
  Vera redit facies, assimulata perit.

Ad hunc versum quod attinet, *gregi* ut alia vocc. iambica alteram corripit. Fl. „domino“ edidit, ac sane verisimile est plerumque singulos gregibus dominos fuisse, et quod in Terentianis didascaliis bini actores nominantur, fieri potest, ut non uterque simul sed alius alio tempore fabulam egerit, id quod probare conatur Dziatzko in dissertatione de iis scripta (Mus. Rhenan. XX et XXI); sed quoniam per se nihil obstat, quo minus idem grex in duorum aut plurium hominum possessione fuerit, codicum scripturam mutare non ausus sum. — *conductoribus*, qui ludorum causa hunc gregem conduxerant, sive ædiles aliive magistratus sive privati sunt. — 4. *Face iam nunc tu.* Si recte sic in codd. scribitur, post „omnem“ hiatus est. Fleckeis. elegantius: „Face nunc iam tu“. — *auritum*, i. e. audientem, attentum, cf. Hor. Od. I, 12, 11: „auritas quercus“. — *Praeconem* populo silentium imperare iubet, quod necessarium ludorum principium erat, unde etiam in Græcis victorum catalogis inter primos nominantur κήρυκες, v. Corp. Inscr. Gr. n. 1583, 1584 al. Quod postquam fecit præco, proximo versu prologus eum residere iubet addito ioco, quo avaritiam præconis perstringit, quasi cui non solum ob clamandum, sed etiam ob tacendum pecunia solvenda sit. Huic loco plane geminus est in prologo Pœnuli v. 11 sqq.:

Exsurge praeco, fac populo audientiam;
Iam dudum expecto, si tuum officium scias;
Exerce uocem, quam per uiuis et colis;
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames. —
Age nunc reside, duplicem ut mercedem feras.

Sed Pœnuli locus plenior est minusque obscurus, hic quasi nota paratis auribus indicat. Ceterum præconum genus, quod vocem in quæstum contulerat, omnino quæstus avidissimum fuisse vel ex Ciceronis or. p. Quinctio c. 3 notum. — *gratiis* versus causa necessario scribendum, cf. Proleg. p. 212.

6. *ut sciretis*. Tempus ostendit hæc cum antecedenti *dicam* non esse coniungenda; auditur „processi". Vulgo prologus argumenti exponendi causa prodit; hic, quia argumentum breve et simplex est, nihil aliud quam nomen fabulæ prolaturus est. — 9. Hunc versum Geppertus spurium indicavit, quasi nihil aliud sit quam periphrasis versus 6. Sed prologi Plautinis fabulis additi eiusmodi repetitionibus et omnino nimia verbositate non raro laborant. — 10. *Dicam*. Si versus recte traditus est, post h. v. hiatus est. Hunc alii interpunctione defenderunt; Both. „Huiic" scripsit, Fl. verba transposuit: „huic est nomen Graece Onago". — *Onagus*, quod iam editores antiqui ediderunt, ὀναγός s. ὀνηγός, est, qui asinos agit, asinarius mercator. — 11. *Demophilus* poeta quum alibi non commemoretur, Meineke (Hist. crit. Comicorum Græc. p. 491), mediæ an antiquæ comœdiæ adnumerandus sit, dubitat. Mihi quidem hæc fabula, si ulla alia, ad novam comœdiam pertinere videtur. Invenit etiam Fleckeisen (Annal. phil. XCVII, p. 213) vestigia nominis in titulo quodam Piræensi (Ἐφημ. ἀρχαιολ. n. 732. Meier, Comment. epigraphica II, n. 67), ubi inter alia nomina aut mutila aut minus nota enumerantur Timocles, Menander, Philemo, Apollodorus, Diphilus, Philippides, Nicostratus, Calliades, qui omnes novæ comœdiæ auctores sunt. Ex primo autem catalogi nomine hæc restant: ΔΗ . . . . ΙΟΣ, i. e. Δημόφιλος.

Ceterum hic locus expressus videtur ex Trinummi prologo v. 18—21:

Huic Graece nomen est Thensauro fabulae;
Philemo scripsit; Plautus uortit barbare;

Nomen Trinummo fecit; nunc uos hoc rogat,
Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.

Sed qui Asinariæ prologum composuit, et in brevius contraxit et Plautum alio nomine appellavit. In codd. *Maccus* legitur, quæ Atellana persona est, Romanus homo esse non potest. Antiqui editores, qui M. Accium Plautum usurpabant, *Marcus* scripserunt, sed solo prænomine, quod ingenti hominum numero commune erat, poeta satis significari non potest. Rectius Ritschelius *Maccius*, vel potius *Macius*, quod et a codicum scriptura minus discedit nec per se diversum est; nam Plautina ætate consonantes non geminabantur, cf. supra p. 144. Accedit metri ratio, quia parum placet vocabulum dactylicum trochæi loco positum; cf. Bücheler, Nov. annal. phil. XCVII, p. 217 sq. — *barbare*, i. e. Latine. Græcum vocabulum eadem vi posuit, qua Græci usurpabant, ut significaret eum, qui non Græce loqueretur, v. Trin. 19. Stich. 190. Bacch. 127: „barbaro Potitio", i. e. Latino. Mil. 213: „poetae barbaro", i. e. Nævio, Capt. 490: „barbarica lege". 877: „barbaricas urbes". Pœn. 601: „barbaria". Cato ap. Plin. Hist. Nat. XXIX, 1, 7, 14; atque etiam Cicero, Orat. 48, 160: „barbaris casibus". Nec Romanos tale loquendi genus offendebat, quamquam non fallebat eos, rudes omnes barbaros Græcis videri, v. Bacch. 118: „o Lyde, es barbarus, Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem". — 12. *uolt* præsenti tempore, ut „rogat" Trin. 20, quasi ipsius poetæ et vivi etiam nunc nomine hæc proferantur. — 14. *date benigne operam mihi.* Geppert comparavit Mil. 80: „si ad auscultandum uostra erit benignitas". — Post hunc versum Geppert lacunæ signum posuit brevem argumenti indicationem ex v. 8 requirens; sed recte intelligenti illa verba non argumenti narrationem promittunt, sed narratione opus esse negant. — 15. Extremo versu prologus bene optat Romanis, maxime ut iis belli fortuna adsit, cf. Cistel. 194: „Bene ualete et uincite Uirtute uera, quod fecistis antidhac etc.". Casin. 87 sq. Captiv. 67 sq. — *Ut . . ., pariter* ponitur ut alibi „ut . . ., item". Quod hoc loco legitur *item* relativæ sententiæ interpositum, est Græcorum καὶ, Romanorum „etiam", ac nescio an hoc ipsum

reponendum sit. Parum feliciter Both. „Ut uos item ut alias, pariter n. M. adiuuet“, Ritsch. Parerg. p. 233: „Ut uosmet alias, p.“

---

16. Demænetus senex, postquam ei Argyrippus filius amorem et inopiam suam credidit (v. 74 sq.), Libanum servum sevocat (v. 31. 359.), ut secreto cum eo agat de pecunia clam uxori auferenda. Servus malum sibi veritus nec sine timore secutus ægre eo perducitur, ut tam incredibilem rem veram esse credat. Per carissima quæque herum obtestatur, ne sibi fraudem moliatur; nihil autem vehementius optare solent parentes, quam ut liberi sibi superstites sint, cf. Terent. Heaut. 1030: „Ita mihi atque huic sis superstes, ut *tu* ex me atque hoc natus es“. Ovid. Her. I, 101. Senec. Cons. ad Marciam I, 2: „patris tui . . . quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem“. Cicer. Nat. Deor. II, 28, 72: „qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius“. — 18. *ted* cum Fl. scripsi hiatus vitandi causa eo confidentius, quia v. 20 *med* in cod. B est; cf. infra ad v. — 20. Expectabatur verbi q. e. *obtestor* obiectum, „ne quid mihi falsi dicas“, sed mutata structura id dicit, quod, si se fefellerit, optat, ut ei uxor superstes sit, quasi non „te obtestor“, sed „deos precor“ antecesserit; cf. Bacch. 781 sq. — Post *erga* hiatus in cæsura; magna editorum pars „tu“ addidit. — 21. *aetatem*, i. e. quam diu homo vivit, cf. infra 272. Amph. 1016. Terent. Hecyr. 747: „Nam neque ille hoc animo erit aetatem“, ubi Donatus enarrat: „tam diu quam longa est aetas“. Lucil. I, 17: „ut multos mensesque diesque, Non tamen aetatem“. — 22. *pestem oppetas*, i. e. mortem, cf. Capt. 520. Acc. ap. Cic. Tusc. II, 16, 38: „priusquam oppeto malam pestem“. — 23. *Per deum fidium quaeris* codd.; Edd. fere „per Dium Fidium“ (de quo vid. Preller, Römische Mythologie p. 634); deinde alii „quae quaeris“; Both. „per deum fidem, ut tu quaeris, iurato“; verum non quæsivit; precatus et obtestatus est. Equidem malim: „Per

deum fidem, quae res est?" Sed res nimis dubia est. Fleckeisen hunc versum una cum proximo pro spuriis seclusit, ac sane vel his omissis oratio satis prolixa videtur. — 28. *ut ipse scibo* etc., i. e. sicut ipse id, de quo quæris, sciam, ita tecum id communicabo. — 29. *quod te rogem* si, quod vulgo fit, cum antecedentibus iungitur, coniunctivus ratione caret; ego cum sequentibus iunxi, ut obliqua oratione aliquatenus defenderetur, cf. Men. 973: „Caue quisquam, quod illic minitetur, uostrum flocci fecerit". — 30. *Caue mihi mendaci quicquam*, sc. dixeris, cf. Mil. 961: „Caue mendacium". Omittitur verbum, quod quivis facile intelligat, cf. infra 300. Amph. 786. — 31. *ubi lapis lapidem terit.* Pistrinum significat lapidesque molares, cf. Lucret. I, 884: „cum lapidi lapidem terimus". — 32. *ubi istuc est terrarum loci.* Fl. transpos.: „ubi terrarum est istuc loci", metri causa, ne senarius in duas partes ternorum iamborum divideretur. Chiasmus ordinis nihil offensionis habet, vid. ad Amph. 290. — 33. *Nequam homines* et *pinsitant* recte scribitur in ipso cod. B paulo infra, ubi hic versus repetitur, post v. 46. Repetitur autem una cum antecedenti, mutato illo quidem aliquantum, nec dubitari potest, quin ex margine irrepserint, ubi vel interpretandi vel erroris corrigendi causa adscripti fuerunt. Iniuria igitur Camerarius quasi repetita interrogatione hos duo versus post v. 33 posuit. Fleckeisen posteriorem damnavit, priorem post v. 35 posuit, versumque 33 suo loco motum huic adiunxit, iusto licentius. — *nequam homines*, nam nequissimi quique servi in pistrinum mittebantur. — *polenta* farinæ genus est, maximam partem ex hordeo confectum, vid. Plin. Hist. nat. XVIII, 7, 14, 72. — 34. Servus horrendam rem suo nomine appellare veritus per ænigmata eam significat satis ridicula. *Insulas* molas appellat in pistrino positas, similitudinem rei, ut ex Pompeianis molis apparet, egregie secutus. Adiectiva condicionem servorum molas versantium exprimunt, ut qui *fustibus tundantur* aut plectantur, *ferreis*que compedibus *crepent*. — 35. *mortui boues* sunt lora ex corio bubulo facta. — *incursant*, invadunt, cf. Pœn. 822: „Is me autem porro uerberat, incursat pugnis, calcibus". Rud. 722: „pendentem incursabo pugnis. — 36. *Modo percepi*, iam intelligo. — 37. *sit* B man.

sec., cett. plerique; *fit* olim emendatum. Ne quis coniunctivum requirat, satis frequens est apud Plautum indicativus in sententiis orationi obliquæ interpositis, v. Autenrieth in Annal. phil. vol. supplem. VI (1872), p. 277 sq. Pendet autem accusativus cum infinitivo a voc. *fortasse*, v. ad Amph. 615. — 38. *ego* iam in cod. B emendatum. — Abominandum pistrini nomen audire non vult neque herum illud in os sumere aut linguæ imponere patitur, sed statim despuere iubet, et, ubi hoc semel fecit, iterum atque iterum eum despuere iubet screandoque ex intimis faucibus eiicere. Ad rem conferatur Senec. Cons. ad Marciam 9, 4: „Quis non, si admoneatur, ut cogitet (sc. de exilio, egestate, luctu), tamquam dirum omen respuat et in capita inimicorum ... abire illa iubeat?" — 39. In cod. B voci *quae* posterior manus suprascripsit: „alii qui"; quæ correctio ne quem moveat, eadem manus v. 33 pro „homines nequam" videtur „boni æquam" voluisse. — 41. Hic versus ab archetypi librario incuria omissus, quum postea in margine adscriptus esset, pravo loco in contextum insertus est, post v. 54. Intellexerunt iam antiqui editores. — Voc. *penitus* Plautus licenter pro adiectivo habuit, nec ante Apuleium eum quisquam secutus est. — 42. *Nam* interrogativum est, vid. ad Amph. 548. — 43. *Uxoris*, sc. mortem. — 44. *expers metu*, cf. Amph. 706. — 45. *Di tibi d. q. optes*, cf. Horat. Sat. II, 8, 75: „Tibi Di, quaecumque preceris, Commoda dent". — *Redde operam mihi*, i. e. audi nunc me vicissim; nam operam dare est auscultare, v. 14. — 46. *hoc*, quod semper in animo habet, filium amare. — *scientem feceris*, cf. Terent. Heaut. 873, al. — 50. *Demiror* etc. Versus hic in codd. inseritur post v. 82; qui autem versum incuria omissum in margine supplevit, ne de loco dubitaretur, etiam sequentem (51) adscripsit.

51. *Equidem scio iam*, ne me celare studeas. *Quod* pro accusativo cum infinitivo quum apud inferioris ætatis scriptores, ut Iustinum, iurisconsultorum principes aliosque, admodum frequens sit, tum hic illic etiam apud antiquiores invenitur, qui quidem a vulgari hominum sermone non abhorreant, ut Cato ap. Plin. H. N. XXIX, 1, 7, 14: „Dicam de istis Græcis suo loco quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit illorum

litteras inspicere, non perdiscere". Bell. Hispan. 36: „legati Carteienses renuntiaverunt, quod Pompeium in potestate haberent". Suet. Tit. 8: „recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset". Apul. Met. III, 14: „Adiuro, nulli me posse credere, quod tu quicquam in meam cogitaris perniciem". Imitatus est auctor Queroli p. 28, 27 Peiper: „Egomet audieram, quod ipsi omnia gubernarent". Sanctius, probante Gronovio, *quam* substitui volebat, quod et licentius fieret, præsertim quum hic versus bis eodem modo scribatur, nec aptam aut Plauti similem orationem efficeret. — 53. *instas* iam in cod. B emendatum. „*Rectam instas uiam*", i. e. insistis, ingrederis, cf. Capt. 787: „ita omnes itinera insistant sua". — 55. *Quid morbist.* Brix. Annal. phil. CI, p. 762 *morbi* scribendum censet. — *Quia*, i. e. quod, cf. Aul. 410: „Istud malefactum arbitror, quia non latus fodi". Mil. 1202: „istuc mihi acerbum est, quia ero te carendum est optumo". Trin. 291. Casin. 355: „Iniquom est quia". Asin. 825: „aegre patiar quia". Stich. 506: „Ut mihi volup est quia". Most. 49: „inuidere mihi hoc . . ., quia mihi bene est et tibi male est". Præterea post pudet, piget, paenitet, iratus sum, v. Capt. 203. Cist. 103. Epid. 108. Pseud. 280. 282. al. — *non suppetunt*, i. e. non respondent aut æquant, cf. Pseud. 108: „Utinam quae dicis dictis facta suppetant!" — 57. *noster*, i. e. ex nostris, ex hac familia. cf. Amph. 395. — 58. *et* Fl. delebat Hermanno auctore (Elem. p. 132). Utut aut legendum aut emendandum est, *a* præpositionem corripi non credo, cf. Müller. p. 381. — 59. *sit* versus causa legendum, v. ad Amph. 971. Both. et Fl. malebant *scis* scribere pro „nescis". — 60. *nos tamen in pretio sumus*, i. e. sed nos quoque aliquatenus uxoris tuæ ingenium sentimus; nos quoque adnumerandi sumus, cf. Pœn. 327 sq.: „Primum prima salua sis, Et secunda tu secundo salue in pretio; tertia Salue extra pretium". Sedigitus apud Gell. XV, 24: „Naevius . . . pretio in tertiost". Gertzius quum ordinis aliquam indicationem desideraret, „post tamen in pretio sumus" scribendum censebat. — 62. *Posterius* etc., i. e. hoc ante, quam dicis, tibi credo. — 64. *obsequellam* non solum codd. habent, sed etiam Nonius p. 215 hunc versum laudans; sed versus non patitur, quare

cum Scaligero *obsequentiam* scribendum. Luchsius quidem in Studemundi Studiis ad priscos scriptores Latinos, I, p. 56, sic potius locum refingendum censet: „Omnes parentes, quiqui auscultabunt mihi, Suis obsequellam facient, Libane, liberis“, iusto licentius; nam quod veretur, ne, ut sententiæ dispositæ sunt, enuntiatum relativum potius ad liberos quam ad parentes referatur, similia sæpius inveniri parum memor fuit, cf. Epid. 258 sq.: „Uos priores esse oportet, nos posterius dicere, Qui plus sapitis“. 291: „Ego illum conueniam atque adducam huc ad te, quoia est fidicina“. Casin. 548: „adsitne animus ei necne adsit, quem aduocet“. — 65. *Quippe qui;* immo „ut“ ponendum erat. Nec minus offendit singulari numero positum *gnato,* quum et antecedat „liberis“ et in hac ipsa sententia subiectum plurali numero servetur. Quare cum Fl. spurium hunc versum habeo, quales multi in hac scena deprehenduntur. — 66. *amari* olim emendatum. — 67. *uolo me similem*, sc. *esse,* ut semper dicitur „factum uolo“; cf. v. 76. Amph. 1011. — 68. *nauclerico*, adi. Græcum, quod extat etiam Mil. 1170 (codd.: „naucleriocо“), qui locus nostro pro commentario esse potest: „Facito uti uenias [ornatu] ornatus huc nauclerico, Causeam habeas ferrugineam et scutulam ob oculos laneam, Palliolum habeas ferrugineam, nam is colost thalassicus; Id conexum in humero laeuo, † exfafillalo brachio, Praecinctus aliqui; adsimulato quasi gubernator sies“. — 70. *Neque puduit.* Versus a proceleusmatico incipit, nisi *Nec* legas. — 75. *id obsequi*, cf. Gell. II, 7, 12: „quaedam esse parendum, quaedam non obsequendum. Sed ea tamen, quae obsequi non oportet etc.“ Madv. Gr. 229. — 76. *obsecutum* passivo sensu barbarum est nec minus, quod Lachmannus ad Lucretium p. 304 proposuit, „obsecuum“. Nonius p. 501 prorsus corrupte: „amari obsecutam“. Sed totus versus et numeris destitutus est et sententiarum seriem tam inepte interrumpit, ut eum Fleckeisen iure damnasse videatur. — 77. *contente.* Veram scripturam Nonius p. 83 servavit „parce et continenter“ explicans. Græci συνεσταλμένως dicunt. Pacat. Paneg. Theod. 13: „parce contenteque viventem“. — 78. *consuerunt* aut cum diæresi legendum, v. Prol. p. 215, aut *consueuerunt* scriben-

dum, ut plerique editores fecerunt. — 79. *quom* quod indicativum sibi adiungit, v. ad Amph. 747, cf. infra 81. 111. — 80. *honor* habetur ingenio eius, cui ceditur. — 84. *Sauream* versus non patitur. Douza „Saurea*n*“ scribi volebat, sed a Græcis declinandi formis Plautus abstinuisse videtur. Koch „uoxor“ scribit, de quo vid. ad Amph. 1102. Fleckeis. „ne“ addit, nimis dure; Müller „domum“ in exitu versus excidisse putat; Gertz. transponebat: „uxor Sauream“. — *Dotalis* servus, qui dotis pars est. In magna re familiari tales servi sæpe ab uxore sola pendebant, nec mariti ullum in eos imperium erat. Quin „M. Cato“ ut ait Gellius XVII, 6, 1 „Voconiam legem suadens verbis hisce usus est: Principio nobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non conmittat; eam pecuniam viro mutuam dat; postea, ubi irata facta est, seruom recepticium sectari atque flagitare virum iubet“. Ad quem locum Gellius § 8: „recipit, hoc est retinet“. Conf. M. Senec. Controv. VII, 6(21), 1: „habe nunc illi honorem, fac dotalem, sine dominam custodiat“. 3: „Eligitur maritus, quem sanus pater dotalem dedisset“. Claudian. in Eutrop. I, 104: „Dotalem genero nutritoremque puellæ Tradidit“. — 85. *quoi plus in manu sit*, i. e. in potestate, cf. Amph. 560. Coniunctivus consilium indicat; ne maritus pecuniam administraret, suum sibi servum adduxit dispensatorem. — 90. *Maxumas nugas agis*, nugaris, quod me tibi, qui nihil habes, pecuniam per fraudem eripere iubes, quasi me nudo vestimenta detrahere iubeas. Hæc recte et Plautino more dicuntur; sed parum apte proximo versu (92) nova similitudo infertur, „sine pennis uola“, multoque etiam ineptius verbis „Defrudem te ego“ eadem repetuntur, quæ proximo versu leguntur, quare iure hunc versum damnavit Fl. — 93. „defraudem“ Fl., ut v. 90 et 94. Ritsch. in Parerg. p. 541 formam „defrudem“ magis probare videtur, quam etiam Men. 672 sq. codd. habent. — 95. *Qua . . . potes*, i. e. qua ratione, qua via potes; cf. Ovid. Trist. I, 9, 65: „qua potes, excusa“. III, 7, 54: „Effuge venturos, qua potes, usque rogos“. ex Pont. II, 4, 34: „qua licet“. Met. IX, 510: „qua fas est“. Verg. Æn. XI, 293: „qua datur“. Quod in cod. B additur „arte“, Festo auctore abiectum est, qui p. 198 versus 95—100 affert,

omissis tamen vv. 98—99. Eidem debetur v. 96 *potes;* in cod. B ab initio fuit „potest", sed ultima littera erasa est. Fl. „potis" edidit, præter necessitatem; *potes* ultimam corripit. — *circumduce*, i. e. falle, defrauda, cf. Bacch. 307: „Si med illo auro tanto circumduxerit". 1177. Pseud. 431. 530. 638. Pœn. 979. 1291. Trin. 859. Trucul. 861. — 97. Versus mancus, ut videtur; nam vel si *id* ante *hodie* addas, quod nisi fallor ex Festo p. 198 („si id effeceris") in codd. deterioribus receptum est, hiatus post „hodie" vix ferri potest. Antiqui edd. „Tibi" in principio versus addebant, Fl.: „offuturum me"; nos, ne duobus locis aliquid omissum putaretur: „si *tu id* hodie". Gertz „si illud hodie" malebat. — 98. *una opera*, i. e. non maiore opera, æque facile, sive additur sententia relativa sive auditur, cf. Most. 254: „Una opera ebur atramento candefacere postules". Pseud. 318: „qua opera credam tibi, Una opera adligem fugitiuam canem agninis lactibus". Capt. 557. Casin. 286. Men. 782. 784. 513. Frequentius dicitur *eadem opera*, ut infra 633. Capt. 448. Most. 1023. al. — Servus ait se tam facile in aere piscari, in mari venari, quam apud herum argentum quærere posse; utrumque æque inutile esse, quoniam nec pisces in aere nec feræ in mari nec argentum apud herum inveniantur. Sed obscuratur aliquantum sententia eo, quod poeta alteram actionem accuratius describens instrumenti ablativum addit. Nam instrumentum posuit, non quo soli utantur venatores, venabulum aut indaginem, sed ei, qui in mari venari velit, saltem aptiora instrumenta concedens *rete iaculum* ponit, i. e. rete, quod iacitur. Hoc aut rete iaculum aut simpliciter iaculum dictum esse videmus, ut Trucul. 35: „Quasi in piscinam rete qui iaculum parat". (Mil. 991 idem voc. restituendum: „Dum sibi iaculum huc transmittat, quae huius cupiens corporist"). Ovid. Art. I, 763: „Hic iaculo pisces, illa capiuntur ab hamis, Hic cava contento retia fune trahunt". Auson. Epist. 4, 56: „Et iacula et fundas". Quare codicum scripturam ab aliis corrigendo tentatam (Both.: „Uenari autem iaculod in medio mari". Fl.: „Et uenari autem reticulo in m. m.") intactam reliqui, nisi quod pro *rete*, quod codd. præbent, quia versus longam syllabam postulat, solitam ablativi formam „reti" vel „retei" substitui, cf. Prol. p. 195.

100. *optionem* adiutorem appellat similitudine ducta a re militari, ubi optiones, quos Polybius VI, 24, 2 οὐραγοὺς, Livius VIII, 8, 18 succenturiones dicit, centurionum in imperio adiutores erant; cf. Veget. II, 7. Fest. p. 198: „Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adiutor dabatur centurioni a trib. militum, qui ex eo tempore, *quo* quem velint centurionibus permissum est optare, etiam nomen ex facto sortitus est". Tum hunc locum laudat. — 101. *Fabricare* etc. Cf. Bacch. 688: „Conpara, fabricare, finge quod lubet, conglutina". — 102. Post *argentum* hiatus in cæsura. Fl.: „Perficito id a." Müller: „Perfice modo arg." — 104. Versum numeris destitutum et sententiarum nexum male interrumpentem iure damnarunt Both. et Fl. Extat in solo cod. B. — 105. *redimes* ... *interceperint*. Manet in similitudine rei militaris. — 106. *aliud cura*, i. e. securus esto; ego hoc curabo, cf. Casin. 589: „Abi et aliud cura". Merc. 486: „Potin ut aliud cures?" Pseud. 235. Mil. 925 et 930: „Alia cura". — *quid lubet* codd.; „quod lubet" Both. et Fl.; non opus. — 107. *nisi quid uis* sc. præterea, cf. ad Amph. 538. — *Fietne* codd. corrupte. Camerarius veram viam ingressus scripsit: „LI. I; etiamne ambulas?" Emendationem absolvit Fl.: „*I* (s. Ei, v. Prol. p. 212) *bene ambula*", nota valere iubentis formula, vid. Capt. 892: „Bene ambula et redambula". ib. 450. Cas. 503. Most. 841. Merc. 322. Pers. 51. Truc. 368. cf. etiam infr. 484. Pseud. 263. Trin. 1108. — 108. *Atque audin etiam?* Huic interrogationi non respondere id, quod in codd. sequitur, *Ecce*, animadvertit Müller p. 642. Libanus si id, quod herus additurus erat, audire vellet, responderet: „Quid uis?" Sed re iam satis perspecta, ne in supervacuis et inutilibus tempus teratur, *Recte* respondet. Hoc enim utebantur, ut ait Donatus ad Hecyram, „ubi sine iniuria interrogantis aliquid reticebant", i. e. ubi quæstio proposita quasi parum opportuna reiiciebatur, cf. Ter. Eun. 341 sq.: „Rogo, num quid uelit. Recte, inquit". Ad. 653: „Quid est? AE. Nihil; recte; perge". Hecyr. 355: „Quid es tam tristis? P. Recte, mater". Plaut. Merc. 361: „Quid festinas, gnate mi? CH. Recte, pater". Hunc Amphitruonis versum Nonius p. 478 propter futurum *uolam*, attulit, sed ea, de quibus disputavimus, lacuna hausit. — 113. *si hoc patro*,

cf. Amph. 714. — 115. Hunc versum edd. recte Demæneto tribuerunt; in codd. quum hæc personæ nota omissa esset, proximi versus notæ invertuntur; sed error pridem animadversus est. — 116. *Ibi, si quid opus fuerit*, sc. me invenies. Abrumpitur sententia a servo abire properanti, eo scilicet, quo se v. 114 pergere significaverat.

117 sqq. Hæc, postquam abiit Libanus, Demænetus solus secum. — 118. *quo ab*, vid. ad Amph. 234. — *aegrius*, difficilius. — 120. *moriri*, cf. Capt. 725. Rud. 675. Pompon. v. 31: „More fit, moriri suam quisque uxorem ut uelit". — *sese* iam in B. emendatum. — 122. *Nam.* Si quis rationem coniunctionis quærit, quia inter hanc sententiam et proxime antecedentem nullus intercedat causalis nexus, sciat in rapido orationis cursu et *enim* et *nam* sæpius sic poni, ut ex toto contextu audiatur, quo referendum sit; velut h. l. audiri potest: „Hoc iure affirmare possum". v. Aulul. 470. Capt. 888. Cas. 182. 479. Mil. 145. 630. Pseud. 974. 1205. al. cf. ad Amph. 104. — *illuc* Both. versus causa; Fl.: „Nam illut ego". — 123. *scipiones* sive baculos senes gerere solebant, v. Amph. 516. Men. 842. Cas. 896, et quæ attuli in Scriptis Soc. Dan. Scient. III (1868), p. 203. — *contui*, cf. 400. 519. Pers. 210. Most. 824. — 124. *quo* olim emendatum, etiam versu iubente. — 125. Versus quinque iamborum. Camer. ab initio addebat „Ibo", Fleckeisen „Nunc ibo". Sed fieri potest, ut totus versus spurius sit, sic ut alia in hac scena.

Argyrippus adulescens ex ædibus amatæ meretricis eiectus, ira ardens conviciis in Clearetam matrem eius quamvis non præsentem invehitur. Canticum a creticis tetrametris incipiens a v. 137 in trochaicos septenarios transit. — 126. *Sicine hoc fit?* Interrogatio indignantis, cf. Pseud. 1242. — *eici* trisyllabum est; Fl.: „eicier". — 127. *hocine* codd.; Both. Fl. *hocin;* non opus. — 129. *At malo cum tuo*, sc. tale facis, cf. Amph. 787. — *nam iam ex*, creticus parum probabilis; Fl. „nam actutum ex", Müller „nunc iam ex" scrib., Gertz „namque iam ex" aut „nam iam iam ex". — *ex hoc loco*, e vestigio. —

130. *Ad trisuiros* (vid. ad Amph. 155) minatur se nomina matris et filiæ delaturum; quod ob maleficium, non dicit, sed in tali persona, qualis Cleareta erat, aut furti aut alius noxæ causa facile inveniri poterat. Cf. Trucul. 748: „apud omnis magistratus faxo erit nomen tuum". — 131. *Faxo erunt*, v. Amph. 351. — *capitis perdam*, i. e. pœna capitis, cf. Bacch. 486. Mil. 373. — 132. Versus ex quattuor choriambis constat. *perlecebrae*, cf. Bacch. 1160: „probri perlecebrae et persuastrices". — *permities* codd. B et I; eademque forma Bacch. 822. Most. 3 in C et D, Pseud. 364 in omnibus (etiam A) extat et in Nonii codd. plerumque, vid. Luc. Müller, Lucilii Saturarum reliquiæ p. 200. Primus huius formæ patrocinium suscepit Koch, Exercit. critic. in priscos poetas Rom. p. 9. Hunc secutus Munro in prima Lucretii ed. (ad V, 1339) a permacendo derivabat; sed macendi verbum, unde mactare ductum putant, dubia tantum C. O. Mülleri coniectura ad Festum p. 397 b nititur. Corssen, Formenlehre p. 266, ut perniciem a nece ita permiciem a minuendo deducit. Huic recte obloquitur Bergk, Beiträge zur latein. Grammatik I, p. 154 sq., nec nos dubitamus, quin unum vocabulum sit et quidem ita scribendum, ut apud Ciceronem, Sallustium ceterosque scriptores inveniatur, non ut fecerint indocti librarioli nescio cuius disciplinæ.

133. Pôst alterum creticum tetrameter in diæresi et hiatum patitur, ut v. 134, et syllabam ancipitem, h. v. „mare", v. 136 „bene", quæ vocc. pyrrhichica sunt, non, ut oportebat, iambica. Locos similes collegit C. F. W. Müller, p. 622—27. — Mare ipsum adulescens ait non esse mare, si cum his meretricibus comparetur; has multo acriores et sæviores esse multoque maiora damna afferre. Conf. Trucul. 564: „Meretricem ego item esse reor mare ut est; Quod des, deuorat, numquam abundat". Horat. Od. I, 33, 15: „libertina fretis acrior Hadriæ". 27, 19: „Quanta laborabas Charybdi!" al. In mari mercatura facta se pecuniam reperisse dicit, apud meretrices quasi naufragio facto amisisse. *Elavare* s. *eluere* est ita lavare, ut omnia, quæ lavando amoveri possint, amoveantur, v. Pœn. 222. Hoc voc. in naufragis vulgo utebantur et quidem aut passive aut intransitive, ut homines, qui naufragio omnia perdidissent, aut elautos esse aut elavisse dice-

rent, v. Rud. 579: „Au te paenitet, in mari quod elaui, nisi hic in terra iterum eluam“, ibid. 537 et 1307. 699: „Elautae ambae sumus opera Neptuni noctu“. H. l. ablativus inopiæ, *bonis*, additur, quasi bonis spoliatus sum; inde ad prius membrum audiendum „bona“, cf. infra 246. — 135. *Ingrata*, molossus pro cretico, ut in proximo v. „feci; at post“. De significatione vocis cf. ad Amph. 48. — 136. *ac* cod. B; ceteri recte „*at*“. C. F. W. Müller versus 131—36, in quibus tam crebro contra metrum peccatur, spurios esse censebat, vix iure. — 138. *ad egestatis terminos*, ad extremam egestatem. — 140. *istam*, Philænium. — Si versus recte scriptus est, post *meum* hiatur. Fleckeis. transponi volebat: „Quæ priusquam ego adii istam atque amans meum animum isti dedi“, Müller: „Quæ priusquam ad istanc adii amans ego atque meum isti animum dedi“. — 141. *Sordido pane*, i. e. pauperrimo (atrum Terentius Eun. 939 dicit); nam sordes paupertatis sunt, cf. Calpurn. 7, 80: „sed mihi sordes Pullaque paupertas et adunco fibula morsu Obfuerunt“. Ablativus instrumenti est. *in pannis*, i. e. pannis contecta. *uitam oblectabas*, i. e. sustentabas, cf. Pers. 127: „paulum praesidi, Qui familiarem suam uitam oblectet modo“. Cæcil. ap. Cic. p. Cœlio 16, 37: „Si egebis, tibi dolebit; mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est oblectem meæ“. *inopia*, Gronov. præpositionem „in“ ex antecedenti membro (in pannis) audiendum censet; immo „vitam inopia oblectare“ est inopem vitam vivere. — 142. *ea;* intelligenda panis sordidus et panni. — *magnas habebas gratias* Plautus etiam alibi, vid. ad Amph. 179; sed Reizii emendationem *magnam* ... *gratiam* metrum commendat. Qui post hunc versum plene interpungat, numeris etiam alia ratione succurrere possit, omisso *Atque;* sed comma ponendum, nam *Eadem* refertur ad „Quae“ v. 140. — 143. *quoius operast* sc. tibi melius, quo adiuvante meliorem vitæ condicionem adepta es. — 144. *mansuetem*. Antiquiorem formam servavit Nonius p. 483, qui præterea ex Accio et Varrone affert „mansues“ et „mansuem“. *Fame* ait se eam ex fera mansuetam redditurum, cf. Plin. H. N. VIII, 9, 27: „domantur autem rabidi (elephanti) fame“. — *me specta modo*, formula asseverantis nec

dubitare sinentis, cf. infra 673 „me spectes". Simili ratione dicitur „me uide", Mercat. 1003. Rud. 680. Ter. Andr. 350. Phorm. 711. — 145. *quod* Camerar. em., vid. ad Amph. 392. — *nihil* (nil) *quicquam*, cf. Bacch. 1029. Most. 738. Merc. 498. 657. Ter. Hec. 400. Etiam Cicer. Orat. I, 30, 134. „nemo quisquam" Terent. Eun. 227. 1032. Hec. 67. — 146. *imperio* primam corripit; dipodia ex dactylo et anapæsto constat. — 147. *Te* neutro loco eliditur.

148. Expectabat mulierem his minis conterritam exituram. *id*, accusativus pronominis post *dignus* extat etiam Capt. 962: „Non me censes scire quid dignus siem?" Ter. Phorm. 519: „Di tibi omnes id quod es dignus duint!" Plaut. Pseud. 942: „Nam si exoptem, quantum dignu's, tantum dent, minus nihilo sit". — 149. *conloquatur* iam in codd. emendatum; cf. Amph. 335. — 150. *Atque*, cf. Amph. 948. — *inlecebra*, cf. Truc. 186: „Mala's atque eadem, quae soles, inlecebra". 746: „Iam hercle ego tibi, inlecebra, ludos faciam clamore in uia". — *Opinor*. Hæc lenæ dicit iam prodeunti. — 151. *loquar*, si versus recte scribitur, extremam corripit. Fl. transp.: „Meo loquar modo".

152. Cleareta tantum abest ut convicio adulescentis fracta sit, ut vehementer eo gaudeat, quoniam inde appareat, quantum dolorem ex repulsa acceperit et quam ægre desiderium puellæ ferat. Quare non dubitans, quin hic Argyrippi animus magno lucro sibi futurus sit, singula huius convicii verba Philippis aureis se vendituram negat. — *uerbum* genetivus pluralis est, cf. 278: „inimicum". — *Philippeis*, i. e. aureis nummis, quales inde a Philippo II cudebant Macedonum reges. Florente Græcorum commercio per totum orbem vulgabantur Φιλίππειοι sc. στατῆρες; Romani Philippeos aut Philippos vocabant. Prior forma antiquior esse videtur; apud Plautum extat Pœn. 717. Trin. 152. Rud. 1314, quibus locis vox quadrisyllaba est, quum vulgo contractis duabus ultimis trium syllabarum sit; nam sic quoque non raro *e* scribitur, ut h. l. Bacch. 216. Curc. 440. Pœn. 166. Trin. 955. 965 et apud Livium XXXIX, 7, 1. Omissa hac vocali *Philippus* extat Bacch. 226. 1177. Pœn. 412. 673. 774. 784. 1363. Trin. 959. 1158, ut apud Horat. Ep. II, 1, 234. Corrupti sunt loci Trucul. 939 et Mil. 1054, ubi scripserim:

„Talentum Philippei (codd. Philippium) huic opus aurist“. De prosodia vocis v. Proleg. p. 199. — 154. *nec recte,* i. e. male. Festus p. 162 b: „Nec . . . ab antiquis pro non, ut et in XII est: „ast ei custos nec escit“, item: „si adorat furto quod nec manifestum erit“ et apud Plautum in Fasmate: „nec recte si illi dixeris“ et Turpilium in Demetrio: „nec recte dici mihi“. Res vulgo nota, cf. infra 468. Bacch. 116. 729. Most. 235. Pseud. 1085. Pœn. 519. — 156. *poteris.* Fl.: „potis es“, quod parum defenditur eo, quod Nonius p. 308 hunc versum afferens „quantum potes“ habet. Ne quem offendat futurum cum imperativi præsente iunctum, cf. infra 229: „si alius ad me prius attulerit, tu uale!“ Merc. 304: „Decide collum stanti, si falsum loquar“. — 157. *quam magis . . . tam,* i. e. quanto . . . tanto, cf. Bacch. 1083: „Quam magis id reputo, tam magis uror“. 1069: „Quam magis . . . magis“. Men. 95: „Quam magis . . . tanto“. Pœn. 345. Lucret. I, 536: „Et quo quaeque magis cohibet res intus inane, Tam magis etc.“ Nonius ter h. v. afferens (p. 247, 266, 381) ubique „Quo magis te“, contra Plauti usum. — *te* non eliditur. Müller transponit: „Quam te in altum magis capessis“. Quod autem in altero membro *magis* omissum est, cf. Merc. 120, ubi cum Pylade scribendum: „Quam maxume resisto, tam res in periclo uortitur“. Alibi „tam“ quoque (aut tanto) omittitur, ut Plin. Paneg. 73: „quanto magis a te reprimebatur, exarsimus“. — *te capessis,* cf. Amph. 258. — 158. Quod lena ædes suas cum portu comparavit, Argyrippus in similitudine manens ipsam portitorem dicit, sed portorium se soluturum negat, cf. infra 239. Versum affert Nonius p. 24. — 159. *tractare exequar,* i. e. pergam, cf. Merc. 901: „inceptum hoc itiner perficere exequar“. — 160. Numeri claudicant. Both.: „Quom tu med . . . . eiicias domo“. Fl.: „Quoniam . . . . quae me eicis domo“, quod recepimus, ne alterum enuntiatum obiecto careret. Indicativus post *quom* ferri poterat (cf. v. 79), sed eo retento versus diæresi careret. — 161. *percipimus,* intelligimus, cf. Curc. 159. Mil. 873. — 162. *ab* præpositio quoniam et poni et omitti potuit, fortasse fieri potuit ut priore loco abesset, altero non abesset. — 163. *Solus si ductem,* si solus ea potiar. *Si* est „etiamsi“; indicativus in sententia primaria frequens est

apud Plautum, cf. infra 411. Cas. 291: „si tu nolis . . . liber possum fieri". Epid. 601: „Si undecim deos præter sese secum adducat Iuppiter, Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum". Most. 344: „Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest". Trucul. 864: „si uelim, non est locus". — 165. *promissum*, te solum eam ductaturum. — *hac lege*, quam dixi, si solus dabis, quæ poscam. Idem aliis verbis significatur iis, quæ sequuntur: *dum*, i. e. dummodo, ceteros amatores dando superes. — 166. *Qui modus dandi?* præbendi nullus terminus fore videtur. Fleckeisen Acidalium secutus ex v. 168 ed.: „Quid modist dando?"; vix opus. — 167. *quom* pro *quod* Both. et oratione et versu iubente; nam „quod" si „quamvis" significaret, coniunctivum requireret, v. infra 750. Cum h. v. cf. Trucul. 52: „Priusquam unum dederis, centum, quæ poscat, parat". — 168. *ductando*, *amando*, asyndeton, cf. Amph. 13. — 170. *quod mecum egisti*, sc. ut darem. — 171. „*hostimentum* est æquamentum", ait Nonius p. 3 h. l. allato; „beneficii pensatio" Festi Epit. p. 102, cf. Fest. p. 270 b: „redhostire, referre gratiam . . . et hostire pro æquare posuerunt", cf. infra v. 374. Ad v. *opera* Nonius p. 529 versum iterum adfert. — 172. *officium meum*, i. e. quod lenam decet; cf. infra 377. Aul. 396: „Coci hercle credo faciunt officium suum" (i. e. furandi). Pseud. 918. Rhetor. ad Herenn. II, 10, 14: „calumniatoris officium". Truc. 699: „Lepide ecficiam meum, era, officium; uide intus modo ut tu tuum item ecficias". — 173. Versum in codd. parum plene scriptum servavit Nonius p. 309 et 493. *fictum* ad artem plasticam pertinet. — 174. *Ubi.* Nusquam, ait, lena cum amante bene agit, neque aut artifices aut poetæ tale factum umquam expresserunt. — *quae frugi esse uolt*, i. e. quæ suam rem bene gerere vult. De modo cf. ad Amph. 167. — 175. Cf. Trucul. 171: „Rapere otiose oportuit, diu ut essem incolumis uobis". *tandem*, i. e. si nulla alia de causa, saltem ut diutius durem. Hæc vox enim non solum in interrogatione indignantis, ut „quousque tandem?", sed etiam in sententiis declarativis interdum prope accedit ad significationem voc. „tamen" aut „saltem", cf. Mil. 1055: „nimis uilist tandem". 1339. Cas. 735: „properate . . . tandem ut ueniamus luci". Pers. 291. Stich. 760.

Ter. Eun. 1055: „ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem". Phorm. 630: „at tandem tamen Non capitis ei res agitur, sed pecuniae". Lucret. III, 793: „soleret tandem in eodem homine atque in eodem uase manere". — 176. *Non tu scis?* cf. Amph. 696. infra 214. — *parcet;* expectabatur præsens; futurum ad admonitionis formam accedit. Cf. Curc. 492: „conmeminisse ego haec uolam te". Mil. 397: „Narrandum ego istuc militi censebo". — 179. *patinarium,* i. e. in patina elixum, cf. Plin. H. N. XXIII, 2, 33, 68: „decoquitur in patinis cum sale". Hor. Sat. I, 3, 80 et II, 8, 43. Pariter ut h. l. elixi et assi pisces inter se contrarii ponuntur Hor. Sat. II, 4, 38: „Ignarum quibus est ius aptius et quibus assis Languidus in cubitum iam se conviva reponet". — 180. *ibi* Barth. em., recte; nam si retinetur „ubi", apodosis expediri nequit, quam qui ab „illi rei" incipiat, non satis sententiæ consulat; Geppertus, qui a „Neque" incipit, „Nec" pro „non" positum frustra defendere conatur, Stud. II, p. 36. — 182. *uolt mihi* codd.; *mihi* ultimam longam habet, v. Spengel, Plaut. p. 56. Fl. ediderat: „mihimet uolt". — *pedisequae,* cf. Aul. 798: „ex gnatae pedisequa nutrice anu". Ad sensum comp. Men. 530. Ter. Heaut. 300: „Nam disciplinast eis demunerarier ancillas primum, ad dominas qui adfectant uiam". — 183. *quoque* non facile priore loco ponitur nisi in „quoque etiam", de quo v. Amph. 30; nec tamen ausim cum Fl. totum versum refingere: „Uolt famulis, ancillis uolt et quoque etiam catulo meo". — *Catuli* deliciarum causa nutriti sæpius commemorantur, maxime Melitæi, vid. Theoph. Char. 21. Becker, Charicl. I, p. 381 sq. — 185. Cf. Trucul. 918 sq.: „Uenitne in mentem tibi quod uerbum in cauea dixit histrio: Omnes homines ad suum quaestum callent nec fastidiunt". 415: „Ad suum quemque aequomst quaestum esse callidum". Quem versum, quia huius prorsus similis esset, quidam pro spurio habuerunt, mea quidem sententia parum consulte; nec enim semel factum est, ut eadem sententia fere iisdem verbis in duabus fabulis expressa sit, ut Capt. 658 sq.: „Decet innocentum seruom atque innoxium Confidentem esse, suum apud erum potissumum". cf. Pseud. 460 sq.: „Decet innocentem, qui sit, atque innoxium Seruom superbum esse apud erum potissu-

mum". Merc. 221—23: „Miris modis di ludos faciunt hominibus Mirisque exemplis somnia in somnis danunt. Uelut ego nocte hac, quae praeteriit proxuma" etc., cf. Rud. 593—94 et 96. Atque etiam in eadem fabula, ut Men. 604 et 642: „Per Iouem deosque omnes adiuro, uxor; satin hoc est tibi?" Pers. 468 sq. et 726 sq.: „Age illuc abscede procul e conspectu. Tace. Ubi cum lenone me uidebis conloqui". Pseud. 381 comparetur cum 604, 384 cum 588, 409 cum 793, 485 cum 528.

187. *praehibeas* Barth. em., cf. Rud. 138: „Ut uerba praehibes, me perisse praedicas". — 188. *postulas*, v. ad Amph. 357. — 189. *Non meumst*, cf. Mil. 1354: „Non est meum". Ter. Heaut. 549: „Non est mentiri meum". Mox „mecum" B pr. manu, sed *c* erasum. — *gratiis*, cf. v. 5. 193. — 192. *duo talenta*. Ludibrii causa hoc dicitur; infra v. 228 alia condicio proponitur. — 194. *si non est*, unde numerem. — Post *credam* B interrogandi signum habet, recte omissum ab editoribus. — 195. „*Abusa*, utendo consumpta" ait Nonius p. 76 h. l. allato. Active ponitur Bacch. 356: „nos aurum abusos". Trin. 682: „Me qui abusus sum tantam rem patriam". — 196. Pro *numquam* Fl. „nec te"; vix opus. — 197. Post *noctem* hiatus in cæsura; Müller „haec sola" scribi volebat. In prima dipodia proximi versus (198) syllaba desideratur; nam parum credibile est ultimam vocis *cetera* productam esse. Antiquiores edd. „quaeque" scribebant, i. e. quæcunque, cf. infra 401. Capt. 790: „Dentilegos omnis mortalis faciam, quemque offendero". Mil. 156: „quemque in tegulis uideritis". Merc. 20: „quemque adtigit". Fl.: „quae [nos] uolumus". Müller: „Cetera [si] quae uolumus". — Præter diem, aquam similiaque, quæ omnibus communia sunt, cetera omnia, velut panem, vinum, sibi emenda esse ait, et quidem non fide data, nam pretium sibi neminem crediturum, sed præsenti pecunia. *Graeca fides* enim nulla fides est, quoniam Græci emptoribus nihil credunt. Hoc iam Lambinus vidit. Ceteri interpretes fere, Turnebum secuti, Græcam fidem optimam esse, hæc autem Plautum ex Græco accurate vertisse et Græco more Græcos laudasse putarunt. Qui hæc de Plauto mutuatus est Ausonius, Epist. 10, v. 42: „non Pœna, sed Græca fide". ib. 22, 24: „Mutuatur ad Græcam fidem", quo modo acceperit, non admo-

dum liquet. — 200. *Si aes habent*, i. e. ære accepto. Cf. Horat. Ep. I, 16, 47: „Habes pretium; loris non ureris". — *disciplina* codd., quod si Plautus scripsit, hiatus post h. v. est. Sed malui cum Fleckeisenio antiquiorem vocis formam restituere, quam præbent codd. Most. 150. Significat autem mores, cf. Cas. 623: „Quod haud Atticam condecet disciplinam". ib. 628: „malarum malam disciplinam". Cist. 17. Mil. 187. Merc. 114. Trucul. 132: „Oles unde es disciplinam". Ter. Heaut. 300. — 201. Quod ad credendum, inquit, manus nostræ *oculatae* sunt, i. e. oculis instructæ. Ut oculi nihil credunt, nisi quod vident, ita manus nihil cuiquam credunt, nisi pretium viderunt. Cf. Trucul. 486: „Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem". — 202. *Nihili coactio est* codd., correcto leviculo errore codicis B. Vetus proverbium affertur, sed non integrum. Prima eius pars est „Nihili coactio est"; genetivus, qui sequi debebat, non ponitur; quid esset, Plauti spectatores omnes norant, nos ignoramus, nisi quid coniectura suspicari possumus. *Coactio* autem dicitur pecuniæ, ut Sueton. Vesp. 1 coactiones argentarias, Horat. Sat. I, 6, 86 aliique coactores commemorant. Lena præsenti pecunia ait sibi opus esse, nec se operam perdere velle in cogenda pecunia, quæ nulla corradi possit. In proverbio fuit coactio non pecuniæ, sed alius rei ab omnibus contemptæ. Fumi aut pulveris coactionem significari posse ei forsitan in mentem veniat, qui Frontonis harum rerum laudes legerit, argumento, ut ipse ait, a Romanis parum tractato, „nisi quod poetæ in comœdiis vel atellanis adtigerunt" (p. 254 Nieb.). Sed fumi aut pulveris nomen cur omitteretur, nulla causa erat; fœdam aliquam rem proverbium nominasse videtur. Hic quum Turnebus veram viam ingressus esset, Lambinus ceterique pessime aberrarunt. Interpretes enim fere Lambinum sequuntur, qui coniecit: „Nihili cocio est, si est coecus", coctionem, ut est in epit. Festi p. 51, aut cocionem s. cotionem, ut est in Laberii fragmento ap. Gell. XVI, 7, 12 (cf. Fleckeisen in Mus. Rhen. VIII, p. 231), mercatorum vel negotiatorum genus intelligens. — In v. *coactio* duæ priores per synizesin coalescunt, cf. Proleg. p. 216.

203. *Aliam nunc*. Hæc duo verba B antecedenti versui adiungit. — 204. Versus ἄμετρος. Ut numeris mederetur, Lam-

binus scribebat: „Longe aliam te praebes, inquam". Rectius Fleckeisen pro spuria Plautinorum verborum circumlocutione habuit. — 205. *benedice*, bonis verbis, vix alibi extat. — 208. *quasi columbae pulli.* „Nota est columbarum in osculando improbitas et lascivia", ait Lamb. coll. Catul. 68, 125 sq. Prop. II, 15, 27. Matio ap. Gell. XX, 9, 2. — 209. *meo de studio erant*, i. e. ad meum studium accommodabantur; cf. Most. 761: „de exemplo meo ipse aedificato". Mil. 1023: „de meis uenator uerbis". — 210. *adhaerebatis*, sc. mihi. — 211. *uotueram*, sic B man. pr. — 213. *neque nolim*, auditur „quid", nam addere voc. audacius foret, quamvis versus patiatur correpta ultima vocis „uelim". — 214. *aucupi*, i. e. aucupii, ut in codd. scribitur. Lenonum et meretricum quæstus sæpius cum aucupio comparatur, ut Bacch. 48 sq. Pœn. 679. Trucul. 951. — 215. *concinnauit*, i. e. paravit, cf. Rud. 96: „concinnem lutum". Cat. R. R. 114: „Vinum si voles concinnare ut alvum bonum faciat". Nugatur Nonius p. 43. Potius contulisset Nævii locum, quem habet p. 90: „rem hostium concinnat". *Area*, locus ubi auceps pedicas sive laqueos ponit. *Offundit cibum*, escam spargit, qua capiuntur aves. — 216. *necesse* mediam corripit, ut Pseud. 998; cf. Prol. p. 198. Quod quum non ferrent edd., Both. „Adscuescit auis" scripsit, Fleckeis. excidisse versum putavit, ex quo extrema vox *aves* in hunc translata esset. Sed sententiæ causa nihil omnino desideratur. — 217. *sunt captae* codd.; „captae sunt" Gronov., ne versui diæresis sua desit. — *rem soluont*, i. e. debitum reddunt, cf. 319. (430). 451. Curc. 552: „tibi res soluta est recte". 617: „rem solui ab trapezito". 718. Pseud. 634. Pœn. 1354: „Collo rem soluam". Liv. VI, 14, 5: „rem creditori palam populo solvit". — 219. *inlex*, ab inliciendo, est laqueus aucupis, quo aves capiuntur, ut et hic locus clare ostendit et Lævii versus apud Apuleium de Magia 30: „inlices bicodulæ", i. e. binis codis instructæ, nam caudæ appellantur pedicarum extrema. Cf. Non. p. 6: „illicere est proprie illaqueare". Male vulgo „aves esse" enarrant „quæ alias alliciunt vocanturque a Græcis παλευτρίαι". Extat vox præterea Pœn. 748: „Qui illi malae rei tantae fuimus inlices". Pers. 596: „me impulsore aut inlice". Cf. etiam Bacch. 53: „Magis inlectum

tuum quam lectum metuo". Apul. Mag. 31: „illex animi Venus". Cf. etiam Madvigii Adv. Crit. II, 25 (ad Lucr. IV, 1051). — 220. *salutando . . . conpellando*, i. e. quum salutantur, compellantur, vel quum eos salutamus, compellamus, vid. Madv. Gram. 418. Amph. 582: „neque fando umquam accepit quisquam". Lucret. I, 312. Verg. G. III, 454. — *blanditer* extat etiam Pseud. 1288. — 221. *uinnula*, i. e. blanda. Nonius p. 186 propter h. v.: „Vinnulum, sensilocum, illecebrum", i. e., si barbarum sermonem intelligo, quod ad sensus loquitur illecebrasque continet. — 222. *pertractabit* B vulgato errore pro *pertractauit*; sic enim scribendum esse ostendit proximum „sumpsit". Post *re* hiatus est, quem ut vitaret, Fl. „haut [id] est" scripsit. — 224. *in ludo*, non litterarum, sed amoris. — 226. *mercedem*, quam nobis des. — 228. *ne cum quiquam alio sit.* Fl. sine causa transposuit: „ne sit cum quiquam alio". — *Tune*, ἀνακολούθως. Camer. „tene", fortasse recte. — 229. *tu uale;* directa oratio pro indirecta, ut te valere iubeam, s. ut tu abeas. — 230. At est, inquit, etiam quod volo loqui, prius quam abis. Ad verborum ordinem quod attinet, in sententia relativa aliquoties pronomini non solum alia verba non pauca anteponuntur, sed etiam integræ sententiæ, cf. infra 321. Cist. 481: „quae dudum fassa est, quaene infitias eat". Mil. 916: „Si non nos materiarius remoratur, quod opus, qui det". Stich. 121: „Quoi male faciundist potestas, quae ne id faciat, temperat". Lucret. II, 474 sq.: „umor dulcis, ubi per terras crebrius idem percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat". VI, 140: „Hic, ubi lenior est, in terra cum tamen etc.", i. e. Cum tamen hic etc. — 231. *iam;* expectabatur „etiam". Nondum se prorsus exhaustum esse dicit, pauca relicta esse, quibus absumptis maior etiam miseria sua futura sit. — *relicuum* scripsi cum Fl., quia vox quattuor syllabis pronuntianda est, cf. Proleg. p. 215. Locis ibi allatis addantur Cist. 185. 336. Merc. 538. Pœn. 118. Trucul. 15. — 232. *in leges meas*, i. e. condiciones, cf. v. 229. 740 sqq. Capt. 181. Ter. Heaut. 998: „pacem in leges conficiet suas". Liv. XXXIII, 30, 1: „pax data Philippo in has leges est". — 233. *ut scire possis*, i. e. ne nescias, parenthetice interponitur. Versus causa cum Bothio „uti" scripsi. — 235. *domi* etc., i. e. omnes viros, qui domi

meæ serviunt, castrabo. — 236. *syngrapham* codd., quæ apud Ciceronem constans huius voc. forma est, Plautina fuisse non videtur; nam infra 739 legitur „quem syngraphum". 795: „scitum syngraphum". Capt. 448: „quem syngraphum?" Etenim quæ apud Græcos dicebatur ἡ σύγγραφος, Plauto masculini generis facta est, ut σχῆμα feminini, v. Amph. 117. Quare Fleckeisenium secuti *syngraphum* scripsimus. Scripto eum cavere iubet, quales se esse velit. — 238. „adfercto" B m. pr. — 239 sqq. Hæc, si codd. sequimur, Argyrippus, postquam abiit lena, solus secum loquitur. Lambino auctore edd. duos priores versus lenæ tribuerunt; mihi non minus bene adulescenti convenire videntur. Quod autem cum portitore comparantur ianuæ, non lena, talis incuria tam frequens apud antiquos est, ut admirationem moveat Bothii audacia „Portuum" scribentis. — 242. Cf. 630. — 243. *opibus*, cf. Most. 341: „summis opibus atque industriis". Adiectivum „omnibus" quod h. l. desideratur, alteri membro additur: „omni copia". — 244. *exobsecrabo*, ἀπ. λεγ., gravius est quam obsecrabo. — *ut quemque*, cf. ad Amph. 1064. — 245. *certum est mihi.* Sic et codd. Plautini et Nonius p. 296; sed numeri obstant. Both. transp.: „adire certum mi est atque experiri". Fleckeisenii ingenium pro „certum est" *stat* reposuit, ut Nep. Attic. 21, 6: „Nam mihi stat alere morbum desinere". Nec veri simile est, Plautum ea verborum inopia laborasse, ut bis in duobus versibus „certum est" poneret. — 246. *mutuas non potero*, sc. sumere viginti minas. Auditur verbum ex sequenti, cf. Capt. 301: „Memini quom dicto haud audebat, facto nunc laedat licet". Versum affert Nonius p. 439 his additis: „Mutuum a fenore hoc distat, quod mutuum sine usuris, fenus cum usuris sumitur".

---

247. Redit Libanus, sed nondum inventa qua opus erat fallacia, quare vehementer suam ipse socordiam increpat. Hæc quoque scena trochaicis septenariis composita est. — 248. Si hic versus recte scribitur, *fingere* ultimam producit. Quod quum parum veri simile videretur, antiqui editores „te" addebant, quæ vox male abundat. Sed non laborandum, si quidem iure Both. Fl. Müller versum pro spurio eiecerunt; est enim

tam similis v. 250, ut uterque simul retineri non possit. — 249. *discesti*, v. Proleg. p. 211. — *abiisti* quattuor syllabis pronuntiandum esse versus ostendit. — 250. *Igitur* interpretes cum antecedentibus iunxerunt, quasi esset „ideo“ aut „idcirco“, quod fieri non potest, si quidem hæc vox non causam aut consilium, sed consecutionem vel effectus vel solius temporis (vid. ad Amph. 207) significat, Amph. 336 autem quin mala manu additum sit, nemo dubitat. Aut igitur vox corrupta est, aut nova sententia inde incipienda, quasi: „Tu igitur, quid fecisti? Dormitasti“. Nec a Plauti ratione hoc abhorrere arbitror. Similis locus est Merc. 349: „Igitur hocine est amare?“ quamquam ibi quoque de veritate scripturæ dubitatum est. — 252. *Quin* in adhortatione apud Plautum tam cum indicativo quam cum imperativo iungitur; nec si scriptum esset: „Quin reicis . . . atque recipe“, admodum offenderet (cf. ad Mil. 523), nam imperativus etiam sine particula intelligitur; ut hic est: „Quin reice . . . atque recipis“, intelligi non potest, quamvis defendat Müller, Nachträge p. 5. Quare Lambinus et inde ab eo omnes ediderunt: „Quin ... reicis, segnitiem amoues“. Quod cur corruptum sit, ægre perspicitur. Mihi veri similius videtur, posteriorem versum corruptum esse ac pro „te recipis“ scribendum esse „recipe te“. Ad phrasin cf. Ter. Ad. 71: „si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit“. *uetus*, i. e. antiquum, cf. Amph. 118. — 254 sq. Noli, inquit, alios imitari servos, qui calliditate sua non ad servandum, sed ad fraudandum herum utuntur. — 256. *Quem interuortam?* i. e. fraudem, privem; cf. infra 356. Pseud. 904. Rud. 1400. — *Celocem* (B. celo $\overline{ee}$). Cum nave speculatoria ingenium suum fallendi occasiones undique quærens comparat. Has naves Græcos κέλητας appellasse Gellius X, 25, 5 tradit. Nonius p. 532: „navigium breve, dictum a celeritudine“; affert et h. l. et Capt. 866 et Pœn. 546; add. Mil. 980. Pseud. 1304. — 257 sq. *inpetritum*, *inauguratum est*, i. e. deorum sententiam quæsivi et auspiciis exploravi, cf. Cic. Divin. I, 16, 28: „ut nunc extis, sic tunc avibus magnæ res impetriri solebant“. II, 15, 35: „ut is, qui impetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet“. Val. Max. I, 1, 1. *inaugurare*, v. Liv. I, 6, 4 et 36, 4. Bona ait se assecutum auspicia, aves

undique addixisse, ut in quamcunque partem se conferre velit, permittere videantur. (*admittunt* iam in codd. em.). Augures alias aves ab alia parte apparentes fausta omina præbere docebant, plerasque ab læva, infelices ab dextra, vid. Cic. Divin. I, 39, 85: „cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum". Plaut. Aul. 614: „Non temere est, quod coruos cantat mihi nunc ab laeua manu". De *parra* v. Hor. Od. III, 27, 1: „Impios parræ recinentis omen ducat". Ceterum h. v. secunda demum (ut videtur Camerarii) manu in cod. B scriptum est; fuerat *porro;* emendationem flagitabat pluralis numerus *consuadent.* In priore versus parte voc. *est* om. Fl., recte. — 260. Versum hunc cum 262 affert Nonius p. 414 omisso voc. „hoc" et *haud* pro *non* scripto, quod cur præferamus, nulla causa est. *Non temerarium est* legitur etiam Aul. 179; alibi *non temere est*, ut Aul. 614. Ter. Eun. 291. Heaut. 620. Quod picus ulmum tundit, quia ex ulmo virgæ fiebant (v. 338. 360.), veretur, ne hoc omine virgæ significentur. — 261. Codd. *ex augurio auspicii.* Camerar. et posteriores: „auspicioque"; verum invenit Gertzius, nam *eius pici* scribendum est. In diæresi hiatur. — 262. *in mundo*, i. e. paratæ, cf. 314. Cas. 542. Epid. 609. Pœn. 786. Pers. 46. Stich. 477. Charisius p. 180: „In mundo pro palam et in expedito ac cito, Plautus in *** Quia sciebam, inquit, mi pistrinum in mundo fore", quæ Ritsch. ad Pseud. 499 pertinere suspicatus est. — *Atriensis*, qui atrium servat (vid. Pœnul. 1287), atrio præpositus atque adeo totius domus quasi procurator quidam, vel quia atrium præcipua pars ædium erat, vel quia ibi in armariis et arcis, si quidem exempla Pompeiana communis moris documenta sunt, pecunia et pretiosa vasa servabantur. Cf. Pseud. 613: „Condus promus sum, procurator peni. H. Quasi te dicas atriensem. P. Immo atriensi ego impero". Casin. 439. Cic. Parad. 5, 2, 38: „Si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, quum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem an atriensem diligentem putaret?" — 264. Quum festinatio Leonidæ eum novi aliquid afferre indicet, propter illud omen timore afficitur. Versum affert Nonius p. 145 sq.: „*Obscenauit*, quasi scevam (cod. scevum) malum omen obtulit (cod.

abstulit). Plautus in Asinaria *metuo* cum illic obscevavit etc.". Unde Camerarius verum verbum restituit. Extat etiam Stich. 462: „Bona mi scaeua obscaeuauit". Scaeua omen est, vid. Casin. 892 sq. Pseud. 1136. Et in bono et in malo omine poni diserte testatur Fest. p. 325, quamquam et hic (vel Verrius) et Varro (L. L. VII, 97) proprie in malo sive sinistro, utpote a Græco σκαῖος derivatum, poni debere docent. — Ex eodem Nonio assumendum erat *quom* pro *quod; quom* est postquam aut quoniam, v. Amph. 746; *illic* autem picus est ulmum tundens. — *falsae fallaciae;* Plautus sæpe sibi placet in tali abundantia, qua adiectiva adiunguntur substantivis eiusdem stirpis eiusdemque significationis, v. ad Amph. 274.

265. Adcurrit Leonidas, alter servus, Libanum et Argyrippum quærens. *requiram*, i. e. quæram, cf. Cist. 553: „quid quaeritas? H. Vestigium hic requiro". Epid. 488: „Ego illam requiram iam, ubi ubi est". Ter. Phorm. 309: „eum require atque adduce huc". — *familiarem filium*, i. e. herilem filium, filium familiæ, cf. 307. Capt. 272. — 266. *lubentiores quam Lubentiast*, cf. Cist. 471: „O salute mea salus salubrior!" Lubens est gaudens (v. Cist. 508), lubentia gaudium, cf. Stich. 276: „onustum pectus porto laetitia lubentiaque". — 269. *quam nanctus*, sc. sum, vid. ad Amph. 56. Versum affert Nonius p. 472 propter activam formam *partiam*, alterum Lucilii exemplum laudans. Apud Plautum extat etiam Amph. 1046. Mil. 708. — 271. *obseruauit*, i. e. seruauit, sc. ianitor; cf. Mil. 354: „Id me agere oportet, hoc obseruare ostium". — 272. Versum affert Nonius p. 72 et 271, utroque loco recte scriptum. *aetatem*, v. 21. — 273. Per me, respondet Libanus, servias licet, quam diu vives; ego nullam operam dabo, quo citius liber fias. Post *hercle* hiatus, cuius vitandi causa Both. „liber opera" scribebat, Fl. „tu" addebat post „opera", Müller „hodie" post „hercle". — 274. Plus etiam promittit, ut voti sui compos fiat Libanumque conveniat; sed iocando quasi boni aliquid plagas de tergo suo se daturum pollicetur, et tumentes quidem, quo pretiosiores videantur, sicut prægnantia pecora pretio ea superant, quæ nullam spem fertilitatis præbent. Alter recte animadvertit eum quidquid habeat largiri, nec præterea quidquam ei esse peculii.

Praegnas pro prægnans apud antiquos Latinos scribebatur, vid. Corssen, Aussprache etc. d. latein. Sprache I, p. 96 sq. Indic. Corp. Insc. Lat. I, p. 608. — 276. *se supterduxerit*, cf. Mil. 345: „Ne tibi clam se supterducat istinc". Si tempus, inquit, huic fraudi opportunum aufugerit, Libanus numquam assequetur; quod si parum usitate, vel, si quis hoc malit, parum accurate dixit, saltem melius, quam quod „vir doctissimus" apud Loman. Spec. p. 16 voluit: „occasionis tempus"; nam potius temporis occasio dicenda erat. Verum numeri non constant, quare edd. verba transposuerunt, Both.: „Nam si se huic o. tempus supterduxerit"; Fl.: „occasioni huic"; Müller: „Nam huic si". Equidem „sese" pro „si se" scriptum esse censeo, et hoc restituto alterum „si" deleverim. — 277. *indipisco*, quod legitur etiam Aul. 766, sive *indipiscor* (Epid. 443. Rud. 1315. Stich. 563. Trin. 224), compositum ex indu et apiscor, est, ut ait Epit. Festi p. 106, assequor, adipiscor. — *Quadrigis* ad summam celeritatem significandam sæpius utitur Plautus, v. ad Amph. 418. *Albi* et deorum et triumphatorum equi erant, qui cum magnificentia et pulchritudine ceteros præstare viderentur, tum celeritate excellere putabantur; cf. Hor. Sat. I, 7, 8: „Sisennas Barros ut equis præcurreret albis". Catul. 58, 10: „Non Rhesi niveæ citæque bigæ". — 278. Post *erum* hiatus, cuius vitandi causa Fl. „ille" addebat, Müller, quod ferri non potest, „si". Comparationes a re militari ductæ admodum frequentes sunt apud poetas comicos Romanos, cf. supr. v. 105. Terent. Heaut. 669: „in angustum oppido nunc meae coguntur copiae"; v. Kampmann, de re militari apud Plautum. — 279. *opprimere*, i. e. arripere. — *opimitates*, divitiæ, cf. Capt. 762: „Maxumas opimitates opiparasque offers mihi". Non. p. 146 gravi errore optimitatem legit. — 281. *eris* iam in codd. emendatum. — V. 282 Nonius affert p. 72. — 284. *in conmune*, et mihi et sibi. — *fraudem fraususs sit*, i. e. fraudem commiserit. „*frausus* pro fraudatus" Non. p. 112, h. v. laudato, cf. Epit. Festi p. 91. *sit* olim emendatum, cf. Amph. 971. — 285. *oppido*, v. ad Amph. 295. — 286. Quod Leonidas socium sibi quærit, Libano timorem indicare videtur. Hoc cum summo gaudio, quod in prioribus ostenderat, non magis convenire, quam cum sudore tremorem,

quæ si non sibi succedunt, sed iuncta inveniuntur, pro portento habendum est, gravissimum morbum indicante. — 287. *quando* iam secunda manu in B suppletum ex Nonio p. 412: „quando sudat qui tremit". — 288. *concesso,* i. e. cesso, cf. Pœn. 218: „numquam concessamus lauari". Pedibus se ait cessare, sive tardum esse, lingua promptiorem. Bosius „cum cesso" scribebat, *largior* pro verbo accipiens, quasi „largus sum", sed transitiva verbi vis est. — 289. *lacerat,* perdit, cf. Stich. 454: „mihi ego hunc lacero diem". Vulgo dicitur, ut Cas. 543: „contriui diem". Quæsitius Men. 152: „comburamus diem". Stich. 437: „diem excruciavero". Horat. Od. II, 7, 7: „Sæpe diem mero fregi". — 290. Post *hominem* hiatus; Fl. „Heu edepol" ed. Quod Leonidas sibi dixit linguam comprimendam esse (cf. Mil. 572: „linguam comprimes posthac" al.), Libanus servili scurrilitate in obscenam partem detorquet linguæque, quæ patrona eius sit, quippe cuius unius opera salvus esse possit, vim afferendam esse negat. Lingua se defendentes malos homines sæpe producunt poetæ. Ab iis etiam *γλώσσασπις* dicebatur *ὁ τῇ γλώσσῃ ὁποίᾳ καί τινι προβολῇ χρώμενος διὰ τὸ στωμύλλεσθαι ἀναιδέστερον,* ut ait Eustath. ad Od. III, 332. — 291. *pericrat*, i. e. periurat, peierat, ut vulgo dicitur; sed illa forma antiquior est. Extat in codd. B et D h. l. et Truc. 30; in Sticho 233 A: „perieratiunculas". In Bacch. 1023. 1035. Pœn. 1246 codd. „periurare" habent, sed quia vocalis brevis est, *perierare* scribendum, v. Bugge in Tidsskrift for Philologi VI (1865), p. 7, Usener in Jahrb. f. Philologie XCI, p. 226. Querolus p. 11, 18 Peiper. — 293. *electabo*, i. e. eliciam, ut ait Ep. Festi p. 76. Cf. Merc. 220. Versum adfert Non. p. 232 s. v. advorsum.

295 sq. Delectantur servi se ipsi gravissimis maledictis alloquendo, qualia ab aliis audire solebant. *Gymnasium flagri* est ubi flagella exercentur, cf. Aul. 400: „ita me iste habuit senex gymnasium". *Custos carceris,* qui carcerem tenere, i. e. quem carcer tenere solet, cf. Capt. 644: „Quid cessatis, compedes, Currere ad me meaque amplecti crura, ut uos custodiam?" — *Catenarum colone* (affert Non. p. 250), i. e. qui catenas incolis vel inhabitas. A coloniis Romanorum non raro Plautus similitudines petit, cf. Aul. 566. Epid. 339. Pseud. 1100. —

Uirgarum lasciuia, „in cuius tergo lascivire et exsultare solent virgæ“, ait Lamb. — 297. *ted* pro *te* scripsit Camerarius in hoc et proximo versu. Extat illa forma in cod. supra 162 infra 532. 765, ut *med* supra 20. infra 625. Bacch. 353. Curc. 594. Ep. 620. Men. 707. Stich. 751. al. Müller verba transponere malebat („te censes esse“). — Novum ludibrium Leonida excogitavit et ipsum a servili pœna petitum. Nam servi ubi virgis aut loris verberandi erant, aut ad columnam palumve adstringebantur (Bacch. 816), aut manibus vinctis de trabe suspendebantur, vid. infra 557. 610. Amph. 276. Aul. 633. Casin. 914. Most. 1148. Men. 931. Pœn. 148. Trin. 247. Trucul. 764. Ter. Eun. 1021. Phorm. 220. Tum vero etiam, ne inter vapulandum calcitrarent neve pedibus aut calcibus eos, a quibus verberabantur, peterent, ad pedes pondera alligabantur, et quidem admodum gravia, si quidem h. l. *centumpondium* commemoratur; (extat eadem vox Cat. R. R. 13 extr.). Quo facto immobiles pendebant. Hanc pendentis hominis immobilitatem servus cum libræ quiete comparat, quæ efficitur perfecto utriusque lancis æquilibrio, quumque causa immobilitatis centumpondium sit, quasi æquilibrii causa sit, ipsum quoque centum pondo pendere dicit. Se hoc scire ait, quia ipse imperante domino eum suspenderit, vel, ne a similitudine abeat, libraverit. Hoc enim est *expendi*, cf. Bacch. 636: „Hunc hominem decet auro expendi“. Rud. 1087: „Aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur“. Sed hoc pondus ipsius esse dicit vel non appenso centumpondio, nam etiam alio modo servi pœnæ causa suspendebantur sine ponderibus, scilicet *per pedes*, ita ut caput inferius esset, cf. Casin. 367: „ut quidem hercle pedibus pendeas“. — 300. *Quo argumento istuc?* sc. dicis vel probas, cf. Casin. 761. Mil. 995. 1009. Rud. 1023. Trucul. 172. — 301. *adligatumst* olim emendatum. — *aequom*, iustum et accuratum, quo pondus aequari potest. — 303. Aequaliter librato pondere apparebit — quid? Expectabatur, te centum pondo pendere, sed sequitur παρὰ προσδοκίαν, te nequam et malum esse. Quæ his antecedunt, eorum hæc sententia fuerit necesse est: nec minus nec plus pendes. Codd.: *Nec dependis nec propendis;* sed iure Fl. secundæ coniugationis verba *de-*

pendes, *propendes* substituit. Turnebus „dependere“ inquit „est non satis pendere nec pondus æquare, propendere plus pendere“. Ac *propendere* quidem eam lancem dici, quæ pondere deprimatur, satis constat, v. Cic. Tusc. V, 17, 51: „tantum propendere illam lancem putat, ut terram et maria deprimat“; Plaut. Bacch. 508: „ramenta plumbea propensior“; sed huic contrarium, quo significatur lanx, quæ elevatur, aliunde non novimus; ex h. l. effici videtur ut eam simpliciter *dependere*, i. e. pendere, vel suspensam esse dixerint. — 304. *Hoc* codd., Fl. *Istoc*, quo et removetur hiatus molestissimus, et aptius pronomen restituitur, cf. Mil. 328: „Uae capiti tuo! P. [Tuo] istuc, Sceledre, promitto fore“. Spectat autem hoc pronomen ad antecedens „uae“, i. e. infortunium, solitoque more imprecatio redditur ingerenti. — 305. „Velitatio“ ait Nonius p. 3 „dicitur levis contentio, dicta ex congressione militum“ (immo „velitum“, cf. Fest. p. 369). Affertur præter h. l. Men. 767: „Nescio quid uos uelitati estis inter uos duo“, et Turpil. Lindia (v. 145 Rib.): „Comperce uerbis uelitare, ad rem redi“. *Verbis velitatio* est, quæ verbis fit, verborum velitatio, *λογομαχία*, ut recte Lamb. Non paucis placuit Meursii ratio verbiuelitationem una voce scribentis; sed substantiva verbalia apud Plautum sæpe verborum modo construi vidimus ad Amph. 515. *Conpendi facere aliquid* contrarium est expendendo. Dicitur ut lucri facere, nec tamen de acquirendo, sed de eo, quod parsimonia lucramur, ut fere idem sit quod parcere. Cf. Trucul. 374 sqq.: „Utinam . . . rei pepercisses meae! . . . PH. Si quid tibi Conpendi facere possim, factum edepol uelim“. Pers. 472: „conpendi feci binos panes in dies“. Transfertur deinde ad alias actiones, quas præstare non opus sit, ut Pœn. 348: „curam hanc facere conpendi potes“. Most. 57: „Orationis operam conpendi face“. Pseud. 1139: „operam fac conpendi quaerere“. Bacch. 180: „Conpendi uerba multa iam faciam tibi“. Lucil. XXIX, fr. 27 Müll.: „Orationem facere conpendi potes“. Alibi dicitur *conpendium facere rei alicuius*, ut Pseud. 609 „pultandi“, Rud. 180 „errationis“, Stich. 198 „praeconis“. Dativus Capt. 958 emendandus videtur. Cas. 494 sqq. „ponere ad conpendium“. — 306. Numeri versum non explent, quare Both. et Müll. transp.: „est negoti“,

Fl. „tibi“ excidisse putavit, quem nos secuti sumus. Quod autem vulgo editur: „Quid istud negoti est? LE. Certum est credere? LI. Audacter licet“, id in mediis vitio laborat; nam *certum est* Latine significat „decrevi, constitui“, nec, qui interrogaturus erat: „Num sine periculo hoc tibi credere possum?“, pro eo „Certum est credere“ diceret. Quare pro „est certum est“ scripsi *exortum est.* — Extremo versui librarius codicis B errore addidit *sis*, quod proximi versus principium est, nec tamen non suo quoque loco posuit.

308 sq. Maximum bonum adesse dicit, sed malo mixtum, quia haberi non possit sine maleficio tanto, ut, ingentes pœnæ secuturæ sint. (De soluto sententiarum nexu vid. ad Amph. 952). Carnifices, inquit, in nobis verberandis exultabunt; itaque omnes dies eorum propter nos gaudio celebrabuntur. Simplicius foret: Carnifices propter nos dies festos agent. — 310—12. Hi tres versus aliis verbis idem dicunt, quod tres antecedentes, ut facile credi possit eos a Plauto alienos esse. In his etiam sermo magis tritus est. In altero (311) numeri paulum turbati sunt; quare Both. Fl. transpos. „ego inueni“, Müller pro „modo“ „hodie“ scribebat. — 313. *Ergo*, vid. ad Amph. 172. Nuper inquit, scapulæ mihi *gestibant*, i. e. quasi libidinis pruritu afficiebantur, vid. Amph. 319; vulgatum erat „dorsus prurit“, ut Mil. 399. Tali omine aperte malum sive plagas significari dicit; scapulas igitur vaticinari s. *hariolari;* cf. infra 572. 915. Cist. 575. Mil. 1248. Trucul. 594. Most. 561. Ter. Ad. 202. — Post *sibi* hiatus, cuius vitandi causa Both. Fl. „esse sibi“ scribebant, Müller: „sibi sitam in mundo“, coll. Ep. 609. — 316. *Si quidem*, i. e. etiamsi, cf. 401. Mil. 189: „Si quidem centiens hic uisa sit, tamen infitias eat“. Pseud. 632. Rud. 1361: „Si quidem hercle Iouis fuit, meus est tamen“. Columel. Præf. p. 22 Bip.: „si quidem artis consummatæ non sit, ... multum tamen profecerit“. — *coniurati*, i. e. communi consilio; Fl. ex coniectura (Barbari?) „coniuratim“, non opus. Sensus hic est: Omnes licet ad me cruciandum coniuraverint, tergum adest, quo omnia feram. Cf. Pseud. 1323: „Quid minitare? Habeo tergum“. Bacch. 361: „Si illi sunt uirgae ruri, at mihi tergum domist“. — 317. *familiarem*, Nonius p. 227, qui quod inde efficit Plautum, rem

prorsus inauditam, tergum masculino genere dixisse, errat, nam familiaris est huius familiæ servus, conservus, vid. ad Amph. 127. Si vera sit codicum scriptura *familiare*, interpreter domesticum, meum, proprium. Solent Romani sic copias suas laudare, ut se domi aliquid habere dicant nec opus esse, ut foris quæratur, cf. Cic. Verr. III, 90, 210: „Non circumspiciam, non quæram foris". ib. 91, 212. Plaut. Bacch. 644: „Ut domo sumeret neu foris quaereret". Mil. 192 sq. 638. 349: „Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris". Unde etiam h. l. „nec" pro *ne* scribendum censebat Gertz., sed cf. Aul. 351: „Sunt igitur ligna, ne quaeras foris". Cist. 201: „Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quaeram". — 318. Versum affert Nonius p. 109 cum codd. congruens. Post *animi* hiatus in cæsura. Both. Fl. transp.: „Si istanc animi firm.". — 319. *Quin si tergo res solvendast*, ed. pr., cf. 217. „Immo" inquit „ut intelligas me verbera contemnere, si, posteaquam facinus aliquod fecero, tergo dependendum et corpore luendum est, vel publicam pecuniam rapere cupio" (Lamb.). — 321. *ista* in cod. B postea additum est. „Virtus est" inquit „si quis, quando opus est, malum fortiter fert". Pronomen relativum solutius additur, pro „si quis", cf. Men. 946: „Spectamen bono seruo id est, qui rem erilem procurat". Stich. 121: „Ubi facillume spectatur mulier, quae ingeniost bono? PH. Quoi male faciundist potestas, quae ne id faciat temperat". Ter. Heaut. 205: „parentum iniuriae unius modi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis". De ordine verborum vid. ad 230. — 322. *potitur* em. Lamb., quod verbum apud antiquos et tertiæ coniugationis esse et cum accusativo iungi posse constat, ut Terent. Ad. 871: „patria potitur commoda". Elegantias ex similitudine et oppositione verborum „potitur" et „patitur" poetam secutum esse facile apparet. Similiter Apuleius, Apolog. 9: „Hasce duas flammas, dum potiar, patiar". — 323. Versus cæsura carens; Müller coni. „Quin edisseris rem actutum? cupio me nanciscier" temere. — 324. „quidque derogita" ed. pr. „quidquid rogita" Both., recte. *unum quidquid*, i. e. unum quidque, vid. Madvig. ad Cic. Fin. V, 9, 24. Apud Plautum extat etiam Trin. 881. cf. Aul. 193: „ubi quidquid". Most. 819: „ut quidquid". Terent.

Ad. 590: „unum quidquid". — 325. *cursura* pro cursu Plautus sæpius, v. Non. p. 198. — 327. *maior* et *minor*, pater et filius, cf. Merc. 111: „Erus ut minor opera tua seruetur". — *apud forum*, v. ad Amph. 593. Mox „hic" in cod. B postea additum est. — *Iam satis est mihi*, sc. verborum; non est opus, ut plura dicas. Hæc Libanus iocabundus alio torquet, quasi dixerit Leonidas sibi satis bonorum esse. — 328. *diues* ultimam longam habet, v. Müller p. 49. Proleg. p. 196. Vix opus transpositione, qua Both. „es diues", Fl. „diues factu's" ed. — 329. Versus pede brevior, ut excidisse aliquid veri simile sit. Supplendi opera non difficilis est, sed incerta. — 330. Post *mecum* hiatus in cæsura. Müller „tu" addebat. — *Beas*, beatum me reddis, quod taces. Obiectum omissum est, ut Capt. 137: „Foris .... quod gusto, id beat". Mil. 470: „Nimis beat, quod"; additur Amph. 636. Ter. Eun. 279. — 331. *asinos Arcadicos* in Græcia nobilitatos esse testatur Varro, R. R. II, 1, 14. Plin. H. N. VIII, 43, 68, 167. — *Pellaeo*, ex Pella Macedoniæ. Infra 394 cod. „pelleo", quod quamvis parvi momenti sit, hic secutus sum propter correptam penultimam, de qua vid. Proleg. p. 209. Hoc non ferens Acidalius eumque secuti Both. et Fl. transposuerunt: „mercatori uendere Pellaeo nostrum atriensem". — 333. *Em* abfuerat a cod. B, altera manus addidit. *Em, ergo*, cf. Pœn. 729: „Em, istaec uolo ergo uos conmeminisse omnia". infra 428. — 334. *qui id* olim emendatum. — 335. *Iam deuorandum*. Tam cupidus huius lucri est, ut videatur in eum impetum facturus, quum primum conspexerit, et ferarum modo devoraturus. Pessime Acidalius obscenum sensum subesse credidit. — 336. *Sed tamen*. Affert, quod sibi subito in mentem venit, ut nos dicimus „à propos"; cf. Pseud. 1303: „Haud male mones. Sed dic tamen". Bothius ineptam librorum scripturam iudicans ed.: „Ita enimuero; sed temetum. Nempe etc." (!) *nempe* similiter ponitur Pseud. 1167 post „Quid ais?", Men. 523. Mil. 16 post „memini". — 337. Ludit in exaggeranda vilitate asinorum; quin pedum non solum ungulas eundo detritas dicit, sed omnia usque ad femora. — 338. *tibi*, in tuum usum, quibus tu plectereris. — 339. Maledictum Libanus statim regerit. *idem* pro „iidem" contractis duabus primis syllabis legendum, et una vocali

scribitur in B. — 340. *in tonstrina*, v. ad Amph. 1006. — 344. Post *argentum* hiatus in cæsura; corrigendum censet Müller p. 545. — 345. *sese* parum apte, maxime hac forma, repetitum sustuli suadente versu; Both. „mnas“ scribebat, Fl. „set se eum non“. — 346. *callide*, bene; cf. Ter. Andr. 201: „Quid, hoc intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem? D. Immo callide“. Hunc et proximum versum in codd. errore sedes mutasse olim intellectum est. — 347. *quoniam*, i. e. postquam, v. Fest. p. 261; cf. Aul. 9. Bacch. 288. Cas. 559. Mil. 129. Men. 470. Pœn. 668. Trin. 112. 149. — Interrumpitur oratio ab interlocutore moram non patiente, cf. Most. 455. 735. 1131. al. Fl., ne verbum deesset, „elocutust“ ed. Verum extrema vox *sic* vix vera est; antiqui edd. *sit* reposuerunt; sed coniunctivi nulla est ratio; saltem *est* scribendum erat. — 349. *med* editum est hiatus vitandi causa, cf. 297. Müller „me esse eum atriensem“ malebat. Tum *Si hoc* B pr. m.; altera manus *Sic*, ut cett. codd., male. *Sit hoc* scribendum videtur, i. e. sint ista, ἔστω ταῦτα. *respondit* quo minus in præsens mutemus, obstat perfectum „dixi“ v. 353. — 351. *si erum uis* codd., quod si verum esset, requireret in proximo versu „adducere“ infinitivo modo, et sic ed. Parei I, numeris iusto durioribus, quibus ita medebatur Müller, ut „hau“ pro „non“ poneret. Saniorem viam Both. institisse videtur „sis erum“ scribens; ego malui „erum si uis“. — 353. *dixi erum* pro „dixeram“ emend. Fl. — *adducturum* sc. domum. — 354. *in balineas*, ut decebat ex itinere venientem. Versum affert Nonius p. 194, sed corruptum. — 355. *dic* codd., Fl. „dice“.

357. *exasciatum* („exasceatum“ cod.) est ascia sive securi percussum aut cæsum. Lambinus „translatio“ inquit „est a fabris, qui ligna primum dolant et exasciant, deinde lævigant et poliunt. Hoc igitur significat, opus adhuc esse impolitum et imperfectum, sed tamen inibi esse, ut mox perfici et perpoliri possit“. Cui sententiæ quum sequentia („nam . . . exclusi sumus“) nullo causali nexu iungi possent, Acidalius „exasciandum“ vel „exasciato“ scribendum censebat, eumque Fl. secutus est. Quid autem, si similitudo non a fabris petita est, sed a lignatoribus, nec a materia dolanda, sed ab arboribus cædendis, ut exasciatum non sit prope perfectum, sed prope

perditum. Sic „deasciari“ (Mil. 881) significat truncari, mutilari. Et Libanus: „Opus nostrum“ inquit „pecuniæ parandæ arbori simile est iam securi percussæ brevique casuræ. Quare properato opus est; nam nisi nos ante pecuniam interceperimus, quam huc attulerit mercator Saureæque tradiderit, omnis spes interierit“. — 358. *exclusi*, sc. ab hac prædandi occasione. Gertzius fortius aliquid flagitabat, velut „excisi“. — 359. *sorsum* pro „seorsum“ pronuntiandum esse versus ostendit, et sic scriptum est in B. — *seduxit*, cf. Aul. 133: „Eo nunc secreto te huc foras seduxi“. Curc. 339: „Prendit dexteram, seducit, rogat“. Cicer. Att. V, 21, 12. — 360. „*ulmeos*, i. e. virgis ulmeis opertos“ Lamb., cf. ad 260. Mil. 157: „ego uostra faciam latera lorea“. Ceterum minime tali modo locutus est herus v. 88 sqq. — 361. Post *Argyrippo* hiatus. Both. transp. „uiginti essent argenti“. Fl. „argenti essent uiginti“. Fortasse „adessent“ scribendum. — 363. Si versus recte scribitur, post *sese* hiatur in cæsura; sed *promissam dare* vix verum est; requiritur „promittere“. Palmerius „promiscam“ maluit, „h. e. indiscriminatam, sive atriensem sive uxorem defraudare institerint“. Quod nec dici opus erat, et potius futurum (daturum) postularet. Secuti tamen sunt Both. Fl. — 367. „*oblectabo*, blandis verbis retinebo“ Lamb. cf. Ter. Hec. 84: „Dic mi, ubi, Philotis, te oblectasti tam diu?“ — 368. *Quid ais?* vid. ad Amph. 414. Antiqui edd. „Sed quid ais?“ ut Amph. 614. Non opus, vid. ad Amph. 350. Leonidas atriensis partes acturus conservo prædicit fore, ut colaphos ei infligat, et cum eo agit, ne ob id succenseat, quo ad hospitem fallendum opus sit. — 369. *imitabor Sauream*. Verba cum Fl. transposuimus, nam in eo ordine, qui in codd. est, non solum post „Sauream“ hiatus erit (quod alii defendent, Both. „Saurean“ scripsit), sed *caueto* aut pro spondeo aut pro anapæsto erit, id quod simili errore Capt. 429 (ubi „caue tu“ scribendum) defendi nequit. — 370. *me* delevit Camer. — 371. *nomen conmutaueris*, Sauream te appellaveris. — 372. Versum affert Nonius p. 176. Post *tu* hiatur. — *referiam*, plagas reddam. Cf. Senec. de Ira II, 34, 5: „Percussit te; recede. Referiendo enim et occasionem sæpius feriendi dabis et excusationem“. — 373. *usus* cod. B; Fl.: „usust“, vid. ad Amph. 569.

— 374. *hostire*, reddere, cf. 171. Affert Non. p. 3. — 376. Hiatur aut post *recurro* in cæsura, aut post *tu* (cf. Capt. 442: „Tu hoc age"). Hiatus removendi causa Fl. „tute" scrib., quod non est aptum, Müller „tu istunc", vix melius. — 377. „Quin" inquit Libanus „propere hinc abis?" Sed facetias quærens fugiendi verbo utitur; fugere enim talem servum decere, eius *officium* esse, cf. ad 172. Ex locis ibi allatis apparebit recte olim emendatum esse *tuum*. Hoc autem facto voc. q. e. officium primam corripit. Mox *ac* iam ed. pr.

---

378. Mercator advenit comitante servo. Peregre venientem chlamyde indutum esse veri simile est, et in titulo proximæ scenæ appellatur „Chlamydatus". Iambicis septenariis scena scripta est. — 379. *puere*, antiqua vocativi forma, cf. 882. Curc. 75. Most. 302. Merc. 900. 918. Pseud. 169. Pers. 790. Truc. 532. Duobus locis in Plautinis codd. *puer* legitur, ut aliis testimoniis non convincatur, Merc. 910 et Pseud. 253, quæ corrigenda censet Müller, Nachtr. p. 139. — 381. *frangit.* Vulgatum servorum convicium est cum iis, qui nimis vehementer fores pulsare videntur. Hic quidem anxius, ne pulsando Sauream evocet, ante rem factam convicium incipit. — 383. *huc quia habebas iter*, cf. Ter. Eun. 1065: „iter hac habui". — *Conseruas* lepide *fores* heri sui appellat, quod imitatus est Ovid. Amor. I, 6, 74: „Duraque conservae ligna valete fores". Cf. Plaut. Curc. 40 de lenonis ædibus „scelestam seruitutem seruiunt". Catul. 67, 3: „Ianua, quam Balbo dicunt seruisse". — 384. *nostris*, i. e. nostræ familiæ, cf. ad Amph. 395. Interpretamentum in codd. male additum (aedibus) iure eiecit Acidalius. — 385. *foribus.* Accurate loquenti aut fores cardinibus aut cardines liminibus effringi dicerentur, nam antiquorum cardines liminibus, superiori et inferiori, inserti erant, v. Marquardt, Röm. Privatalterthümer I, p. 233. — 386. Post *exemplo* hiatus. Antiqui edd. „tu" addebant, Ritsch. Neue Excurse p. 62 „exemplod" scribebat. — *qui quaerunt*, sc. aliquem hic habitantem. — 387. Post *ianua* hiatus in diæresi. — 388. *calcitronem*, i. e. qui se calcibus infestet; vid. Non. p. 44 sq.,

qui præterea ex Varrone affert „equum mordacem, calcitronem". — 390. *Si sit domi, dicam tibi*, i. e. si domi esset, tibi dicerem; quoniam non est, nego. Cf. Most. 545: „Dicam, si confessus sit". Pers. 216: „Fatear, si ita sim". Epid. 327: „Si hercle habeam, pollicear lubens". — 392. *Cum uenisset* codd. corrupte; nam quod sic enarrant: „postquam abiit", id ferri non potest. Both. ex antiqua coni.: „quom inisset" parum feliciter; Fleckeis. audacius: „M. Quid? post non rediit? LI. Non pol huc uenit: set quid uolebas?" Mihi scribendum videtur: *Conueni. Sed.* Obiectum „eum" facile auditur, cf. infra 428: „Defende"; sæpe „Enicas" sc. me, ut Merc. 123. 155. 484. 904. Pers. 485. Casin. 213, ubi etiam „Nolo ames" sc. me; Men. 906: „occidis", Pseud. 1216: „perdidisti". — *rediit* pro iambo legendum, vid. Proleg. p. 212. infra v. 735. — 394. *Qui pro*, vid. ad Amph. 234. — 395. *mercatu*, i. e. in mercatu; cf. Pers. 259: „ibi mercatum dixit esse die septimi". — 396. *Si is est*, i. e. num is sit (cf. Ter. Heaut. 170: „Uisam, si domi est"). Hæc mercator secum loquitur. — 397. *rufulus*, i. e. rufis capillis. H. l., in diæresi, versus brevem syllabam patitur, cf. 435. 437. 439. 451. — *uentriosus*, ventre tumido, cf. Merc. 630. Rud. 317. — 398. *commoda*, mediocri. — 400. *Atque*, cf. 150. Vel hæc coniunctio ostendit hunc versum una cum antecedenti mercatori tribuendum esse. Bothius et Fl. male Libano tribuerunt. Ab hoc autem proximus, cuius sententiæ hic rationem continet, divelli non potest. Ne postremi quidem duo versus Libani esse possunt; nam si talia ita diceret, ut audiret mercator, partes susceptas non satis tueretur; si secum loqueretur, iratum non diceret, quem dicis causa agere sciebat. Quare omnia mercatori continuanda. — *Quatere caput* animi est graviter commoti, vid. Merc. 591: „Tristis cedit; pectus ardet; . . . quassat caput". Trin. 1169: „Quid quassas caput? CH. Cruciatur cor mi et metuo". Verg. Æn. VII, 292. Sed deposita transitiva verbi vi (cf. Madvig. Gr. Lat. 222 not. 4) *quassanti capite* intransitive dicitur, cf. Bacch. 301: „capitibus quassantibus". Cæcil. v. 271: „Sic quassante capite tristes incedunt". Quem locum Servius affert ad Verg. Georg. I, 74: „laetum siliqua quassante legumen". Lambinus hoc non ferendum ratus *casanti* scribendum censebat,

a cadendo (cf. Mil. 849), quasi nutante capite; sed hoc, si dici posset, aut semisomni aut abiecti, non irati animi esset. — 401. *Quisque*, i. e. quicunque, cf. supra ad v. 198. *huic* iam in B emendatum. Item v. 402 *animis*. *si quidem* est etiamsi, vid. supra 316. — *Aeacidinis* (sic enim olim emendatum), quæ Aeaciden, i. e. Achillem (cf. Ovid. Her. 1, 35) decent, cf. Horat. Od. I, 6, 6: „Pelidae stomachum cedere nescii". — *expletus*, cf. Ter. Andr. 339: „expleam animum gaudio". — *incedit* codd., sed metrum non patitur, quare Gronovius *cedit* scribebat, eodem sensu. Sic Plautus Aul. 509: „cedunt, petunt trecenti". 517: „ad postremum cedit miles; aes petit". Cas. 423. Pseud. 308: „Inanis cedis". 960: „transuorsus, non prouorsus cedit, quasi cancer solet". Horat. Sat. II, 1, 65. Librarii ex communi dicendi more non raro præpositionem addiderunt, ut h. l. Mil. 893. Merc. 591. Pœn. 580. — 403. *med* cum Bothio scripsi, cf. 297. Fl. „Set si me", parum recte.

404. Advenit Leonidas Saureæ personam agens. — *sit* codd. nec grammaticæ nec metri ratione concedente; recte Cam. *est*; nec raro in codd. *sit* scriptum est pro *st* aut *est*, cf. infra 432. Curc. 531. Men. 889. — 405. *Ut* temporale huic loco parum convenit; quare Gertzio auctore particulam delevi, quæ ex initio proximi vocabuli oriri potuit. — *nullus*, vid. Madv. Gr. 455 not. 5. Plaut. Bacch. 88: „nullus adfueris". Rud. 143: „ille, qui uocauit, nullus uenit". cf. ibid. 323. Ter. Eun. 216. — 407. *hodie*. Hoc voc., quod codd. cum antecedentibus iungunt, Fl. ad sequentia traxit. Non probo. Libanus hoc ipso die sibi malum opinatur fore. Leonidas interrogat, num forte Libanum, qui sibi tam male pareat, manumiserit et, ut in manumissionibus mos erat, libertum salvere iusserit. — 408. *manust* Fl., non opus. Hiatus in diæresi legitimus est. Leonidas eum secunda persona alloquitur. Libanus autem iram eius deprecatur. Lamb. confert Ter. Eun. 669: „prodi, male conciliate. D. Obsecro". — 409. *mihi* dissyllabum est. Fl. *mi* scribebat, addito ante h. v. „tuo". — 413. *Perii, hospes* codd.; Both. Fl. „Hospes, perii". (cf. Proleg. p. 185). Leonidas baculo aut fusti (v. 424) eum verberavit. Mox quasi hoc parum sit, (v. 415) *stimulum* sibi optat, nam hoc quoque interdum heri

crudeles non in iumenta solum, sed etiam in servos utebantur, cf. Aul. 45. 48. Curc. 130. Most. 54. Men. 931. Mil. 513. Pers. 793. Pseud. 1236. (Asin. 543 corruptum censeo.) — 416. *Qui*, i. e. quo. Orationem inceptam continuat, cf. ad Amph. 1136; absoluta demum mercatori, qui interlocutus erat, respondet: *Abscede.* — *Occalluere* olim emendatum. Longolius enarrat: „sensum mali adsuetudine amisere". — 418. *unam rem me*, sic codd.; Both. Fl. „rem me unam", sine causa. Queritur, quod non satis sit semel præcipere, sed præcepta centies repetenda sint. — 419. *imperem* iam in codd. emendatum. — *oggannire* est latranti voce identidem obiicere, cf. Ter. Phorm. 1030: „Habet haec ei quod, dum uiuat, usque ad aurem oggenniat". — 420. Clamando et stomachando se lassum esse dicit nec iam labori sufficere; cf. Ter. Eun. 1076, modo locus legatur, ut in codd. est, non ut interpolavit Bentleius. — 421. Post *ianua* hiatus in diæresi. — 422. item post *deiici;* edd. cum Camerario „deicier". — *araneorum* masculini generis Nonius p. 192 affert ex h. l. et ex Stich. 349. Cf. Lucret. III, 383: „aranei tenuia fila", et Plinius. — 423. *in splendorem dari*, i. e. splendidas fieri, cf. Capt. 955: „in ruborem te dabo". Pseud. 933: „in timorem". Cicer. Rosc. Am. 41, 119: „in cruciatum dari". — *bullis* aeneis ornabantur fores. In Minervæ templo Syracusis valvæ splendidissimæ bullas aureas magni ponderis habebant, v. Cic. Verr. IV, 56, 124. — 424. *Nihil est*, i. e. nulli usui est; irrita sunt imperata mea. Cf. Capt. 342: „At nihil est ignotum ad eum mittere". Epid. 96. Pœn. 917: „At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur". Trucul. 756: „nihil est irasci, quae te non flocci facit". ib. 838. Ter. Eun. 638. Horat. Sat. II, 3, 6: „Nil est. Culpantur frustra calami". — 425. Versus corruptus. Both. Fl. „dedi operam adsiduam". Si hiatus aut post „foro" aut post „operam" ferri possit, „do" pro „dedi" scribi possit. — 426. *reperiam*, vid. ad Amph. 192. — *qui quaeritet argentum in faenus*, i. e. qui cupiat argentum fenore accipere; nam dominæ pecuniam collocaturus est. — 427. Altera versus pars a proceleusmatico incipere videtur (erus in ha). Sed præterea syllaba longior est versus; Both. „aede" scribebat; nos *habet* pro *habitat*, de quo vid. ad Aul., 5. *in* ante „aedibus" auditur ex priore membro,

cf. Epid. 588: „Quibus de signis? — Nullis“. Merc. 720: „in noxia. — Qua noxia?“ Cist. 88. al. — 428. *Em* monstrantis est, v. Amph. 771. *Em tibi* dicit, qui alterum verberat; *hem* cod B habet h. l. et 871. Capt. 624. Curc. 195. 623; sed præferendum videtur *em*, quod extat Mil. 1396. Pseud. 154. Pœn. 379 sq., quibus locis accedunt Men. 997 (en) et Cas. 382 (rem). — *Defende*, sc. me, cf. ad 392. — 429. *Eho* iam in codd. emendatum est. — *ecquis* verum esse non potest. Non solum numeri non explentur, sed ex responso apparere videtur, certum nomen hic positum fuisse, ut v. 433. Fleckeisen exempli causa *Coriscus* posuit. Mox (430) *resoluit* pro „debitum solvit“ per se non offendit, vid. Epid. 143. 348. Men. 913. Amph. 698. Cat. R. R. 144: „Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, resoluito“. 149: „boni uiri arbitratu resoluat“. Sed versus non patitur, quare iure Bothius *Soluit* scripsit altero loco; nec enim mirum est librarios idem verbum in responso posuisse, quod in interrogatione posuerant, id quod et usus et ratio postulat. Verum hoc probato sequitur priore loco cum eodem Bothio scribendum esse non *resoluit*, sed *rem soluit*, ut supra 217. — *Uicarios* plerumque habebant servi lautiores, vid. Cic. Verr. III, 38, 86: „vicarium nullum habet, nihil omnino peculii“. Horat. Sat. II, 7, 79: „Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos Vester ait, seu conservus“. Senec. Tranq. an. 8, 6. Ulpian. in Dig. XV, 1, 17. Multa ex inscriptionibus exempla affert Marquardt, Röm. Privatalterthümer I, p. 160. Atriensis Plautinus, quasi gratum admodum sibi nomen commemorasset Libanus, hoc artificio ait eum se *delenire* sive placare velle. — 432. *eo* abesse poterat, quum sequatur „quam ille est“; sed simili abundantia Plautus Mil. 22: „Periuriorem hoc hominem si quis uiderit, aut gloriarum pleniorem, quam illic est“. Rud. 279: „neque hoc amplius, quam quod uides, nobis quicquam est“. — *ille est* necessario emendatum, vid. ad 404. — 433. *uinario*, sc. mercatori, cf. Sueton. Claud. 40: „de laniis et vinariis“. — *Exacrambus* (v. 435: Exerambus) nominis forma ignota nec dubio exempta. Fortasse *Ξάραμβος* fuit aut *Σάραμβος*, nam in fragmento comici apud Dicæarchum (p. 143 Fuhr) de Platæis legitur: *Ναοὶ δύ' εἰσὶ καὶ στοὰ καὶ τοὔνομα καὶ τὸ βαλανεῖον καὶ τὸ Σαράμβου κλέος,*

et apud Dion. Chrys. 4, p. 172 R: *Δρόμωνα μὲν καὶ Σάραβον, ὅτι ἐν Ἀθήναις καπηλεύουσι καὶ ὑπὸ Ἀθηναίων τοῦτο ἀκούουσι τοὔνομα* (i. e. *κάπηλοι*). Unde effici videtur, ut comicus ille non Platæensem quendam institorem nominaverit, sed noto Atheniensis viri nomine totum genus significaverit, ut *τὸ Σαράμβου κλέος* sit fere: lucrum mercatorum celeberrimum. — 434. *is*, i. e. iis, v. Proleg. p. 212. — 435 in B leviter est corruptus, ut quid fuerit facile intelligatur; ceteri inde profecti: „adducere et rapere ita". Trapezita adducitur, ut argentum solvat ex iis, quæ apud se deposita sunt. — 436. *Sic dedero*, i. e. sic agam, hæc agendi ratio mihi placet. Cf. Pœn. 1290: „Sic dedero; aere militari tetigero lenunculum". Ter. Phorm. 1027: „Sic dabo". Vulgo dicitur „sic datur", v. Trucul. 624. Cf. Men. 462: „Obserua quid dabo". *quae* pro „quam" olim emendatum. — 437. *sat agit*, i. e. trepidat; cf. Merc. 224: „In somnis egi satis et fui homo exercitus". Bacch. 634. Cæsar. B. Afr. 78: „Cæsar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter succurrerent". — Post *domum* hiatus in diæresi, cf. 397. — *adducit* sc. trapezitam, v. 435; vulgo, quibus pecunia numeranda erat, ad trapezitam in forum se conferebant. *scribit* pecuniam ab eo solvendam; cf. Horat. Sat. II, 3, 69: „Scribe decem a Nerio". Terent. Phorm. 922 sq. — 438. Aliud quærit. Dromo, servus Demæneti, ad opus aliquod faciendum alii domino mercede locatus fuit; interrogat, num mercedem retulerit. Libanus respondet dimidium eius retentum esse, dum opus perficiatur. „Dromon" Fl. ed., vix opus, vid. Amph. 718. — 439. *relicuom* vid. ad 231. Deinde Both. recte *aibat*, et *quom extemplo*, vid. ad Amph. 858. — *reddere*, i. e. se redditurum, cf. Capt. 194: „quo ire dixeram". Most. 621: „Dic te daturum, ut abeat. TH. Egon dicam dare?" ib. 1114. Pseud. 1116: „aiebat arcessere". Men. 526: „Dicam curare". Stich. 391: „negabam uendere". Cf. infra 597. — *quom extemplo redditum esset*, sc. sibi ab eo, qui se conduxisset. — 442. *Hem, non?* Miratur aut indignatur nondum redditos esse scyphos, quos commodaverit. Vitandi hiatus causa Fl.: „Non? hem"; sed interiectio sententiam incipere debet; nos *quid* addidimus, quod abesse vix potest. Dissaldeus em.: *si uelis dare*. Quod amico, inquit, commoda-

veris, id pro donato, non pro commodato erit, nec est quod tibi redditum iri speres. — 443. „*odio*, odiosa importunitate" Lamb. Cf. 912. 918. Bacch. 209: „Non res, sed actor mihi cor odio sauciat". Rud. 944: „me odio enicas". Truc. 122. Ter. Phorm. 849: „Numquam tu odio tuo me uinces". Cic. Cluent. 39, 109: „Quod erat odium? quæ superbia?" — *Heus*, *iam satis, tu,* sic enim interpungendum, i. e. Heus tu, iam satis est. His Libanus veritus, ne mercator, ut dixit, abeat, Leonidam admonet. Apparet eos inter se hæc loqui, non audiente mercatore.

445. *adeam optumumst*, i. e. optumum est, ut adeam, cf. Aul. 557: „optumum est loces ecferundum". Epid. 60: „Sed taceam optumumst". Men. 927: „Scin quid facias optumumst". Rud. 377: „Capillum promittam optumumst". Nec absimile Bacch. 987: „Iustum est tuus tibi seruos tuo arbitratu seruiat". — *tinnire*, i. e. strepitum facere, cf. Casin. 228: „conprime te; nimium tinnis". Pseud. 893. — 446. *mihi operam das,* me audis, cf. Men. 1088. Trin. 897. Ter. Eun. 44. al. Versus causa Both. *mi* scribebat et mox *Hem*, utrumque cum elisione. Fleckeisen verbum *das* omittebat. — 447. *ne uitio uortas*, sc. mihi, ut 471: „crura defringentur" sc. tibi. — 449. *Negat esse intus*? sc. Libanus. Interrogandi signum posui; nam negasse hoc eum v. 390 Leonidas ignorare debet. — 451. „*Repromittam* tibi neminem amplius isto nomine petiturum". Lamb. — *solutam rem*, cf. 217. — 452. *Sic potius*, sc. agam. — *tibi* inter ablativos consequentiæ interponitur, ut in proximo versu *huic*. — 453. *Erus istunc nouit* etc. Quasi inde necessario summa fiducia oriatur, his verbis Libanus mercatori suadet, ut Leonidæ pecuniam credat. Cf. Most. 881. — 454. *periculo* olim emendatum. — *exhibebo*, præstabo. — 456. *qui* B; edd. cum ceteris codd. *quoi*; Fl. „qui huic". *credit* olim emendatum. *omnium rerum*, vid. Amph. 665. — 457. *Non magni pendo.* Post hæc necesse est plene interpungatur; alioquin non *ne duit* scriptum esset, sed „num duit". — *sic astet,* i. e. cum argento expectans. — 459. *ac* omisit Fl. male. — 460. *habeo* B; ab altera manu (Camerarii?) *habebo* correctum est, idque editorum plerique tenuerunt, orationis quidem causa non necessarium, cf. Amph. 714; versus autem ut restituatur Both. Fl. mutato ordine: „dum quidem in manu ipse habebo".

Equidem cum Müllero malui ceteris relictis *ipsus* scribere. — 461. *sane* cum imperativis ponitur fere ut „modo“, cf. Merc. 491: „sequere sane“. 668: „da sane“. Pers. 770: „cedo sane“. 199: „I sane“. item 573. Ter. Ad. 587. — 462. *Sit, non sit*, i. e. utrum sit an non, omissis interrogandi particulis, cf. Stich. 36: „uiuant, ualeant, ubi sint, quid agant, ecqui indigeant, neque participant nos neque etc.“ Ter. Heaut. 643: „Melius peius, prosit obsit, nil uident, nisi quod lubet“. Factum est idem in vulgata illa rogationis formula „Velitis iubeatis“, Gell. V, 19, 9. Cic. in Pison. 29, 72. Liv. XXXVIII, 54, 3. (Liv. XXII, 10, 2: „velitis iubeatisne“ potius ex his locis corrigendum quam ex hoc illi loci.) In simplici interrogatione indirecta hoc fieri negat Madvig. Gr. Lat. 450. Vulgaris tamen sermo saltem in repetenda interrogatione alterius eadem brevitate usus est, ut Ter. Heaut. 454: „Estne ea intus? CH. Sit, rogas“. Eun. 389: „Iubesne? CH. Iubeam? Cogo atque impero“. ib. 676. Hirtius ad Ciceron. Attic. XV, 6, 2: „Rure iam redierim, quæris“*). Etiam apud Horat. Ep. I, 3, 30 Aubert in „Tidskrift f. Philologie“ IX (1870—71) p. 175 codicum tuetur scripturam: „Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curæ, Quantæ conveniat, Munatius“. Apud Gaium autem IV, 44: „quæritur, aliquis libertus sit“ sine dubio „an quis“ scribendum est. Magis huc pertinet, quod apud Livium XXXVIII, 48, 7 post „sciatisne“ sequitur „videritis . . . pugnaveritis . . . cecideritis . . . retuleritis“. — 463. *incerto*, i. e. quem non certo novi, ignoto, ut est v. 490. Parum recte Studemund. in Stud. I, p. 215 sq. cum „scio“ iungit, ut „incerte scio“ Epid. 501; alii autem „incerto hoc“ pro ablativis consequentiæ acceperunt, quasi „quamdiu hoc incertum est“; sed tum dicendum erat non „nemini“, sed „nemini præter Demænetum“.

464. *perduint* B. man. sec., cett. — *Uerbo caue supplicassis;* hæc Libano dicit, sed ut audiantur a mercatore. — 465. „*Ferox*, i. e. superbus est, quod viginti minas, quæ meæ sunt, ipse *tractat*, i. e. in manu habet“. Lamb. — 466. *accipit; aufer* olim emendatum. — 468. Libano malum minatur, nisi in

*) Wesenberg. male „Rurene“ edidit. Recte idem „ne“ addidit Ep. ad Att. VI, 2, 8: „tibi*ne* nescio“. VII, 11. 4 quid omissum sit, ignoro.

mercatorem maledicta ingerat. *Malo tuo*, vid. ad Amph. 317. *nec recte*, v. supra 154. — 469. *nihili* prorsus pro adiectivo ponitur omisso substantivo, cf. infra 850. Casin. 219: „Eho tu, nihili“. 225: „Unde is, nihili“. (235). 536: „illum nihili, decrepitum, meum uirum, ueniat uelim“. Mil. 180: „propter nihili bestiam“. ib. 287. Pseud. 239: „Sine sim nihili“. Libanus hoc convicio Leonidæ obediens in hospitem invehitur; mox suo nomine eum admonet et precatur, ne hominem irritet. Item proximo versu „Flagitium hominis“ Leonidæ mandatu dicit, cetera („Da obsecro etc.“) suo nomine. Cf. etiam 472 sq. — 470. *Flagitium hominis*, locutio in vulgari hominum sermone admodum frequens, ut Cas. 151. 529. Men. 478. 695; cf. „scelus uiri“ Curc. 613 al. Pers. 205: „deliciae pueri“. 846: „frustum pueri“. Pœn. 1314: „hallex uiri“. 271: „monstrum mulieris“. Ter. Eun. 696: „monstrum hominis“. al. etiam apud Græcos. Sed quod ad numeros huius versus attinet, primum cæsura caret; deinde hiatur aut post *da* aut ante *hominis*. Hoc quidem veri similius videtur, quoniam eadem ratio est Cas. 529. Men. 478. 695. al. v. Proleg. p. 221. — 471. *defringentur* em. Acidalius propter Mil. 156. 722. al. Gravissima hæc ab irato domino servis inflicta pœna commemoratur etiam Pœn. 889. Pseud. 130. Senec. de Ira III, 32, 1: „quid properamus verberare statim, crura protinus frangere?“ Sueton. Aug. 67. Tiber. 44. — 472. *inpudicum*, i. e. impudentem, v. Amph. 921. *percies*, i. e. exagitaveris, maledictis perculeris. Vulgo Acidalium secuti interpretantur „appellabis“, quod nec omnino significare potest, nec huic loco convenit. — 473. Libanus quasi perterritus hospiti maledicit, deinde eidem supplicat. *Non audes*, i. e. non vis; cf. Pseud. 78: „Nilne adiuuare me audes?“ ib. 1320: „Non audes, quæso, aliquam partem mihi gratiam facere argenti?“ Trucul. 424: „Non audes aliquid dare mihi munusculi?“ Capt. 655: „Non occatorem dicere audebas prius?“ Men. 149. 684. 982. Pœn. 760: „Mitte ad me, si audes, hodie Adelphasium“; pro quo vulgo dicitur „sodes“. — *scelesto*, i. e. misero. Ludit in duplici vocis significatione, quæ priore loco maleficii, altero infortunii plenum significat. *Scelus* pro infortunio est Capt. 755: „Quod hoc est scelus? Quasi in orbitatem liberos

produxerim". Ter. Eun. 326. Cic. ad Att. IX, 13, 1: „Hic quidem mera scelera loquuntur". Adiectivi exempla vid. infra 847. Cas. 638: „Scelestissimum me esse credo". Cist. 512: „me infelicem et scelestam!" Most. 553: „Scelestus, natus dis inimicis omnibus". Pœn. 200. Rud. 502. 801. 1167. Vulgaris hoc sermonis esse apparet ex inscriptionibus, ut Clusina apud Cavedoni, Mem. di Modena XIV, 3, p. 50: „scelus filies pater dolens", et Rossi, Inscr. Christ. II, n. 326: „sceleratus". — 474. *Quae res?* i. e. quid hoc rei est? exclamatio indignantis, v. Aul. 415. Cas. 431. 688. 770. 786. Mil. 1335. Pœn. 1203. — *homini* olim emendatum. — 475. *Male* et *fiet* item. — *Uapula*, i. e. *οἴμωζε, κλαίειν λέγω σοι.* Festus p. 372: „Vapula Papiria in proverbio fuit antiquis, de quo Sinnius Capito sic refert, tum dici solitum esse, cum vellent minantibus sibi significare, se eos neglegere et non curare. Plautus Feneratrice ..... Aelius h. l. uapula positum ait pro dole, Varro pro peri, teste Terentio in Phormione (v. 850: „Non manes? GE. Vapula".) et Plauto in Curculione (567): „Vapulare ego te vehementer iubeo, ne me territes".

477—80. Hos quattuor versus pro spuriis seclusi propter plurima vitia. Primum sententiæ. Quid enim hoc est, quod servum in ius vocat, in quem unum sui heri iudicium est? quid, quod in ius ire nolentem meminisse iubet, atque ille se meminisse respondet, quum necessario hoc quoque ei negandum fuerit? Conficta hæc sunt ad similitudinem locorum Curc. 620 sq. et Pers. 745 sq., sed inscite; nam ibi recte contra eum, qui in ius ire recusat, testes advocantur et antestatio adhibetur. Accedunt sermonis vitia. V. 478 *Uae te.* Latine dicitur „væ tibi". Accusativus ex uno loco affertur, Senecæ de morte Claudii 4, 3: „Vae me, puto, concacavi me", ubi altero „me" deleto vitium removetur. Proximus versus „Tibi .... detur" septenarium efficit non malum, quamquam cæsura carentem; sed additur *Atque etiam.* Quod ne metrum turbaret, Both. mutato verborum ordine ed. „Tibi quidem de nobis, carnifex, detur supplicium? ME. Atque etiam?" quæ sic enarrat: „Atque etiam nunc mihi maledicis, carnificem me appellans?" Quod quum nimis obscurum esset, Fl. „Atque etiam" cum sequentibus iunxit. Verum sic verba

significarent a minore ad maius progredi, quod contra est; nam supplicium gravius est quam pœnæ. Quod ad sermonem attinet, coniunctivus *detur* fortasse defendi possit, *quidem* in principio versus non potest. V. 480 *maledicis* pro „maledictis“ recte emendatum est. Sed hic versus cum sequentibus nullo sententiæ nexu cohæret; quare Fl. putabat excidisse versum, quo mercator servis exprobaret, eos, ne pœnas darent, fugam meditari, in v. 481 autem cum Bothio v. „erum“ delebat. Male, nec enim de fuga ullus est sermo. *Erum fugitare* est heri adspectum vitare, heri interventum recusare; cf. Capt. 539: „minume miror, si te fugitat atque oculos tuos“. Ter. Ad. 872: „illam amant, me fugitant“. Phorm. 623: „fugitans litium“. Plaut. Capt. 156: „fugitant omnis hanc prouinciam“. Pœn. 511: „dedita opera amicos fugitavi senes“. Numeri restitui possunt, si pro *nosmet* „nos“ scribitur, vel potius *me*; nam ex „nosme“ (correcto errore) illud ortum videtur. Deletis autem quattuor versibus, ut versum 476 sequatur 481, nihil omnino desideratur. A voc. *Ain tu* alterius personæ verba incipere intellexit Both.; sed parum recte et contra codd. voc. „furcifer“ inde avulsum cum sequentibus iunxit.

482. *Ei* pro i, imperativo verbi eundi, sæpius scribitur in B, ut Ep. 703. Men. 425. 723. Merc. 278. 299. 735. 775. Ter. Eun. 139 Bembin. EIREI. cf. Prol. p. 212. — 483. *tamen* codd. neglecta positione. Both. Fl. „tam“, temere. — 485. Tu, inquit, mihi contumeliam fecisti, quod mihi credere noluisti; num est mirum me tibi maledicere? — 487. *Praefiscini* olim emendatum; i. e. absit invidia. Verebantur antiqui, ne laudes immodicæ invidiam moverent fascinique malum attraherent. Lamb. confert Verg. Buc. 7, 27 sq.: „Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro“. In hac re hoc vocabulo uti solebant, vid. Rud. 461. Titinius apud Charis. p. 189 P: „Pol tu ad laudem addito Præfiscini“, ad quæ explicandi causa Charisius addit: „ne puella fascinetur“. Apulei. Flor. III, 16 extr. „præfiscine dixerim“. Extremam vocis syllabam tum per *e* tum per *i* scriptam esse testatur Gellius X, 24, 8. — 488. *Athenis*. II. v. metri restituendi causa transposuit Both. — 489. *Fortassis* codd., Both. Fl. „Fortasse“. —

491. *Lupus est homo homini* etc. Hoc proverbio significatur ignoto homini non magis quam lupo credendum esse. Quæ quum excusandi causa afferat, his statim arreptis Leonidas eum iam (V. 492) sibi *secunda facere* dicit, i. e. obsecundare, ut ait Terent. Heaut. 827. Ad. 994, aut „verba secunda loqui", ut Ovid. Art. I, 586, aut „secundas agere", ut Seneca de Ira III, 8, 6. — *huic capitulo*, huic capiti, mihi. — 493. Quamquam sordida veste, inquit, indutus sum, tamen frugi sum et, ut talem servum decet, maximum peculium habeo. Ceterum quod peculium suum enumerari posse negat, cum risu adprobabunt spectatores, qui nullum esse sciunt. — 495. Versus iusto longior. Antiquiores edd. voc. *diues* in sequentem versum transferebant, quo facto hunc corrumpebant. Both. Fl. v. *dico* omiserunt; sed ne *nunc* quidem sanum videtur. Ego utrumque verbum ex *hodie* aut „hoc die" ortum putavi. — *Rhodo*, sc. profectum vel oriundum, Rhodium, cf. Merc. 929: „Uideo ibi hospitem Zacyntho". Bacch. 227: „Epheso hospes". Pœn. 999: „Hannonem sese ait Carthagine". Cæs. B. Civ. I, 24: „N. Magius Cremona" al. — 497. *Numerauit* scripsi cum Bothio versus causa, omissa præpositione, quæ ex initio antecedentis versus male repetito oriri potuit. Deinde *est* addidi ex Reizii coniectura. Fl. ed.: „Adnumerauit et credidit mihi neque deceptust in eo". — 499. *Me* pravum esse apparet, nam percontari aliquem est quærere ex aliquo, v. 340. Fortasse ex personæ nota antecedentis versus ortum est. *quod* pro „quo id" iam in codd. emendatum. — *Haud negassim*, s. negaverim, eodem sensu, quo antea sæpius „Fortasse" dixit. — His dictis mercator et servi ad forum abeunt, ut Demænetum quærant.

---

500. Exeunt Cleareta lena et filia eius. Trochaicis septenariis colloquuntur, atque adeo altercantur. — *ted* extat in cod. D, vid. Ritsch. N. Exc. p. 26. — *mansuetam* codd., Fl. „mansuetem" ut v. 144. — 501. An, inquit, eo animo es, ut matris imperio te eximas, matris imperium non cures? Pro *ut qui* Both. „ut quæ" edidit. Si quid mutandum est, potius deleatur „qui"; nam hoc quidem apparet, sententiæ causa „ut"

requiri ac nihil aliud. Sed hanc ipsam vim apud Plautum habuit *ut qui*, cf. Bacch. 279: „Adeon me fuisse fungum, ut qui illi crederem". Capt. 547: „Et eum mihi esse morbum, ut qui me opus sit insputarier". Nec aliter explicandum Curc. 218: „Aesculapi ita sentio sententiam, Ut qui me nihili faciat nec saluom uelit". Capt. 241: „Di inmortales animum ostenderunt suum, Ut qui erum me tibi fuisse atque esse nunc conseruom uelint". Ter. Andr. 148: „Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam Neget daturum". Rem primus animadvertit Fleckeisen, Kritische Miscellen p. 28 sqq., deinde Cavallin, Nordisk Tidskrift f. Philologi 1874, p. 271 sq.; cf. „quippe qui" Amph. 738. Omissa igitur ea numerorum medicina, quæ adhiberi poterat abiecto voc. „qui", cum Camerario ceterisque edd. „expers matris" inverso ordine scripsimus. Versum in duos iambos exeuntem non laudo, sed fero, vid. Proleg. p. 180. Nam quod in codd. solito more „imperii" scribitur, id Plautus „imperi" pronuntiabat. Noli igitur cum Both. Fl. „imperiis" scribere, præsertim quum pluralis numerus minime aptus sit; melius saltem Luchs in Hermæ VIII, p. 113 „imperio". Cum ablativo iungi voc. „expers" vidimus v. 44; sed etiam genetivus extat apud Plautum Amph. 168. Pseud. 498: „expertem amoris gnati". — 502 sq. Hi versus bis apud Nonium laudantur, p. 151 et 375, iisdem omnibus litteris, nisi quod *istoc* scribitur. Nihilo minus certum est, *Ubi* corruptum esse; quod sive „quomodo", sive „quando" aut „qua occasione" enarrare conaris, ab huius loci sententia alienum erit. Philænii quæstio hæc esse debet: „Num ea pietas erit, si iis moribus sim, quibus tu me esse iubes?" Itaque *Ibi* scripsi, i. e. „tum", quod simili modo cum hypothesi iungitur Ter. Andr. 379: „Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet". Cf. etiam Aul. 191: „Ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam". 517: „Ubi nugiuendis res solutast omnibus, Ibi ad postremum cedit miles". Ter. Eun. 261. Plaut. Mil. 1169: „Quom extemplo hoc erit factum, ut intro haec abierit, ibi tu ilico Facito uti uenias". Ter. Hec. 128: „postquam uidet paratas . . . ., Ibi demum ita aegre tulit". Cf. ad Amph. 246. — *piem* Nonius „colam" enarrat, recte, si quidem ipsius Plauti hoc est v. 505; sed editorum plerique hoc parum intellecto

Pietatem, maiuscula littera scriptam, pro pietatis dea accipiunt; immo *pietatem piare* est pietatem præstare, pium esse. — In voc. *moratam* non tam accusativus offendit, nam „postulare“ accusativum cum infinitivo sibi adsciscere vidimus ad Amph. 357, quam omissum *me*, quod nescio an in proximo versu pro *mihi* substitui debeat. — 505. His verbis lenam ad v. 502—3 respondere, ita ut v. 504 interponi non possit, intellexit Fl., qui hunc versum illi postposuit, ita ut verba „Quid est?“ Philænio tribueret. Mihi, si transponendus est v. 504, aptior locus post v. 501 videtur, sed ibi quoque ita superfluus est, ut potius spurium censeam. — *matris inperium* codd., numeris duris, dactylo et anapæsto. Fl. transp.: „inperium matris“. Imperium *minui*, i. e. negligi, dicitur ut maiestas. — 506. *quae recte faciunt;* interpretes subiectum audiunt „parentes“. Si voc. „quæ“ accusativus sit, malim accipere, quasi sit: „quæ recte fiunt“ (nostrum „man“), sed mihi nominativus videtur audito „eas“, i. e. filias, cf. infra 523 et ad Amph. 38.

507. Mater filiæ et dicacitatem obiicit et amorem; meretricem enim ex animo amare non debere; cf. v. 522. Respondet filia eam esse huius quæstus naturam, ut, quum lingua impudenter poscat et corpus quærat, animus, re ipsa monente, quæ velit, eloquatur et, quæ optet, proferat. Pro *orat* Acidalius p. 52, quamvis minime necesse esse fateretur, tamen malebat scribi „hortat“, eumque Both. Fl. secuti sunt, et forma inaudita nec sententia apta. — 510. *id* neglecta positione breve est, cf. Müller. p. 327. — 512. *Ecqua;* hoc egregie Fl. latere vidit in corrupta codicis B scriptura „Ego ua“, cui ceteri librarii „Ergo una“ substituerunt, verba sine sensu. Num unquam, ait, hodie mihi loqui licebit? *de die* Lamb. esse ait „ab initio diei“; potius „ante occasum solis“, cf. infra 818. — 513. Post *loquendi* hiatus in cæsura. Müller p. 59 „et autem tuam“ proponebat. — 514. *tu ut*, non „tute“, ut codd., recte Nonius p. 151, nam necessario requiritur „ita ut“. *Portisculus* est pertica, qua hortator remigum sive pausarius (ὁ κελευστής) motus eorum moderatur. Vid. Fest. p. 234 b: „Portisculus est, ut scribit Ælius Stilo, qui in portu (hoc pravum est) modum dat classi. Id autem est malleus, cuius meminit Cato in dissuasione de rege Attalo

et vectigalibus Asiæ: C. Licinio pr. remiges scribti ciues Romani sub portisculum, sub flagrum conscribti ueniere passim". Nonius l. l.: „Portisculus proprie est hortator remigum" (minime) „idem qui eandem perticam tenet, quæ portisculus dicitur, qua excursum et exhortamenta moderatur. Plautus Asinaria: ... Ad loquendum atque ad tacendum tu ut habes portisculum. Ennius lib. VIII Annalium: ... Parerent, obseruarent, portisculus signum Cum dare coepisset. Laberius Cythera: nec palmarum pulsus nec portisculi". — 515. *Quin*, i. e. „quin etiam". Obedientiam suam prædicat et laudari eam a matre vult, nam ab se omnem domus salutem pendere; si ipsa quiescat a labore et quærere desinat, non habituram familiam, unde sustentetur. Remanet autem in similitudine a matre incepta. „*Casteria*" ait Nonius p. 85 „locus ubi, cum navigatio conquiescit, remi et gubernacula conquiescunt. Plautus Asinaria etc." Apparet eum omnia ex hoc uno loco hausisse, hunc autem parum intellexisse. Neque enim meretrix se cum remo, sed cum remige comparat, neque casteria locus est, ubi remi reponuntur, sed ubi remiges quiescunt, i. e. tabulatum navis, quod Græci *κατάστρωμα* dicunt. — *reposiui* antiquam formam h. l. servavit B, eademque latet in corruptela Nonii „repulsaui". Eandem formam codicem B servare Casin. 795. Pseud. 1279. Trin. 145. Trucul. 457 animadvertit Ritschl., Monum. epigraph. tria p. 5. Extat in inscriptionibus C. I. L. I, n. 199. 551. 1009. 1284. — *Omnis familiae causa consistit tibi*, i. e. victus cessat, reditus tibi non amplius fluunt. — Versus 515—16 Fleckeisen, credo quia parum apte ei cum antecedentibus iungi videbantur, suo loco motos post 508 posuit; sed vix recte fieri potest, ut a v. 514, ubi portisculus primum nominatur, divellantur.

518. *uotui*. Antiquam verbi formam cod. B inde ab Asinaria constanter servat. — 519. *conloquiue*, i. e. aut colloqui, cf. Propert. II, 1, 23: „Non ego Titanas canerem, ... Non veteres Thebas nec Pergama ... Regnave prima Remi aut animos Carthaginis altæ". — 520. *An tu tibi*. Versus causa aut *an* aut *tu* tollendum videtur. — *dicta docta*, cf. Trin. 380: „Multa ego possum docta dicta et quamuis facunde loqui". — 523. *eos* abundat post *illos*, cf. Bacch. 383: „Homini amico,

quist amicus ita uti nomen possidet, Nisi deos ei nihil praestare". Cas. 627: „Tua ancilla, quam tuo uillico uis dare uxorem, ea intus". Epid. 52: „istanc quam emit, quanti eam emit?" Exempla ex Cicerone et Livio affert Draeger, Historische Syntax d. latein. Sprache p. 67. — *qui deludunt, deperis*, sc. eos, cf. ad 506. *deperis* olim emendatum. — 525. *moriatur* item, tam versu quam sermone iubente. In *matris* autem morte Argyrippus spem habet; nam mater, non pater, dives est. — „tua" B solus. — 526. Versus in codd. iusto longior. Both. vocc. „nobis" et „et" omisit, Fl. „magnum". — 528. Post *argenti* hiatus in cæsura. Müller verba transponebat: „nisi huc argenti mi". — 529. *largus lacrumarum*, i. e. qui nihil largitur præter lacrumas. Cf. Ter. Phorm. 520: „Ego te conpluris aduorsum ingenium meum menses tuli, Pollicitantem et nil ferentem, flentem; nunc contra omnia haec Repperi qui det neque lacrumet". — 530. *dies summus*, i. e. postremus, cf. Verg. Æn. 2, 324: „Venit summa dies et ineluctabile tempus". Plin. Ep. VI, 31, 14: „Summo die abeuntibus nobis". Maxime Plaut. Pers. 34: „Haec dies summa hodiest, mea amica sitne libera an sempiternam seruitutêm seruiat". Pseud. 374: „haec est praestituta summa ei argento dies". Quibus locis permotus Fl. hic quoque edidit: „Haec dies summast". Me nec masculinum genus offendit nec hiatus in cæsura, sed sententiæ defectus. Hoc enim dici debere apparet, ut Gronovii verbis utar: „Hic dies est, quo postremum inopiæ excusatio accipitur, ultra quem nulla talis excusatio valet". Verum hoc nec ex codicum scriptura efficitur nec ex iis, quæ substituit Gronovius, „Hic dies summa est apud me inopiae excusatio". Requiritur aut „excusationi" aut, ne a versu recedatur: „H. d. s. apud me, quo inopiae excusatiost" aut „nec inopi excusatiost". Sed accuratius rem consideranti apparebit proximi versus sententiam nimis abrupte huic adiungi; quare versum excidisse censeo, et talem fere hunc locum mihi animo informo:

Hic dies summust apud me; inopiae excusatio
[Nullast, nisi fame inopiaque conflictari nos placet.]

532. Post *qua* hiatus admodum molestus, cuius removendi causa Both. et Ritschl. N. Exc. p. 62 „quad" scribebant; Bergk, Bei-

träge z. lat. Gr. p. 63 „quoia“, atque in B post *q* duæ litteræ erasæ sunt, tum secunda manu *a* suprascriptum. Fleckeis. „danunt“ pro „dant“. — 533. Fl. ed.: „Set si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone“; verum nihil mutandum. — 534. *contemples.* Activam formam et ex hoc et ex aliis locis affert Nonius p. 470; totum genus tractavit Gellius XVIII, 12. cf. ad Amph. 818. Sensum sic explicat Lambin.: „Meum caput fac contempleris, quod canum est, et fac cogites fore, ut tu quoque canescas; quare, dum ætate integra es, tuis rationibus consule“. — 535. *opilio*, ovium pastor, qui producta prima upilio dicitur apud Verg. Buc. 10, 19. — 536. *peculiarem*, quæ sui peculii sit, cf. Aul. 457 sq.: „gallus gallinaceus, qui erat anui peculiaris“. Pers. 202. — *spem*, sibi ereptam, fractam; nam nisi fefellisset, solatio non opus erat. Accuratius Vergilius Georg. I, 159: „Concussaque famem in silvis solabere quercu“. 293: „longum cantu solata laborem“. — 537. Post *Argyrippum* hiatus in cæsura. Müller „hunc“ addebat. — 539. *produxisti*, i. e. peperisti, educasti, ut Capt. 756: „Quasi in orbitatem liberos produxerim“. Rud. 1173: „ego is sum, qui te produxi pater“. — *Audientem dicto*, nam intro abitura est, ut iusserat mater. Sequitur autem ipsa mater.

---

540. Adveniunt servi perfecta fallacia triumphantes. Hilarissimum colloquium iambicis septenariis scriptum est. *Perfidiae* quasi deæ gratias agunt. *Gratias habemus*, v. ad Amph. 179. — 542. *Scapularum confidentia*, i. e., ut ait Nonius p. 262 hunc versum afferens, scapularum patientia freti. Sed quod sequitur, *uirtute ulmorum freti*. ridiculum est atque adeo contrarium eius, quod desideratur, quare Lambinus et Bosius „uirtute humerorum“ scribebant. Mihi in mentem venit: „Scapularum confidentia in uirtutem ulmorum freti“ aut „uirtute ulmorum spreta“. Eo autem incertior est emendandi ratio, quia locus etiam alio vitio laborat; nam desideratur verbum sententiæ, nec anacoluthi ulla excusatio cogitari potest. Quare olim Fleckeisenium secutus credebam versum excidisse, quem mihi talem fere informabam: „Praedam potiti splendidam redimus iam uictores“.

Quumque etiam proximum *Qui*, a quo v. 543 incipit, verbo careret, alterum versum excidisse putabam post v. 546 (vel potius, quoniam hic spurius videtur, post 545) talem fere: „Obiectis stetimus fortiter scapulisque cruribusque". Nunc eo magis inclino, ut cum antiquioribus editoribus v. *Qui* tollam, quo facto locus sanari potest, si pro *stimulos* scribitur *stetimus*. — Enumerantur varia tormenta. *Lamminas* candentes inter cruciatus commemorant Lucret. III, 1017. Cicero. Verr. V, 63, 163. Horat. Ep. I, 15, 36. alii. Duplici *m* vocabulum scribitur hic in cod. B, apud Lucretium aliosque, vid. Lachmann ad Lucr. p. 205. — 544. „*Nervum*" ait Festus p. 165 „appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes inpediuntur, quamquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait", cet. Cui de materia non est quod adstipulemur, v. Curcul. 685: „te neruo torquebo itidem ut catapultæ solent". — „*Numella*" ait Festus p. 173 „genus vinculi, quo quadrupedes deligantur; solet autem ea fieri nervo aut corio crudo bovis", et tale commemoratur apud Varronem et Columellam. Minore fide dignus est Nonius, p. 144, cui est „machinæ genus, quo et collum et pedes immittunt". Affert hunc versum *carcerem* scribens, quod aptius sane videtur quam quod vulgo edunt „carceres", cui prætulerim fere, quod in cod. B est, „carceris", genetivo singularis. — „*Boiae*", ait Epit. Festi p. 35: „i. e. genus vinculorum, tam ligneæ quam ferreæ dicuntur". cf. Capt. 880. — 545. *Indoctores* nihil est. Apparet significari lorarios carnificesque ad puniendum acres. Camerarii hariolatio „incloctores" refutatione non eget; Gronovius „inductores" scripsit, quod nemo intelliget, nisi forte lecta enarratione: „ab illis, qui tectorio parietem inducunt; sic enim livore cæsis inducebatur tergum", coll. Rud. 1000: „Fiet tibi poeniceum corium, postea atrum denuo". Videtur fuisse *inpactores*, i. e. qui compedes inpingunt, ut est Capt. 727. Pers. 572, aut qui fustem impingunt, ut ait Cœlius ad Cicer. Ep. VIII, 8, 9. — *gnaros nostri tergi*, qui nos sæpe verberaverunt. — 546. Versum numeris destitutum pro interpretamento antecedenti adscriptum habuit Bothius, prob. Fl. — 548. *Ui pugnando*, cf. Amph. 410. Fleckeisen, qui in editione ordinem verborum invertit, hoc ipse postea improbavit, Ann. phil. CVII, p. 502. — *fugae* pro

„eugae“ scribendum esse Bücheler intellexit, Ann. phil. 1863, p. 772. Vulgaris librariorum error est, ut E pro F aut F pro E scribant. Sic in antecedenti versu „forum“ pro „eorum“, in Aul. 667. Most. 674 „fuge“ pro „euge“ scriptum. — *potiti*, vid. ad Amph. 175. — 549. Versus ne ante diæresin spondeum haberet, Fl. ed.: „Uirtute id conlegæ huius [mei] meaque comitate“. — *conlegae* cf. 569. — *comitate*, i. e. facilitate adiuvantis, cf. Mil. 79: „mihi ad enarrandum hoc argumentumst comitas, Si ad auscultandum nostra erit benignitas“. Trin. 356: „qui comitati simus beneuolentibus“. — 550. Versus causa Fl. „Qui mest uir fortior“ scripsit. Quid si omittatur verbum substantivum, ut v. 548? — 551. *Edepol qui*, vid. ad Amph. 769. Si locus integer est „Tu vero“ inquit „virtutes tuas tam laudare potes, quam ego malefacta tua“, ut hypothetice efferantur quæ simpliciter declaranda erant, cuius rei quoniam rationem desidero, malim cum Gertzio *non* pro *nunc* scribere. In nostra ed. errore interrogandi signum positum est post v. 552, ut in Pareana; *qui* illo loco positum interrogativum esse nequit. Nec magis relativum esse potest, quod voluerunt plerique inde a Camerario et Lambino ad Fl., qui sic hunc locum refinxerunt: „Edepol uirtutis qui tuas nunc possit collaudare, . . . „Ne ille . . . memorare multa possit“, et iusto licentius nec sine gravi tautologia. *illa multa*, i. e. illius generis multa. — 554. *Ubi*, i. e. qua occasione, cf. ad Amph. 246. — 555. *uerbis conceptis*, i. e. rite pronuntiatis, altero præeunte solemnem formulam, in qua erat „si sciens fallo“ (Plin. Paneg. 64) aut „ex animi sententia“ (Cic. Off. III, 29, 108); cf. Bacch. 1021. Senec. Mort. Claud. 1, 3. Cic. pro Cluent. 48, 134: „dixit se scire illum conceptis verbis peierasse“. — 557. *saepe* post *multa* in sententia primaria abundat. Item v. 567. Cf. ad Amph. 158. — *pendens*, vid. supra ad v. 297. — *Causam dixeris.* Servus, qui verberatus adversus carnifices exclamat et lamentatur, cum reo comparatur in iudicio contra accusatorem se defendente. — *Octo*, cf. Amph. 159. infra 567. — 558. *Astutos* a sensu abhorrere pridem animadversum est. Iam Turnebus ex glossa Festi, Epit. p. 20: „Artitus, bonis instructus artibus“ verum inveniri posse vidit, sed quod *παντέχνους* enarravit, erravit; nam artitus non magis ab arte derivari potest quam mentitus a

mente. Rectius Douza Festum de artubus loqui censebat hominesque artubus valentes s. robustos significari. Sed adiectivum inde derivatum iure Fleckeisen *artutos* scripsit, simul ad codicum litteras quam proxime accedens. — *uirgatores*, qui virgis cædunt. — 560. *edepol ni* codd.; edd. plerique *ne*, Fl. particulam omisit. — *etiam quoque*, v. ad Amph. 30. — 561. *fideli*, i. e. fidenti, ut est v. 554. — 562. *et*, quod in codd. ante „manufesto" ponitur, Fl. huic voc. postposuit. — 563. *sis admolitus*, admoveris. — 564. *et* inter duo posteriora trinomii aut polynomii membra (contra regulam Madv. Gr. 434 not. 1) non raro additur, cf. Amph. 834. Capt. 134: „Macesco consenesco et tabesco". Mil. 1126: „Acroteleutium, ancillula eius ac Pleusicles". Pseud. 44. 979: „Legirupam inpium periurum atque inprobum". Trucul. 477: „fer huc uerbenam mihi tus et bellaria". Terent. Heaut. 526: „auidum miserum atque aridum". 893: „uestem aurum atque ancillas". Lucret. IV, 229: „Cernere odorari licet et sentire sonare". al. — 567. *ad languorem dederis*, fatigaveris, cf. Ter. Heaut. 807. — 568. *adfectos*, instructos, cf. Ter. Phorm. 977: „Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia". Cicer. p. Plancio 33, 80: „omnibus virtutibus me affectum esse cupio". — 570. *ingenio nostro* post *meque teque* ablativus casus sit necesse est, ut verbum quod est *decere* apud Plautum non solum cum accusativo iunctum videatur et cum dativo (vid. ad Amph. 813), sed etiam cum ablativo, id quod in adiectivo fit Mil. 620: „neque te decora neque tuis uirtutibus".

572. Post *habesne* hiatus. Müller p. 642 et Nachtr. 103 „habes nunc" volebat. — *Hariolare*, verum divinasti, cf. Mil. 1248. — 573. Accusativus cum infinitivo ponitur h. l. post *edepol*, ut post *fortasse*, de quo v. ad Amph. 615. — 574. *med* versus causa edd., vix necessario, quamquam in similibus locis litteram paragogicam retinui Amph. 500 et 556. — *quam* (em. ed. pr.) post *ut* abundat, vulgari sermonis negligentia, cf. Stich. 570: „ut apologum fecit quam fabre!" Mil. 402: „ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit!" (ubi codd. „quia"). — 575. *continui*. Altera versus dipodia in anapæsto terminatur, quod fieri non debet; quare Both. „contini" ausus est, Fl. „risu me" scripsit, quo fit, ut pereat diæresis. — „*Inclamare*" ait Fest. Epit. p. 108

„conviciis et maledictis insectari"; cf. Cist. 110. Mil. 1029. Trucul. 660. — 576. Ne post *se* cum retenta longa vocali hiatus sit, Reizius *sese*, Müller „sepse". — 577. Hunc versum Fl. post versum 574 posuit; non opus. — 578. Post *Philaenium* hiatus in diæresi legitimus; alter post *quae* vix ferri potest; quare Müllerus „isthæc" scribebat, ego *illæc*. Sed etiam proximi versus numeri turbati videntur; quare Gruterus v. „atque" in hunc versum retraxit, quem secuti Both. Fl. „Una Argurippus" scripserunt. Equidem cum Weisio „una" omiserim. — 579. *Opprime os*, i. e. linguam comprime. — 580. Meretrix amatorem a matre eiectum lacrimans lacrimantem sequitur, et arrepta ora pallii eius *lacinia* retinere studet; cf. Cic. Orat. III, 28, 110: „Nam illud alterum genus ... obtinent, atque id ipsum lacinia". Plaut. Merc. 125: „At tu edepol sume laciniam atque absterge sudorem tibi". — 581. Leonidas, qui præ gaudio silere non potest, culpam festive coniicit in nummos mercatori ereptos, quos, quia pro asinis accepti erant, ipsos *asinos* dicit, ut Pers. 264: „amico homini bobus domitis mea ex crumina largior". ib. 318. Trucul. 646 de argento ovibus venditis comparato: „oues illius haud longe absunt a lupis". Asini igitur in crumena inclusi ne rudere incipiant, timere se dicit, ideoque *pertica*, i. e. baculo opus esse, qua eos verberet. — *Quoi rei* sc. faciundæ, aut ad quam rem. Correctio antiquæ formæ in B geminationem peperit. Non minus facile emendatum est, quod in B „asinos" superiori versui adhæret. — 583. *crumina* Plautini codd. constanter, *crumena* Horatiani Ep. I, 14, 11. „Sacculi genus" esse dicit Fest. Epit. p. 60.

---

584. Exeunt Argyrippus et Philænium. — Post *tui* hiatus in cæsura. — 585. Si versus recte traditus est (et cum B prorsus consentit Nonius p. 349), hiatur et post „Uale" et post „aliquanto". Priorem hiatum erunt qui mutata persona defendant; posteriorem tollas, si aut cum Bothio „Aliquantod" scribas aut „ego" addas. Fleckeis.: „Pol aliquanto". Fuerunt etiam qui „Uale" geminarent. — 586. *Salue* non solum advenienti, sed etiam abeunti dicitur, cf. Capt. 737: „Uale atque salue". Cic. Fam. XVI, 9 extr.: „Vale, salve!" Vergil, Æn. XI,

97 sq.: „Salve æternum mihi, maxume Palla, æternumque vale“. — *offers* B; edd. fere ex aliis codd. „adfers“; sed illud probum est, cf. Catul. 64, 247: „Theseus qualem Minoidi luctum obtulerat“. Cic. Rosc. Am. 13, 37: „qui mortem obtulerit parenti“. — 587. *supremum*, quo nihil amplius dictura est; nos supremum verbum diceremus aut „ultimatum“. Turnebus *supremam* postulabat, sc. horam, coll. Varr. L. L. VI, 5. Plin. H. N. VII, 60, 212. Censorin. 24, 3. Non opus, quamvis assentiantur Gronov. Both. Fl. — *tua* ante diæresin iambi vicem tenet, cf. 627. 657; Fl. transponebat: „tua mihi“. — 588. *Acerbum funus*, i. e. immaturum, cf. Verg. Æn. VI, 429: „funere mersit acerbo“. Cic. p. domo 16, 42. — 590. Non *mox*, quod codd. præbent, sed *nox* scribendum esse Lipsius intellexit, „i. e. noctu; nam adulescentem aliquid de nocte dixisse apparet ex sequenti versu“. Extabat hæc forma in XII Tabb.: „si nox furtum faxsit“ (cf. Gell. VIII, 1), apud Ennium: „si luci, si nox“ (v. Priscian. VI, 93, p. 278 H.), apud Lucilium (III, v. 22): „hinc media remis Palinurum pervenio nox“. Sæpius invenitur „pernox“. — 591. *largus opera*, cf. Amph. 168. — Ironice irridet servus herum nocturnam operam promittentem, quasi interdiu gravibus negotiis occupatus sit; scilicet Solonem esse quendam leges populo scribentem. Corruptam codicum scripturam alii aliter correxerunt; Both.: „nunc enim interdius negotiosus est (uidelicet Solonem)“; Fl.: „nunc enim *hic* est Interdius negotiosus: uid. S.“ Optime Müller Pl. Pr. p. 280: „nunc enim esse Negotiosum interdius uidelicet Solonem“. *Interdius* extat etiam Aulul. 72. Capt. 723. Most. 436. Pseud. 1296; *dius* autem Merc. 850: „neque quiescam usquam noctu neque dius“. *uidelicet*, i. e. videre licet, putes te videre. Ne mireris accusativum cum infinitivo adiunctum esse, cf. Stich. 555: „Uidelicet parcum illum fuisse senem“. 557: „Uidelicet non fuisse illum æquom adulescentem“. Lucret. I, 210: „Esse videlicet in terris primordia rerum“. Cf. „scilicet“ infra 780. — 593. *gerrae*, i. e. nugæ, ut ait Nonius p. 118 h. l. allato; cf. Epid. 230. Pœn. 137: „gerrae germanae, edepol λῆροι, λῆροι meri“. Trin. 760. — 596. *licessit*, i. e. licuerit, ut habessit habuerit, de quo vid. Madvig. Opusc. II, p. 65. — 597. *minatur sese abire*; præsens infinitivus pro futuro in hoc

et similibus verbis frequens est, cf. Men. 829. Stich. 26. Pseud. 781 sq. Lucret. I, 722: „minantur se colligere iras". Cas. 265: „promisi dare", cf. Cist. 372. Trin. 5. Curc. 666. Merc. 622. Most. 1066; tum Cist. 412: „adiurat se monstrare". Curc. 72: „me inferre Veneri uoui", cf. ib. 181. Rud. 589: „prodi sperauit", infra 692. Ter. Eun. 520. al. Cf. supra v. 439. — 598. Fl., quo commodiores essent numeri „tuo face" edidit. — 599. Post *uale* hiatus in cæsura. — 600. *quantum potest*, vid. Amph. 964. Fl.: „potis"; non opus. — 602. *Ego* (vel si perspicuitatis causa cum Fl. „Egon" scribas) ultima producta legendum videtur, v. ad Amph. 196. Quod si non admittitur, post *si* hiatus est, cuius removendi causa Fl. „ego" addebat, alia Spengel, Plaut. p. 226. — 604. *amissurum*, i. e. dimissurum, vid. ad Curcul. 598. Most. 424: „Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi, quom me amisisti a te uix uiuom modo". Ut ibi „a te", sic h. l. *tibi* additur, quod Fl. in „mihi" mutavit. — 606. Versus causa Fl. „omnia in me" edidit mutato verborum ordine. Ego malim cum Bothio verbum substantivum omittere. — 607. Hic quoque omittenda erunt vocabula male repetita, „mihi" in extremo versu et „tu es", quod in priore sententia ferri vix potest. Camer. voc. *mihi* ab exitu huius versus in principium sequentis transferri volebat, Both. deleri, sed abesse non potest. Fl. priore „mihi" omisso ed.: „O melle dulci dulcior tu's. PH. Certe enim tu mihi uita's". — 609. Si versus recte scribitur, hiatus est post *Libane*. Antiqui edd. hoc nomen geminabant; Fl. „is est" ed.; Müller „Libane mi" proposuit. — 610. *qui pendet*, vid. ad 297. In cod. B Leonidæ verba a voc. „Scio" incipiunt; Fl. a proximo demum versu orditur. Parum refert.

612. *fumus*, qui lacrimosus dicitur Hor. Sat. I, 5, 80. Ovid. Met. X, 6. — 613. *lacrimantes* olim emendatum. — 614. „Eum" inquit, „qui manumissis vobis patronus futurus erat, amisistis, nam ego iam mortem obibo". — 618 sq. Servum impudenter optantem herus graviter obiurgans tacere iubet. Qui postquam in aliam sententiam se hæc dixisse purgavit, herus nihil obiicit, quo minus quod velit dicat. Quo arrepto Leonidas, quasi nova oblata optandi occasione, sibi libere dicit conservum Libanum verberare; is autem v. 620 respondet parum credibile

esse hoc facere effeminatum servum, cui ipsi tam solitum et prope necessarium sit verberari quam cibum capere. — *calamistrate*, i. e. cuius coma calamistro crispata est. — 621. Post *cibo* hiatus in cæsura. — 623. Post *qui* hiatur; non opus est nec ut transponatur „Hodie qui", nec ut cum Müllero „usque ad" scribatur. — *hodie numquam*, v. ad Amph. 394. — 624. Aut post *amo* hiatur retenta etiam longitudine vocalis, aut aliquid excidit. Fleckeis. „et [itidem] haec me" ed., postea prætulit „et haec me [contra] amat", coll. Mil. 101. — Mox *nusquam* pro *numquam* olim emendatum. Ceterum Müller damnato hoc versu scribebat: „Quia hinc me amantem" etc., sic demum recte responderi arbitratus. Sed vulgaris hominum sermo non ita sententias nectit et comprehendit ut rhetorum disciplina excultus, quo sic dictum esset: Quia, quum ego hanc amem et hæc me, non est, quod dem. — 625. *med* extat in B; I ceterique: „me clamantem", quod ex illo ortum est. — *delegit* codd., quod errore quodam Nonii p. 290 fuerunt qui defenderent. Fl. ex antiqua emendatione „eiecit"; sed quamvis antecedat „ex", nescio an *deiecit* ferri possit. — 626. Hiatus post *me* vix probabilis; „med" legi possit. Fl. transp.: „ad mortem me". — 627. *Diabolus* alteram dipodiam terminat; ante diæresin pyrrhichius pro iambo, cf. 587. — *daturus* pro „se daturum", Græca structura, cf. Catul. 4, 2: „ait fuisse navium celerrimus". Verg. Æn. II, 377: „sensit medios delapsus in hostes". Hor. Ep. I, 7, 22: „dignis ait esse paratus". al. — 631. *Bono animo es*, nam, si non dedit, non est quod timeas. — 632. *Si quid uis*, sc. paratus sum. — 633. Argyrippus, quod servi collatis capitibus colloquuntur, suspicione aliqua commotus dicit eos *eadem opera* (vid. supra ad v. 98) inter se complecti posse, idque svavius futurum. — 634. *aeque* em. ed. pr. — 636. In cod. huic versui præfigitur ADOL., ante „Meum" autem LEON., utrumque prave; Libani oratio continuatur. *Haec* Philænium est, nec probari potest, quod Lamb. Both. Fl. substituerunt „hic". — 637. Ante *faciamus* auditur *ut*, vid. ad Amph. 12. — 639. *Concedite istuc*, secedite modo, ut consilia conferatis. Sperat eos aliquid inventuros, quod sibi prosit. — *Dignust* codd. præter B. — 640. Quod Fl. „te" pro *me* edidit, errori typographico deberi videtur. —

641. *Sequere hac*, ad Argyrippum redeunt. — *Satis locuti*, sc. estis? vid. ad Amph. 590.

642. „*Devorari*“ ait Nonius p. 454 „non solum cibus gutture, sed et vox auribus potest“. Præter h. l. affert Aulul. 527: „Nimium lubenter edi sermonem tuum“. Cf. Pœn. 971: „quam orationem hanc aures dulcem deuoraut“. Cist. 549: „mihi cibus est quod fabulare“. Most. 1046: „gustare ego eius sermonem uolo“. Iam Aristoph. Vesp. 462: *εἴπερ ἔτυχον τῶν μελῶν τῶν Φιλοκλέους βεβρωκότες.* Fragm. 205: *Καὶ πῶς ἐγὼ Σθενέλου φάγοιμ' ἂν ῥήματα;* „Bibere“ Hor. Od. II, 13, 32. Ovid. Trist. III, 5, 14. al. — 647. *tibi* ultima longa pronuntiandum, vid. Spengel p. 55 sqq. Inutiliter Fl. „nunc“ addebat. — 648. *Custos erilis*, i. e. eri, *decus popli*, unde ortus es. — *Thensaurus* pro „thesaurus“ legitur apud Plautum. Romani ut in Latinis vocibus non raro *n* ante *s* omittebant (vid. supra ad 275), ita in Græcis interdum addebant, ut „Athamans“ Corp. Inscr. Lat. I, n. 760, „Onensimus“ Momms. Inscr. Neap. 5809. Nominativus pro vocativo ponitur, ut infra 657. 684. Cas. 137. Cist. 54. Pœn. 363 sq. Most. 305. Stich. 759. al. cf. Madv. Gram. 299 b, not. 1. — 649. *hominis* corruptum esse numeri ostendunt. Edd. ex deterioribus codd. *corporis*, parum veri similiter. An *mominis* fuit, ut animus appelletur id, quod intus moveatur? — 650. *plane*, i. e. omnino, ut totum onus xx minarum solus collo et cervicibus sustineam. Infra v. 656 ridiculi causa in aliam significationem detorquetur. Cruminam argenti plenam collo portari facile intelligitur, cf. Epid. 356: „Ipse in meo collo tuus pater cruminam collocauit“. Trucul. 642: „Homo cruminam sibi de collo detrahit“. Pers. 313. 690. — 653. *baiulabo*, baiulus ero, onus portabo. Locum affert Nonius p. 79. — 654. *Quid est?* edd. Leonidæ tribuunt; codd. totum versum Argyrippo continuant, quod cur mutem, non video. — *cruminam erum pressatum;* sic Fl. optime versum emendavit. Bothius Scaligerum secutus *aerum* ed., quam genetivi formam in usu fuisse Priscianus testatur p. 744 = 310 H. — 655. *Hanc*, i. e. Philænium, cui *hanc* cruminam daturus es. — *orare mecum*, i. e. me, precando mecum agere, cf. 679. Bacch. 490. 549. Curc. 432. Cas. 301. 571. Merc. 521. Pœn. 604. Pers. 118. 322. al. — 656. Iocabundus servus vocabulo *plane*, v. 650

posito, aliam vim tribuit. Quod me iubes, inquit, cruminam in collo tuo, quasi plano loco, collocare, non possum; nam proclivis est iste locus; quidquid ibi posuero, ad Philænium delabetur. *Procliue* proprie dicitur solum (infra 703. Varro, R. R. II, 2, 7. Seneca de morte Claudii 13, 3. al.); unde apparet h. l. necessario non *quod*, sed *quo* scribendum esse. Quod si idem ad res labentes transferri possit, non est, quod labatur crumina, ante quam ad Argyrippum delata fuerit. In cod. I „istac" scriptum erat ab initio, postea correctum, quod ne cui placeat, eodem errore v. 654 „hac" pro „huc" scriptum est; ac, si non a sententia alienum esset, ut docuimus, illud „quod", necessario non „istac" sed „illac" scribendum erat. — 657. *meus ocellus*, cf. ad v. 648. — *mea rosa* ridicule servus appellatur; puellas sic alloqui solebant, v. Bacch. 81. Curc. 101. Men. 188. Ceterum ne „rosa" pro iambo esset (cf. 587), Bentleius ad Ter. Eun. 3, 5, 12 „mi animule" scribebat. *mi anime* extat etiam Rud. 1265. Curc. 98. 165. infra 931. — 658. *diiunge*, necessaria Fleckeisenii emendatio. — 659. *me igitur* versus causa scripsi; Both. Fl. voc. „tuum" omiserunt, quod abesse vix potest, cf. 686. Casin. 138: „meus pullus passer". — *Coturnicem;* ut passeres puellis (v. Catull. 2), ita coturnices fere pueris in deliciis erant, cf. Aristoph. Av. 707. — 660. Ut *haedillus* ab hædulo, ita *uitellus* a uitulo; utrumque hoc uno loco legitur, nam vulgo vitellus ovi partem interiorem significat. Usitatius est, quod infra 686 legitur, catellus a catulo. — 661. *Prehende auriculis*, quod faciebant plene et ex animo osculantes, cf. Pœn. 373: „Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem sauium". Tibul. II, 5, 92: „natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet". Theocr. 6, 133: *Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλησε τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὄκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.* Plutarch. de audiendo c. 2: *Οἵ τε πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες αὐτοί τε τῶν ὤτων ἅπτονται κἀκεῖνα τοῦτο ποιεῖν κελεύουσιν.* Pollux X, 100: *χύτρα καὶ φιλήματος εἶδος ἦν, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη, τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα· ὑποδηλοῖ δὲ Εὔνικος ἐν Ἀντίδι· Λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν.* — „*Comparare*" ait Nonius p. 255 „est sociare, coniungere". Affertur præter h. l. Titinius Gemina: „ut cum ea primum blanditer comparemus colloquia". — 662. *Quam uero*, ironice; cf. 690. — 663. *ni genua confricantur* (sic iam

in B sec. m. emendatum), i. e. nisi mihi genua attrectans supplicaveris, ut ait Douza; id quod precantes facere solebant, vid. Iliad. I, 500: καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο καὶ λάβε γούνων, aliaque multa. — 664. Ne hoc quidem recusat adulescens inopia coactus, sed nolens nec ita, ut vere supplicem decebat, genua servi fricat, v. 671. — *dant* cod. B; inde ceteri: „da nunc", repugnante versu; Gruterus: „dane", i. e. dasne, quod ita retinui, ut „dan" scriberem, quamquam mallem: „modo des" aut „det"; sed „modo" omitti posse non credo. — 666. „Isto beneficio et libertatem a domino consequere et eum semper tibi obnoxium reddes" Lamb. De *eme* cf. 71. — „benficio" scribebat Ritsch. Opusc. II, p. 718. — 668. *Numquam me orares, quin darem,* i. e. non frustra me orares. Fl. ex malis codd.: „Numquam morarem", et in extremo versu de suo: „orarest melius". Neutro opus. — *illum,* Libanum, cui iam cruminam tradit. *melius est,* cf. Ter. Eun. 765. — 669. *Illic* codd. correpta ultima, cf. Prol. p. 204. Müller p. 428 sq.; Both. Fl. „ille" ediderunt. — *i sane bella belle*, cf. Curc. 520: „Sequere istum bella belle". Rud. 426. — *Etiam* sæpe ponitur in principio interrogationis, ubi quæritur, aut quod per se vix credibile videtur, ut h. l. Bacch. 327: „Etiam rogas?", item Merc. 198. Bacch. 903: „Etiam me mones?" Merc. 751: „Etiam negas". Capt. 550: „tu autem etiam huic credis?", aut quod propter alterius cunctationem fore non videtur, cf. Aul. 249: „Etiam mihi despondes filiam". Bacch. 1161: „Etiam redditis nobis filios et seruom?" Hoc adhortandi quandam vim habet, nec multum abest a „quin", vid. infra 707. — 671. *nequiter,* male; apparebat te nolentem facere, v. 664. — 672. *Age sis* etc. Hæc Libano dicit. — *in partem*, i. e. pro tua parte, cf. Horat. Epod. 2, 39: „Quod si pudica mulier in partem iuvet". infra 907. Fl.: „tuam partem", quasi tuam vicem. — 673. „Non est, inquit, quod me moneas; promitto me in hoc deludendo te ipsum superaturum", Schmieder. *me spectes*, cf. 144. — 675. *Inambulandumst.* Superbe et quasi abiturus inambulat, ut se herus timore vexatus persequatur. — 676. *sis sospitari,* i. e. si servari vis. — 678. *Uidebitur*, i. e. deliberabitur. Equidem, inquit, factum volo; videbo, si fieri possit. — *conticinno,* i. e. cras mane ante diluculum. Vocabulum ita scripsi, ut est in cod. et apud M. Aurel. ad Fronton.

p. 49: „Iam conticinnum atque matutinum atque diluculum usque ad solis ortum gelidum“. Verum Censorin. D. nat. 24: „Incipiam a media nocte . . . . Tempus quod huic proximum est, vocatur de media nocte; sequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt; dein conticium, cum conticuerunt; tunc ante lucem, et sic diluculum, cum sole nondum orto iam lucet“. Apud Macrob. Sat. I, 3 in simili loco „conticuum“ est. Non. p. 62: „Conticinium noctis primum tempus, quo omnia quiescendi gratia conticescunt“. Unde non solum nominis formam, sed, quod minus ferendum, etiam pravam enarrationem Plauti editores et interpretes amplexi sunt. — 679. *istanc* iam in B emendatum. — 680. *uis te* codd. Ritsch.: „ted“. Both. Fl.: „te uis“; Müller: „uis te [a me] an“. — 681. *Enimuero*, profecto; cf. Pers. 350: „Enimuero odiosa es“. Pseud. 983. — *et tu* delevit Both. — 682. Patronum herus servum appellat ex v. 645, seque rursum libertum. — *potius* abundat post magis, cf. Cist. 43: „At satius fuerat eam uiro dare nuptum potius“. Capt. 680: „potius praeoptavisse“; alibi „potius malle“. — 686. *tuam* Both. addidit et sententia et versu postulante, cf. 659. — *aneticula* (sic correctum in B; a prima manu „aniticula“ erat) est anas parva. Anas obliquos casus per *i* format, ut „anites“, Capt. 996; sed hæc vocalis, ubi in proxima syllaba alterum *i* sequitur, in *e* transit, cf. Rud. 533: „fortuna anetina“, sic ut fit in vocc. genetivus, genetrix, meretrix, v. Lachmann. ad Lucret. p. 15. — *columbam*, cf. Casin. 138. *catellum* Hor. Sat. II, 3, 259: „Sume, catelle“. — 687. *monerula* in codd. legitur hic et Capt. 995; eadem videtur atque monedula, Ovid. Met. VII, 468. al. — *putillum* edd. „pusillum“ aut enarrant aut corrigunt, versus causa simul mutato ordine, nec nos melius quidquam habemus. — 688. *me duplicem* ed. pr. — *Proserpens bestia*, anguis, cf. Stich. 720. Angues bisulcas linguas habere notum est, v. Aristot. de partibus animalium II, 17. Ovid. Met. IX, 65. Plaut. Pers. 300: „Tamquam proserpens bestiast bilinguis“. Pœn. 1037: „migdilibs, bisulcilinguis, quasi proserpens bestia“. Servus meretricem iubet inter osculandum linguam cum sua componere, ut serpentis modo duas linguas habeat; cf. Pseud. 1256. Apul. Met. VI, 8: „septem savia suavia et unum blandientis appulsu

linguæ longe mellitissimum". — 689. *Circumdato* Both. (B: „circumdatorque", sed *r* expunctum). — 691. Ne post *dictum* hiatus esset, antiqui edd. „tu" addebant; Both. Fl. transp. „dixeris in me tam indignum dictum". — Servus „Ne istuc" inquit „in me *nequiquam*, i. e. impune, dixeris, tu pol hodie me vehes ut equus equitem". Both. Fl. mutato ordine „me hodie"; non opus. *speras* iure postulat Müller, Nachtr. p. 121. — 693. Post *argentum* hiatus; edd. plerique „hinc" addunt. — 694. *si uerum* ferri non potest. Antiqui edd. *uerum* anteponebant. Sed, nisi fallor, altius latet ulcus, et „si uerum" male scriptum est pro *sin erum*, quo facto postea obiectum „erum", quod desiderabatur, alio loco additum est. *Sin* Plautus etiam alibi posuit, ubi nulla antecedat alia hypothesis, cf. Aul. 581: „Sin dormitat, ita dormitet". Pseud. 254: „Sin tuam est quidpiam in rem". Pers. 228: „Sin te amo". — 695. *isti* olim emendatum. — *subdomari* hoc uno loco extat. — 696. *consuctus es puer*, ubi cum æqualibus ludebas et alter alterum tali ratione portabat. Quod quomodo fecerint, qui oculis spectare velit, inspiciat v. c. vascula picta, in quibus Hercules Bacchum vehit, collecta a Prellero, Berichte d. Sächs. Gesellsch. 1855, Tab. I-II. Cf. Welcker, Alte Denkmäler III, p. 309. — *scin* iam in B emendatum. — 697. Hunc versum B Philænio tribuit; edd. recte Libano continuant. — *Abi* non est abire iubentis, sed quasi in interiectionis vim transiens ponitur, ubi dicimus nos iam contentos esse nec habere, quod amplius moneamus. Ad Terent. Ad. 5, 1, 3 = 765: „Edepol, Syrisce, te curasti molliter Lauteque munus administrasti tuum; Abi" Donatus: „Verbum vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. Nam sic dicunt, qui iam compotes sunt votorum omnium perfectique in rebus universis". Cf. Ad. 564: „Laudo, Ctesipho, patrissas. Abi, uirum te iudico". Plaut. Trin. 830: „Abi, laudo". Sed etiam sine laude in interrumpendo aut negando, ut Most. 1063 et Mil. 326: „Abi, ludis me". Aul. 814. Mil. 1104. al. — *laudo nec . . . est*, i. e. laudo nec esse arbitror. Fl. „ne . . . nullus" scripsit; sed Plautus interdum per copulativas coniunctiones membra coniungit diversæ structuræ, ubi nos coniunctionem abesse mallemus, cf. Most. 596: „Ultro te! neque ego taetri-

orem beluam uidisse me . . . censeo". 1023 sq.: „Seruorum operam et lora mihi cedo. Eademque opera haec tibi narrauero". 803: „Quin tu is intro; atque otiose perspecta, ut lubet". Truc. 621: „Datin soleas, atque me intro ducite". Men. 864 sq.: „Quid cesso abire ad nauem, dum saluo licet? Vosque omnis quaeso . . . ne me indicetis". Bacch. 326: „Meminero, et recte mones". Epid. 683: „Cedo manus igitur. EP. Morantur nihil; atque arte colliga". Mil. 523: „Licetne? PE. Quin te iubeo; et placide noscita". Pseud. 277 sq.: „Audio; Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer, quid uelis". — 698. *ut tu incedis!* quam segniter. — 699. *de hordeo;* sic etiam Nonius p. 4; sed ne cum hiatu pronuntiaretur, Both. „tuo de hordeo", Fl. „tibi de hordeo". Minatur se pabuli partem deducturum, nisi celeriter saltando incurrat, quod *tolutim* Romani dicebant, nos „galop", vid. Non., qui enarrat „volutim vel volubiliter" multosque affert locos. Addi potest Plin. H. N. VIII, 42, 67, 166 de equis, qui dicuntur asturcones: „non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, unde equis tolutim capere incursum traditur arte". cf. Verg. Georg. III, 117: „insultare solo et gressus glomerare superbos". — *badizas* codd., sed Græcum vocabulum Latine flexum Latino more scribendum erat. Eiusdem generis sunt apud Plautum malacisso, mœchisso, patrisso, cyathisso; Ep. 668 apolactizo scribitur. — 701. *quadrupedo* codd.; edd. *quadrupedem* sine sensu; saltem *quadrupedantem* scribere debebant, ut Capt. 806: „quadrupedanti crucianti cantherio". Plin. H. N. VIII, 45, 70, 182: „equo iuxta quadrupedante". Sed caute agenti codicis scriptura relinquenda est, ut *quadrupedo* non adiectivum sit, sed adverbium rationem cursus significans, non saltui similem, quod tolutim dicebant (v. 699), sed eam, qua quattuor equi pedes æquis intervallis solum pulsant, id quod Gallice „trot" dicitur. Ita Fronto quidem hoc vocabulo usus est Ep. ad M. Cæs. II, 4, p. 54 Nieb. = 22 Nab. „æque pernicitas equorum exercetur sive quadrupedo currant atque exerceantur, sive tolutim". Ep. ad Antonin. 4, p. 123 Nieb. = 155 Nab. de Seneca „sententias eius tolutares video quamquam quadripedo concito cursu", i. e. quamquam cursus quadri-

pedo concitus est. Rem primus indicavit Buttmannus ad Frontonem p. 54, qui tamen in eo errat, quod quadripedo non „trot", sed „galop" significare censet. — Hiatus in diæresi huius versus non offendit, nec prorsus negaverim *agitabo* sine obiecto poni potuisse; verum h. l. maxime ablativus *calcari* facit, ut „te agitabo" scriptum fuisse censeam. — *aduorsum cliuom;* clivum se adscendere fingit. — 702. *Postea ad* codd., hiatu parum probabili; edd. plerique „Postidea"; ego Gertzio auctore *te* addidi. — *ad pistores*, ad molas in pistrino versandas, quæ fere asinorum partes erant. — 703. Iterum se clivum descendere fingit, ubi et qui equo parcunt, et qui suæ securitati consulunt, pedibus solent ingredi. — 704. *ambo* olim emendatum. Excidisse aliquid numeri ostendunt. Antiqui edd. alterum „ambo" post „nos" addebant; Seyffert. in Philol. XXVII, 440 „ambos" ante „ambo", ego „satis" post „ambo" mallem. Fl.: „quoniam ambo nos ut est [con]lubitum delussistis". — 705. *statuam et aram* codd., Fl. „aram et statuam", quo magis appareat alliteratio. — 707. *Etiam*, i. e. „quin", vid. supra ad 670. Cf. Bacch. 669: „Etiam respondetis?" Ter. Andr. 849: „Etiam tu hoc respondes?" Curc. 189: „Etiam dispertimini?" Most. 921: „Etiamne aperis?" Pers. 274: „Etiam respicis?" 541: „Etiam tu illam destinas?" Rud. 467 et 469: „Etiamne acceptura es?" Pœn. 428 et Ter. Phorm. 542: „Etiamne abis?" Pers. 153 et Trin. 514 et Ter. Ad. 550: „Etiam taces?" Ter. Heaut. 235: „Etiam caves?" — *ipse* nec versus nec sententia admittit; scrib. *ipsum*. Leonidas pecuniam comparavit, Libano lusus causa tradidit, v. 670 et infra 721. Fl. ed.: „me ipse". Both. „ac me uicissim adgredere", ut 715. — 708. *iusserat*, vid. ad Amph. 379. — 709. Versus causa voc. *deum* transposuerunt edd. aut post „nominem" aut post „te". — *atque*, i. e. et quidem, vid. ad Amph. 278. — *Fortuna Obsequens* satis nota est vel ex scriptoribus vel ex titulis, vid. Preller, Myth. Roman. p. 558. — 710. *istoc es melior*, i. e. tanto melior, ut legitur Bacch. 207. — *olim* delevi, utpote errore legendi ex proximo vocabulo ortum. Frustra defendere conantur allato Mil. 2: „olim quom sudum est". Ibi „tum" significat, hic „umquam" requiritur. Müller coni. „An quid ulli hominist". — 711. *tamen* cum antecedentibus iungendum, v. ad Amph. 538.

— *Licet* mihi quoque, ut Müllero p. 116, pyrrhichius videtur. Fl. transp.: „Fortunam laudem". — 714. *operas*, servitutem amatoriam, cf. Bacch. 43: „ubi ei dederit operas". Trucul. 721: „Sine uicissim, qui dant operam, quod dant, operis utier". — 715. *adi* pro *ad* olim emendatum. — 718. *commodas*, integras, quibus potius aliquid supersit quam desit. Cf. Merc. 429. Rud. 1318: „talentum argenti commodum". Versum affert Nonius p. 266, ubi recte scribitur *quas dem*. — 720. *consuere*, cf. v. 78. Adulescens promissis nondum satis confidit. — 721. *huic* iam in B emendatum. Numerorum defectui consulens Fl. *tibi* addidit post „fui". Recte se *caput* huius rei dicit, qui totam fallaciam excogitaverit; alter autem in eadem similitudine manens se, qui adiuverit, *pedem* dicit, unde adulescens noto proverbio „nec caput nec pes" se hunc sermonem non intelligere significat. Sed *sermonis*, qua ratione olim scripturam cod. corrigebant, versui repugnat, quare ab aliis „sermonum" correctum est; facilius et rectius Seyffert in Philol. XXVII, p. 440 *sermoni*, cf. Capt. 607: „Garriet, quoi neque pes umquam neque caput conpareat". Cic. Fam. VII, 31, 2: „res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput nec pedes". — 723. Fl. mutato verborum ordine: „Nec quid dicatis scire nec me cur ludatis possum", sine causa. — 726. Post *te* hiatur. Müller interiectionem excidisse putabat. Both. Fl. licentius: „pater nos ferre iussit Hoc argentum ad te". — 727. *inerunt*, i. e. inesse videbis, cf. Pers. 644: „Haec erit bono genere gnata; nil scit nisi uerum loqui". Vulgatum est „sic erit"; Pseud. 681. Ter. Heaut. 1014. Phorm. 801. Eun. 732. — *bonae*, i. e. commodæ, v. 718. — 728. *Quid id est*, quod postulavit. — 729. *quaeso*, quod errore huic versui ex antecedenti adhæsit, delevit Both. — 730. *Meritissumo eius*, quod maxime meruit; „merito eius" sæpius Cicero, ut Attic. V, 11, 6. Fam. XIIII, 2, 2. Cluent. 59, 162. — 731. *dispulsos;* amores, quos prope amissos iam recuperat, cum pecoribus comparat ex errore reductis; cf. Cic. ad Att. VII, 7, 7: „pecudes dispulsæ sui generis sequuntur greges". Pison. 36, 87: „omni totius provinciæ pecore dispulso". — In cod. archetypo posterior pars huius versus una cum priore sequentis excidit. Alteri quidem defectui facile medetur, nam v. 732 integer in

codd. post v. 753 legitur. Priora quoniam non addidit librarius, editores de suo suppleverunt. — 732. *Haec*, crumena argenti plena. — *facile faciet;* hoc ordine hæc verba ponuntur altero loco (post 753), commodioribus sane numeris. — 733. *Leonida* ultimam producit. Quod ne fiat, Müller „Curre, obsecro, Leonida" mavult. — *huc* olim emendatum. — 734. *Angiporto*, cf. Pers. 445: „Abi istac auorsis angiportis ad forum". — 735. *circumit* codd. contracta perfecti forma; nam antiqui ut in „iisti", „iisse", ita itiam in „iit", „iimus", vocales sæpe pronuntiando coniungebant. Exempla et ex scriptoribus et ex titulis sumpta exhibuit Corssen, Aussprache d. Lat. II, p. 164, Plautina Fleckeisen, Exercit. Plaut. p. 39, quamquam idem postea in edendo Plauto aliud secutus est, velut h. l. „transiit" scripsit, nimis licenter; cf. Proleg. p. 212. Exemplis ibi allatis addantur Ter. Eun. 539 „coimus", 892 „arcessitum it". Ad. 782: „Abit". — *ne quis se uideret* olim emendatum. — 736. A voc. *Ne* edd. Libani orationem incipiunt, codd. Leonidæ continuant. — 738. *Bene dicite*, i. e. bona verba, quæso; malum omen deprecatur, ideoque inceptam sententiam interrumpit; cf. Aul. 778: „Bono animo es; bene dice". Casin. 323: „Quid si fors aliter, quam uoles, euenerit. ST. Bene dice". Both. et Weise „benedicito"; vix opus; nam quod unus dixit, uterque dicere potuerat.

---

739. Advenit Diabolus adulescens cum parasito, qui pro eo leges composuit, quibus parere debeat meretrix in annum conducta. — *quem syngraphum* etiam Nonius p. 225, vid. supra ad v. 236. — *conscripsti* versus causa pronuntiandum, cf. p. 211. — 741. *poeta*, artifex. — *unicus*, singularis, egregius. Gron. conf. Afran. Brundusinæ: „Quis tam sagaci corde atque ingenio unico?" Liv. VII, 1, 9. Vell. II, 7, 2. — 743. *translego* hoc uno loco extat. — 745. Voc. *dono* Both. et Fl. delerunt, ac sane proprie rem æstimanti non donum, sed pretium aut merces erat, sed turpis et ridiculus adulescens illo nomine appellare mavult. Müller animadvertit lenam quoque similiter locutam esse v. 193. — 748. Post *Addone* hiatus. Müller *id* addi volebat. — *Adde* iam in B emendatum. — *plane*, dilucide; *probe*, fortiter. —

749. Hiatur et ante „hominem“ et post idem voc.; Fl. „ad se“ addidit post „mittat“. Abundat omnino hæc scriptio, ut aliæ eiusdem generis, hiatibus, v. Proleg. p. 218. — *hominem neminem*, cf. Ter. Eun. 549. Cic. Nat. deor. I, 28, 78. al. — 750. *Quod* cum coniunctivo in hoc versu et sequentibus usque ad 789 fere idem est quod quamvis aut etiamsi, cf. Aul. 91: „Quod quispiam ignem quærat, extingui uolo“. Casin. 127: „quod te postules gustare quidquam“. Mil. 162: „Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam dicat“. Ter. Eun. 785: „Sane quod tibi nunc uir uideatur esse hic, nebulo magnus est“; ad quem locum Donatus ait audiendum esse „non est“. ib. 1064: „quod dicas mihi „alium quaerebam, iter hac habui“ periisti“. Cic. Verr. V, 68, 175. II, 13, 33. Pison. 27, 66. Imitatus est Fronto de Eloquentia 3, 3 (p. 83 Nieb.): „Quod quis dicat“. Ep. ad Amicos I, 11, 1 (p. 196): „Quod tu dicas“. Laud. Neglegent. 3 (p. 259): „Quod autem quis intutam .... neglegentiam putet“. Cf. Key, Latin Grammar § 1454. — *nominet* iam in cod. Pal. 5 emendatum. — 751. Pro *amica* iam antiqui edd. *amicae suae*, quod supplementum retinui non hiatus removendi causa, sed ne deesset syllaba versui. — 755. Hiatur et post *Ne* et post *quidem* (in cæsura); Ritschl. „illi“ addebat ante „ulla“; antiquiores „uspiam“. — 756. *Cerata tabula*, in qua epistula scribi possit. Quod veritus ridicule etiam vetat, ne tabulæ ceris pictæ in ædibus sint, quasi inde tantum ceræ abradi possit, quod satis sit ad litteras amatori scribendas. Itaque tabulas ceris pictas *inutiles*, i. e. nocentes, dicit; quæ in tectoriis parietum picta sunt, ea nec damnat nec prohibet. De ratione cera pingendi et cestro inurendi v. Müller, Archæol. § 320, 3. — 757. *in quadriduo*, cf. Pseud. 316. Pers. 38. — 758. *quo ex*, anastrophe, vid. ad Amph. 234. — 759. *Tuus arbitratus sit*, i. e. tu arbiter esto; ages, ut tibi libebit; cf. Rud. 1355: „Meus arbitratust, lingua quod iuret mea“. — Vss. 758—60 affert Nonius p. 190 admodum corruptos. — 762. *eorum* et *adiciat* olim emendatum. Post *quem* hiatus in cæsura; Both. Fl. „quemquam“, ut 772. — 764. *Tecum aeque*, cf. Ter. Phorm. 1032: „Noui aeque omnia tecum“. Nec „Tecum una“ habet quod offendat; sed quod sequitur *pocla*

(in B ab initio „poda“ fuerat, errore non raro), non iniuria Müller, Nachtr. p. 121, ablativum postulat, nam Stich. 702: „Uide quot cyathos bibimus“ aliud est, quoniam cyathus mensuram indicat. Cf. Stich. 726: „Uno cantharo potare“. Casin. 863: „Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet“. Sed si *poculo* h. l. scriptum fuit, etiam *uno* scribendum est. — 765. Ubi tu, inquit, poculum propinaveris, abs te accipiat; ubi ipsa principium fecerit, tibi tradat, ut nec plus nec minus quam tu illa bibat, nec plus aut minus quam tu *sapiat* aut intelligat; nam propinando convivæ animi affectus sibi significabant, nec raro per pocula amoris furtivi vincula quærebantur, ut ap. Ovid. Amor. I, 4, 31 sq. „Quae tu reddideris, ego primus pocula sumam, et qua tu biberis, hac ego parte bibam“. Sed ridicule hoc loco *sapere* ponitur, quasi sapientem vinum faciat. Nec eo minus stupido adulescenti placet. — *ted* et B tuetur et ceterorum error „adstet“. — 766. Prima dipodia constat ex dactylo et iambo; Fl. transp.: „Ne minus illa“; Müller „Ne illaec“ aut „Ne illa [aut] minus aut“ scribebat, quod fortasse recipi debet.

768. Ante *homini* hiatus; Fl. „usquam“ addebat; alii transponebant: „pede homini pedem premat“, quod improbat Luchs in Studemundi Studiis I, p. 22. — *Neque* pro „neue“ positum non paucis exemplis defenditur v. Holtz. Syntax. prisc. Lat. p. 326. — Quod ad intelligendum hunc locum attinet, cenandi ratio non ea est, quæ antiquitus fuisse dicitur, ut viris cubantibus feminæ sederent (Valer. Max. II, 1, 2). Nam qui posteriore tempore etiam matronarum mos fuit (Friedländer. Sittengeschichte Roms I, p. 285), ut cum viris accumberent, is nullo non tempore meretricum esse potuit, itaque hic factum esse ostendit v. 823. Triclinium nobis informemus animo eis simile, quæ in hortis quibusdam Pompeianis conspiciuntur, Philænioque non infimum omnium et extremum locum demus, sed in medio lecto cum amatore accubantem fingamus. Inde si necesse fuerit ei ut exeundi causa surgat, fieri non potest, quin præter alios convivas transeat, qua occasione ne alterius hominis pedem suo pede tangat (ut amator ille Ovidianus Art. I, 606)

suspiciosus amator metuit. In exeundo autem, si triclinium ita comparatum fuit, ut Pompeiana illa, ut lecti parietem tangerent, fieri non potuit quin per proximum lectum transiret; itaque post „neque“ addidi *quom*, quod etiam proximus versus flagitat; nam qui eam lectum inscendere omnino vetuit, eius non est, quomodo inde descendere debeat, præcipere. — 771. Post *quoi* hiatus in cæsura; Both. Fl. „quoiquam“. *Anulos* constat tam viros quam feminas vulgo gestasse. Hos sæpe alter alteri monstrabat, ut aut artem sculptæ imaginis aut splendorem gemmæ admiraretur. Tale quid eam facere amator suspicax vetat, nec sine causa, vid. Tibul. I, 6, 25 sq.: „Sæpe velut gemmas eius signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum“. — 772. *Talis* in convivio ludere solebant, v. infra 895. Most. 303. Mil. 165. In hoc lusu alter alterum provocabat, cf. Curc. 355. Philænio præter unum Diabolum neminem provocare licebit. In iaciendo autem aut deos invocabant, quos sibi propitios fore sperabant, aut homines eos, quos maxime amabant, sive quo nullam rem amori se præferre significarent, sive ut eventum iactus pro omine haberent, cf. Capt. 73: „in conuiuio sibi amator, talos quom iacit, scortum inuocat“. Curc. 356: „inuocat Planesium“. infra 896: „Te, Philaenium, mihi atque uxoris mortem“. Sed Philænio, vel si præsentem invocatura est, non *te* simpliciter dicere licebit, ne forte alius hominis nomen mente cogitet; nomen addere oportebit. Quod si deorum opem implorabit, ut parasitus in Curc. 358 Herculis, deas solas invocet, nam deos etiam rivales metuit adulescens; si sibi religiosum esse putaverit, ut deum aliquem adoret, ipsum se ait pro ea invocaturum. — 777. Ad hunc locum Nonius p. 439: „Inter *nutare, adnuere, nictare* veteres hoc interesse voluerunt, ut nutare capitis, adnuere vel innuere narium vel labrorum, nictare oculorum significantiam esse decreverint“; primum et tertium recte; alterum et putide et perperam; *adnuere* generalem vim habet, quasi dixisset: „aut nutet aut nictet aut alio quovis modo adnuat. Duo priora iunguntur etiam Men. 601. Merc. 400. — 778. *extincta est* codd.; Fl. „sit“; ego „erit“ malui, ut v. 775 „fuerit“. — 779 sq. *ne quid sui membri,* i. e. ne quam partem

ullius membri sui. *quicquam* post *quid* abundat, ut multa apud Plautum. Fit idem post pronomen interrogativum, v. Aul. 801: „Quis me Athenis nunc magis quisquamst homo, quoi di sint propitii?“ Most. 251: „Quid illa pote peius quidquam muliere memorarier?“ — 780. *Ita scilicet facturam*, i. e. scire licet, apparet, ita facturam vel ita facere debere. *Scilicet* cum accus. c. inf. sæpius antiquiores, ut Curc. 263. Pseud. 1177. Rud. 395. Ter. Heaut. 358. 856. 892. cf. „uidelicet“ supra 592. — 781. *Deme istuc*, i. e. tolle (784), dele ex syngrapha. Per parenthesin hæc interponuntur, duriusculam fortasse, sed quotidiano sermoni convenientem; cf. infra 926. Curc. 367. Cas. 39. 732. 911. Terent. Eun. 945. Horat. Sat. II, 1, 45: „Qui me commorit — melius non tangere, clamo — Flebit“. Parenthesis non intellecta inutiles emendandi conatus peperit, ut Mülleri „istic quidem illam commoueri“. — 782. *illam habere;* hoc ordine Nonius p. 45, qui quod „Votitum“ ait „veteres religione aliqua prohibitum vel interdictum dici voluerunt“, huc non pertinet; hic enim non religione sed syngraphæ verbis vetitum videri potui. — 783. *captiones*, quibus id, quod in aliam sententiam imprudenter dictum est, arripitur et alio detortum contra auctorem fit, cf. Epid. 690: „Enim istaec captio est“. Most. 1126. — *Uerum*, sane, cf. Men. 1003. Merc. 212. Pœn. 400. Ter. Eun. 347. Heaut. 1013. Ad. 543. al. — 784. *relicua*, v. Prol. p. 215. Fl. etiam: „Eloquere“, vix necesse. — 785. *perplexabile* recte Nonius p. 151, enarrans: „quod aliud audiatur, aliud sentiatur“. cf. Stich. 89: „Perplexabiliter earum hodie perpauefaciam pectora“. Aul. 253: „scio, quo uos soleatis pacto perplexarier“. Ter. Eun. 817: „Pergin, scelesta, mecum perplexe loqui?“ — 786. *Neque sciat.* Ne aliena lingua loquatur, etiam nescire linguas iubetur. — 787. *Forte.* Ne versus a cretico inciperet, Both. Fl. „Fors“ scripserunt, quæ dicendi ratio Vergilio eiusque imitatoribus familiaris est, num apud antiquiores in usu fuerit, ignoratur. — *sic* olim emendatum. — 788. Linguam vetat eam in tussiendo *proserere* vel exserere (ut Liv. VII, 10, 5), ne lingua prolata videatur aliquem ad basiandum invitare, cf. supra 688. — 790. *Hoc ne sic faciat*, linguam ne proferat, ut fluenti pituitæ succurrat. Potius ipse labellum abstergeas, quam ut tali

ratione osculi mysteria aperiat. *sic* δεικτικῶς ponitur; parasitus quid significet, ipse monstrat. *Sauium* pro ipso ore est, ut Mil. 94: „hic meretrices maiorem partem uideas·ualgis sauiis". Rud. 424: „quae indoles in sauio est?" Gell. XVIIII, 11, 4: „semihiulco sauio". — 792. *ad uinum* et *interim* se invicem explicant. Quamdiu adulescens et puella compotantes accubant, lena accedere vetatur. Cf. Ter. Heaut. 568: „Uel heri in uino quam inmodestus fuisti!" — 793. *uerbo*, i. e. vel uno verbo. — 795. *scripsti* olim emendatum. — 796 sqq. Veneris et Cupidinis aras ornare et colere meretrices decebat, cf. Pœnul. 315 sqq. Lucian. Dial. meretr. 7 init. al. Ornabantur autem aræ *coronis* et *sertis*, cf. Aul. 25: „dat mihi coronas". 378: „Nunc tusculum emi et hasce coronas floreas, haec inponentur in foco nostro Lari". Cato. R. R. 143: „Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat". Quæ coronæ etiamsi plerumque capitis modum excedebant, ut est apud Fest. Epit. p. 69, tamen non alius generis erant, quam quibus utebantur in conviviis, ut infra v. 870. Nec *unguenta*, quibus perfundebantur homines, alius generis erant, quam quibus lapides sacri et aræ. De hoc more vid. Hermann. Gottesd. Alterth. 24, 16. nos ad Theophrasti Char. 16, p. 113. Lucian. Deorum concil. 12: πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ καὶ στεφάνους ἔχῃ. — 797. Post „Ueneri" hiatus est. Antiqui edd. „suam" addebant. Fl. „Veneri deferre" scripsit. Alia tentavit Müller p. 695. — 798. *seruet*, observet, cf. Aul. 357. Men. 213. Rud. 895. Ter. Andr. 212: „me infensus seruat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam". Non. p. 387, qui præter h. v. ex Lucilio affert: „Quid seruas, quo eam, quid agam? quid id attinet ad te?" — 799. *pure habere*, ἁγνῶς ἔχειν, a concubitu abstinere, quod quum in aliis plerisque sacris, tum in Isiacis observabant feminæ, cf. Tibul. I, 3, 26: „puro secubuisse toro". Propert. II, 28, 62. 33, 1: „Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis; Cynthia iam noctes est operata decem". — 800. *spurcas*, quibus cum viro cubet. Cf. Non. p. 394, qui h. v. affert. Quod et ille et codd. Plautini „puras", non „pure" habent, versu iubente emendavit Bothius. — 801. Hæc, inquit, seria sunt, non nugæ; neque enim mortuis hæc cantantur, sed vivis scribuntur. Etenim

moris erat apud Romanos, ut in funeribus a conductis mulieribus, quæ præficæ appellabantur, næniæ cantarentur in honorem defuncti, inepta et incondita carmina, ut ait Nonius p. 145, quorum putidæ et exaggeratæ laudes vulgo ridebantur; v. Non. p. 66 s. v. „præfica“, et egregium illud Senecæ exemplum de morte Claudii c. 12.

His dictis adulescens et parasitus domum lenæ intrant, ut ex hac syngrapha rem conficiant. Sed meretricem alteri auctoratam inveniunt et Demænetum filiumque cum ea potantes vident. Quare statim redeunt iræ pleni et ultionis cupidi. Apparet spatium aliquod temporis, quamvis exiguum, inter has duas scenas interiectum esse, et fuerunt, qui putarent (ut Fleckeisen) partem aliquam fabulæ h. l. intercidisse. Sed argumento nihil deest, nec, qui externis testimoniis lacunæ suspicionem firmari putarunt, quasi versus huius fabulæ a grammaticis afferrentur, qui in codicibus non extarent, quidquam agunt. Unum enim omnino eiusmodi versum Nonius (p. 305 s. v. fama) ex Asinaria laudat: „qui etiam me miserum famosum facit flagitiis suis“. Verum hæc verba nec in Demænetum nec in ullam aliam huius fabulæ personam conveniunt, ut in promptu sit suspicari errasse Nonium in fabulæ nomine. Hoc re vera ita esse docuit Studemund in Ind. schol. Gryphisw. $18^{71}/_{72}$, p. 15, qui ex palimpsesto Ambrosiano hunc versum Casinæ vindicavit (v. 911). Quare nobis quidem nihil excidisse videtur. Fit enim hoc etiam in aliis fabulis, ut eædem personæ, quæ scenam reliquerunt, denuo redeant; intervallum autem, quod necessario oritur, tibicinis cantu expletur, vid. Proleg. p. 168 sq. Locis ibi allatis etiam Capt. 900 addi potest, ubi parasitus ad cenandum ædes intrat, proximo autem versu puer inde exiens aviditatem eius, quam in cena conspexerat, describit, ut ibi quoque non nihil temporis intercessisse appareat. In Curcul. 460 pro tibicine choragus spectatores oblectat.

Quod in B huic scenæ suprascriptum est DVO, librarius male intellexit, quod legeratDV, i. e. diverbium, v. Proleg. p. 170 sq. — 803. Si versus integer est, *egone* alteram syllabam producit,

cf. Amph. 196. Fl. „egone haec *ut* patiar" ed.; in cod. B post *ne* aliquid erasum est, quare malim: „egone ut haec patiar". — 805. *Ain tu?* codd. male, nec enim Demænetus quidquam dixit, nec a proxima sententia pronomen „tu" abesse potest. Necessario *An tu* scribendum. — 807. *amanti*, se ipsum intelligit. — 808. *suppiles* olim emendatum (cod. B „suppelles", i. e. suppeiles), cf. infra 879. Nonius p. 12 Cæcilii et Pomponii locos affert. Sine obiecto Trucul. 563; sed Men. 727. 791: „ille suppilat mihi aurum". Narravit nemo Diabolo, qua ratione Demænetus pecuniam confecisset, sed vulgo notum erat ipsum nihil habere, nisi quod uxori auferret. — 809. *Suspendam* emend. Both. — *tu* post „tacita" in codd. mala repetitione syllabæ ortum delevit Both.; Fl. transp.: „haec tu". — *tacita auferas*, cf. Cic. ad Att. II, 3, 2: „Cetera si reprehenderis, non feres tacitum". Liv. I, 50, 9. III, 45, 6. — 810. *prope diem* olim emendatum. — 811. Nisi uxor, inquit, te præverterit, eam funditus perdes et ad egestatem rediges. Sed versus iusto longior est; Both. „Ni" scripsit; mihi *quidem* ex antecedenti versu irrepsisse videtur. — 813. Priorem versus partem Pareus cum antecedentibus iunxit, a „Me" parasiti sermonem inchoavit; sed dubitari nequit, quin totus versus parasiti sit; de relatione adverbii *sic* dubitari potest. Quod si ad antecedentia refertur, desideratur „sed" ante me; ac fieri potest, ut „at" exciderit, cf. 836. Sin autem sanus est versus, *sic* ad sequentia necesse est referatur. Accuratius diceretur: „tu hic maneto; ego rem palam faciam"; nunc pro ipsa sententia sententiæ causa affertur, honestius sic fieri. — Fl. „honestius . . . facerest" scripsit, quo minime opus. — 816. *At pol qui*, v. Amph. 699. — 817. *fac ut* codd., Fl. „ut" omisit, sed v. ad Amph. 976. — *turbas litis* v. Amph. 891. — 818. Ne post *gnato* hiaretur, quamquam in cæsura ferri poterat, Fl. „una" ante „unam" addidit; Ritschl. „gnatod" scripsit; Müller „sibi" ultima producta legi volebat. — *suo sibi*, cf. Amph. 265. — *ad*, i. e. apud, cf. Capt. 49. 692: „ad patrem". Truc. 280: „ad nostras aedis". Ter. Heaut. 979: „ad sororem". Most. 832. 982. Mil. 926: „ad forum". Pœn. 730: „ad praetorem". Casin. 178: „ad mulieres". Ter. Andr. 728: „ad erum". — *de die* tempestivum convivium indicat, cf. Horat. Sat. II, 8, 3: „de

medio potare die". Græcis est ἀφ' ἡμέρας, ut Polyb. VIII, 27, 11. — 819. Versus corruptus. Cod. Brit.: „Potare illum, expilare clam emone", quo nihil iuvamur. Vulgo edunt: „Potare, illam expilare clam. PA. Ne me mone"; Pareus: „iam memor es". Ante omnia quærendum, unde pendeant infinitivi potare, expilare; quos absolute poni veri simile non est. Mihi quidem a voc. *mone* pendere videntur („emonere" non est Latinum); quare sententiæ simul et versui consulens *iam pridem* scripsi. — 820. Post *curabo* hiatus in cæsura; Müller „At pol ego" malebat.

---

821. Iam apertis ædibus, sive eccyclemate sive alia qua ratione hoc fit, convivium spectatur et Demænetus inter filium et meretricem accubans, ut adulescens summus sit, meretrix infima, v. 882. Duos primos huius scenæ versus spurios esse recte intellexit Weise. Non enim nunc demum ad accumbendum invitatur; convivium dudum institutum iam Diabolus viderat, spectatores autem in medias res rapiuntur. Spurios esse hos versus etiam metrum arguit, nam tota scena octonariis iambicis scripta est; interpolator senarios præposuit, quod ratione caret. — 823. *molestum est* cett. codd. præter B. — 824. *Pietas oculis dolorem prohibet*, i. e. pietas facit, ut dolorem, quem his rebus visis percipere me consentaneum est, non sentiam, cf. Terent. Phorm. 1053: „Uin facere quod tuo uiro oculi doleant?" Cœl. ad Cic., Fam. VIII, 14, 1: „Numquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses". — Fl. ed. „ego quamquam istam", non opus. — 825. *aegre patiar quia*, cf. 55. — 828. *et* pro *ut* olim emendatum. — 830. *esse te* codd.; Fl. transposuit; non opus. Idem cum Bothio alterum „esse", ne priorem corriperet, delebat. — 831. *Putem;* putare se negat, quod apertum et certum sit, cf. Ter. Eun. 705: „Credis huic quod dicat? PY. Quid isti credam? res ipsa indicat". — *ut* delevit Lambinus. „*quasi dics si dicta sit*, sc. tibi, quasi causa tibi dicenda sit, aut quasi capitis reus sis", id. („dicta" iam in B emendatum.) — 832. *ilico*, i. e. cum primum sic esse desieris. — 833. *Utinam . . . sic rideant*, risu non vero aut ex animo,

sed simulato, qualem antiqui Sardonium appellabant, aut „alienis malis ridere“ dicebant. Cf. Ter. Eun. 655: „Temulenta es. PY. Utinam sic sint qui mihi male uolunt“. — 836. *quia* Acidal. em., *at* Weise. — 838. *sunt* sc. tibi, cf. 831. Ter. Eun. 786. 1056. — *exoptem;* coniunctivus rationem non habet; scribendum: „exopto, ea uolo“. — 841. *deuinxti* olim emendatum. — *te hilarum das mihi*, i. e. præbes, cf. Ovid. Her. 16, 195: „Da modo te facilem“.

---

842. Exit Artemona, uxor Demæneti, una cum parasito Diaboli, qui ei flagitium mariti narravit idque iam oculis ipsius subiecturus est. Scena iustæ iræ et ardoris plena trochaicis septenariis scripta est. — *meum* olim emendatum. — Post *potare* hiatus in cæsura. Fl. transp.: „potare hic“, Müller addebat „una“ ut 854. — 845. *adcreduas*, vid. ad Amph. 665. — 846 ut in codd. scribitur, „esse“ priorem corripit; Fl. transp. „mendacem esse“. — 847. *scelesta*, infelix, v. 473. — *frugi* corruptum est, nam eadem vox in proximo versu suo loco ponitur. Edd. *fui*, contra grammaticæ rationem, quæ aut *sum* postulat aut *fueram*. Sed comparanti vss. 847—48 cum 849—50 duos posteriores tam accurate inter se respondere apparet, ut singulis verbis singula contraria reddantur. Veri simile est igitur etiam verbis v. 849 „ante omnis minumi mortalem preti“ in extremo versu 847 contrarium aliquod positum fuisse. Luchs in Studem. Stud. I, p. 42 coni. „meum uirum [antehac] rata [probum]“; ego pro „frugi“ scripsi *egregium*. De omisso verbo substantivo vid. ad Amph. 56. — 848. Versum affert Nonius p. 394. *Siccum*, i. e. sobrium, sanum, cf. Cic. Agr. I, 1, 1: „Hæc utrum esse vobis consilia siccorum an vinolentorum somnia, et utrum cogitata sapientium an optata furiosorum videntur?“ Pers. 5, 163: „An siccis dedecus obstem cognatis?“ Huic v. 850 contrarium ponitur *madidus*, ut mox *frugi* contrarium est *nihili*, de quo v. 469, et sequentia. — 851. *uera ista*, hoc ordine præter B cett. codd., ut versus postulat; possis etiam: „Pol ista ni uera“. — 854. *unam amicam* Fl., non opus. — 855. *illic* pro „ille it“ Both. recte

recepit ex cod. Guelferbytano. — 857. *Chremem* pro „Chremetem" etiam interdum Terentius. — 858. „*Lustra*" ait Nonius p. 333 „lupanaria dicuntur"; affert ex Plauto h. v. et Casin. 222 sq. „Libera lustra" enarrant: „ubi libere scortari licet". Sic autem totus versus Ciceroni aut Senecæ similior fit quam Plauto. Recte Heinsius pro *et* scripsit *est*; illud queritur mater, quod vir ipse flagitiis deditus etiam liberis corruptelæ sit, i. e. liberos corrumpat, ut v. 866 et 923. — 859. *sublimem* rapere aut ferre vulgo dicebant, v. Mil. 1385. Men. 971. 974. 981. 1030. Terent. Andr. 861. Ad. 316. Liv. I, 16, 2. Verg. Æn. I, 259. V, 255. X, 144. al. Enarrant fere „sublatum"; sed quod Augusteæ ætatis poetæ convenit, ut adiectivum per prolepsin cum prædicato iungatur, a vulgari hominum sermone abhorret, quæ in eiusmodi re potius adverbium rationem indicans postulat. Adverbium esse sequitur etiam ex Men. 971: „Facite illic homo iam in medicinam ablatus sublimem siet"; ubi, si adiectivum esset, „sublimis" poneretur. Quid quod dubitare licet, an „sublimem" vera huius voc. forma sit? nam in Menæchmorum locis quattuor cod. B *sublimen* habet, in duobus etiam cod. C, eademque forma in Parisino Livii et in uno Servii libro extat. Quare Ritschelius Opusc. II, p. 462 sqq., ubique „sublimen" scribendum censuit. Qui quod hoc proprie „sub limen" esse putavit, sine dubio erravit; adverbium sit necesse est ab adiectivo q. e. sublimis formatum, sed qua ratione, incertum est; nam „sublimen", quod codd. commendant, terminationem habet aliunde non notam; fortasse „sublimei" fuit (Madv. Gr. Lat. 198 c „sublime"); aut „sublimim", ne eadem vocalis duas contiguas syllabas obtineret, in „sublimem" transiit. — 860. Post *ne* hiatus; Both. „illunc" scrib., Fl. „ego" addebat. — 861. *censeo*, præsens historicum. Brixium in Annal. phil. CI, p. 763 „censui" corrigentem refellunt præsentia, quæ sequuntur v. 864 sq. (aduenit, arat, deserit). Ego, inquit, putabam eum in senatu operam dare reipublicæ aut in foro clientibus, et quod totam noctem stertebat, eum tali labore in illis locis defessum domum redire existimabam. — Post „hominem" hiatus est; antiqui edd. „aut" addebant; non male, sed vereor, ne graviora vitia subsint; nam

pro *etiam* expectabatur „quotidie". Iusto licentius foret: „Eum sedere hominem in senatu aut dare operam cluentibus". Magis placeret: „Totum diem hominem senatu dare operam aut cluentibus". — 864. *foris opere*, sic Both. versus causa transposuit; Fl.: „Opere illic foris"; fortasse neutro opus. Post *noctu* hiatus; Both. „noctud"; Fl. „ad me" add. — Ceterum *opere faciundo, fundum arat* etc. vocabula ab agro colendo ad concubitum translata more inde ab antiquis Græcis usitato, cf. Trucul. 148 sqq. — *familiarem*, domesticum, suum, contrarium ponitur alieno. — 866. *corruptus*, i. e. postquam ipse corruptus est. — 867. *me* et B sec. man. et cett. — 870. *cum corona*, ut convivam decebat, v. Becker, Gall. III, p. 244 sqq. — *si uideas*. Sententia condicionalis semel posita verbis paulum mutatis repetitur, cf. Terent. Phorm. 15 sq.: „Uetus si poeta non lacessisset prior, Nullum inuenire prologum posset nouos, Quem diceret, nisi haberet quoi male diceret". cf. ad Amph. 900. — 871. *Hem* codd.; Lamb. „Eu"; nos „Em", v. supra 428.

873. *amplexando* Acidalium secuti scripsimus cum Both. Fl., ut v. 168. — 874. Post *amore* hiatur in cæsura, tum *huius* pro trochæo legendum; Fl. „esse" addebat. — 875. *Egone* vulgo coniunctum scribitur, ut sit interrogatio cum proximo versu terminata; sed sententiam non ante v. 877 finiri ostendit locus geminus Casin. 481: „Tribus non conduci possim libertatibus, Quin ego illis hodie conparem magnum malum". Sic h. l. maritus „Ne ego" inquit, „vel si maximum præmium mihi promiseris, adduci non possum, ut non pallam, quam maxime diligit, ei subripiam". *Ne* affirmativum est, quod non semper sententiam orditur, sed interdum pronomini personali postponitur. Nota est interrogandi et respondendi formula: „Egone? — Tu ne", Capt. 849. Epid. 568. Stich. 632. Trin. 634. Sed fit idem non præcedente interrogatione, v. Curc. 138: „Tibi ne ego, si fidem seruas mecum, vineam pro aurea statua statuam". Mil. 566: „Ego ne si post hunc diem muttiuero, dato excruciandum me". Quod ad rem attinet, maritus uxori pallam subripiens, quam meretrici donet, ex Menæchmis notus est. Quod autem pro magno pretio ponitur *uita uxoris annua*, Lambinus ceterique sic accipiunt: etiam si

mihi promiseris uxorem meam non ultra annum victuram. Sed si hoc voluisset, potius mortem uxoris dixisset, si quidem vel annua vita eius longa ei videretur, ut annuus penus Pseud. 177 etiam lenoni satisfacit. Immo hilarissimus senex παρὰ προσδοκίαν pro re magni pretii id ponit, quod minime optat, quæ figura et apud alios scriptores, qui risum quærunt, frequens est, ut Catul. 44, 20: „Non deprecor iam, si nefaria scripta Sesti recepso, quin gravedinem et tussim Non mihi, sed ipsi Sestio ferat frigus", et apud Plautum, v. Bacch. 501: „Ni ego illam exemplis plurumis planeque — amo". Curc. 561: „Saluos quom aduenis In Epidaurum, hic hodie apud me — numquam delinges salem". Most. 248: „Ob istuc uerbum, ne nequiquam, Scapha, tam lepide dixeris, Dabo aliquid hodie peculi, tibi — Philematium mea". Pseud. 1174: „Quamuis pernix is homost; Ubi suram aspicias, scias posse eum — gerere crassas conpedes". Pers. 397: „Cum hac dote poteris uel — mendico nubere". Trin. 723: „Credo ad summos bellatores — acrem fugitorem fore". Trucul. 347: „Ita ego illam (pecuniam) seruem itaque parce uictitem, Ut nulla faxim cis dies paucos siet". — 878. Post *ire* hiatus in cæsura. Both.: „illunc". Quod autem dicitur „hodie primum ire adsuetum esse" pro „hodie primum ire nec adsuetum esse", parum accurate in unam sententiam coniectis, quæ duarum esse debebant, talis incuria quotidianum hominum sermonem interdum invadit; cf. Curc. 204 sq.: „Quousque quaeso ad hunc modum Inter nos amore utemur semper subrepticio?" pro „Quousque et num semper?" — 879. *quod ancillas meas suspicabar* sc. facere, cf. Men. 739: „Ecastor pariter hoc atque alias res soles". Mil. 1011: „Pol istuc quidem multae" sc. faciunt. — 881. *dari* Acidalius em. versu iubente. — *dudum factum est quom*, cf. Amph. 685: „quam dudum istuc factumst". — 882. Puero imperat, ut initio facto ab eo conviva, qui summus accumbat, qui hic est Argyrippus, vinum poculis infundat; ipse interim Philænium infra se decumbentem savium rogat. — 883. *capuli decus*, i. e. qui capulum decet, senex capulo, i. e. sarcophago sive sepulchro destinatus, qui Mil. 629 „capularis" dicitur. Versum affert Nonius p. 4.

Versum 884 in cod. B sequitur 886, tum 887, 892—94, 885, 888—91, omnes autem codd. post v. 897 duos primos (886—87) repetunt. Primi statim editores animadverterunt v. 885 his anteponendum esse; Acidalius autem intellexit v. 887 ab 888 divelli non posse. Is itaque v. 887 ab antecedenti (886) interpositis versibus 892—94 separavit contra disertam librorum auctoritatem, quæ hoc versuum par (886—87) repetitione tuetur. Fleckeisen recte animadvertit versus 892—94 totius loci extremos esse debere; sed quod versus sic ordinavit: 884—86, 890—91, 887—89, 892—94, id et hoc habet incommodi, quod 887 ab 886 divellitur, et quod v. 892 „Ain tandem?“ ad parasiti verba v. 889: „Amat homo hic te, ut praedicat“ referuntur, quod ferri non potest. Equidem hanc mihi turbarum originem et viam animo informo, librarium, quum primum v. 885, deinde vv. 888—91 incautus omisisset, postea animadverso errore post v. 894 omissa (885. 888—91) adscripsisse. Sic sententiæ recte se excipere videntur. — 885. Post *anima* hiatus in cæsura. Fl. transp.: „anima foetet“; Lachm. ad Lucret. p. 200 prætulit, quod est apud Nonium p. 233, „tuae uxori“ cum hiatu; Koch. in Ann. phil. C, p. 285: „uoxori“, de quo vid. ad Amph. 1102. — *Nautea* est aqua de sentina navis, ut ait Nonius p. 8, cf. Curcul. 100: „omnium unguentum odos prae tuo nauteast“. Casin. extr.: „hircus unctus nautea“. — 886. *necessum sit* Fl. grammatica suadente. Simul restituitur versus; antiqui „illanc“ scribebant. — 887. *dignus est*, sc. qui miser sit. — *Quid ais?* v. Amph. 414. — 889. *ut praedicat*, ut ex eius verbis apparet. — 890. *illa* em. Douza. Alii „haec“ post „fenerato“ addunt. — *funditat*, cf. Pœn. 271: „Monstrum mulieris! tantilla tanta uerba funditat“. *faenerato*, quæ non simpliciter, sed cum fænore repensurus est, quorum pœnæ non simplices, sed multiplices solvendæ sunt, cf. Men. 592: „Ne illam ecastor faenerato abstulisti“. Ter. Phorm. 493: „Faeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices“. Ad. 219: „Metuisti . . . ne non tibi istuc faeneraret“. — 891. *osculando potissumum*, quasi ex iis, quæ dixit maritus v. 885 sq., graviorem pœnam non habeat. — 892. *Ain tandem?* quæstio significans ægritudinem animi, cf. Aul. 292. Truc. 599. *Ain* dissyllabum est, v. Proleg. p. 198. Müller nec

hoc probans nec hiatum ferens post „tu“ addebat „hodie“. — 893. *Sine.* Acidalius „hoc“ inquit „verbum sic a reliquis distinxi, ut solum proferatur et pro formula agnoscatur minandi per quandam concessionem“; recte, nam si cum sequentibus iungeretur, necessario scribendum esset: „Sine modo ueniat domum, faxo ut sciat“. Sed Acidalius exemplum affert parum aptum, Aul. 417; ibi enim significat „Omitte me“. Hic comparari poterat Græcorum *Εἶεν*, Plauti Bacch. 804: „Egomet tabellas tetuli, ut uincirer. Sine“. Trucul. 626: „pulchre ludificor. Sine“. — Quod ad numeros attinet, Plautus h. l. proceleusmaticum sibi permisisse videtur; Both. transp. „In me dixisti“, Fl. „modo uenias“. — Deinde Fl. omisso *ut* scr. „faxo scias“, ad vulgatum usum, sed vix iure, vid. ad Amph. 351. — 894. *Uitium dicere* alicui est obiicere, male de aliquo dicere, cf. Ter. Hecyr. 154: „Reddi patri autem, quoi tu nihil dicas uiti, Superbumst“.

895. Argyrippus patrem ad aleam invitat, v. supra ad 772. Demænetus quum iacit, sibi Philænium optat mortemque uxoris. Editorum plerique *uxori* scripserunt, quod oppositio membrorum postulare videbatur; sed qui talos iacit, sibi, non alteri, vota facit. In nostra editione corrigendi incuria dativus mansit. — Mox iactis talis cum gaudio exclamat se *Uenerium* iecisse. Venus enim dicebatur optimus iactus, ubi ex quattuor talis suum quisque numerum monstrabat, vel ut ait Martialis XIV, 14, „quum steterit nullus vultu sibi talus eodem“. Cf. Lucian. Amor. 16: *τῇ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους ἀπαριθμήσας διεπέττευε τὴν ἐλπίδα, καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει.* — 897. *mulsum*, vinum melle conditum, v. Becker, Gall. II, p. 174. — 898. Postquam Artemona dixit se hoc amplius ferre non posse, *durare* non posse, v. Amph. 875, parasitus scurriliter hoc verbum alio sensu accipit, nec mirum esse ait eam durare non posse, si non fulloniam artem didicerit. „Durare“ igitur fullonum est. Quod qui ad tetrum odorem cum eorum labore coniunctum retulerunt, quasi poeta tetrum mariti scortantis visum cum illo fœtore compararit, vix verum invenerunt; parasitum saltem magis decuerat ex piscibus fœtidis comparationem petere, ut Capt. 805 sqq. Melius alii „durare“ transitivo sensu acceperunt,

quasi durum reddere. Fullones autem vestimenta lavando et interpolando, multa etiam creta adhibita (v. Theophr. Char. 10 extr.), sæpe duriora reddebant, quam oportebat. Quare qui durare vestimenta fullones dicit, eos non laudat, sed vituperat; qualis iocus ab hoc loco non alienus videtur. — 899. *In oculos* suadet ut invadant vel involent Demæneto, ut eos eripiant, cf. Most. 198. Ter. Eun. 648 al. Dativus facile auditur, cf. 381. Fl. ingeniosius quam verius ed.: „in oculos [cuculo] inuadist optumum". — 900. *tu istaec* ed. pr., cf. 896. Acid. „istanc" malebat. — 901. Post *Inuocasti* hiatus; Both. „inuocauisti". Müller p. 595 longe aliud requirebat. *Ecquis* olim emendatum. — „*Pollinctores* sunt" ut ait Nonius p. 157, „qui mortuos curant" et cadavera ante sepulturam parant et ornant, i. e. pollingunt, v. Pœn. 63. Sermonem sic institutum parasitus extremo proximo versu — nam quæ interiecta sunt, ad eum non pertinent — persequitur his verbis: „Mortuust Demænetus". Hæc enim causa est, cur pollinctores arcessi iubeat, quasi senex flagitiis detectis prorsus perierit et iam sepeliendus sit. Similiter Terent. Phorm. 1026: „Exequias Chremeti quibus est commodum ire, em tempus est". — 902. Filius matrem quum conspicit, salutat; ea *Sat salutis* respondet, ut Trucul. 258: „Sat mihist tuae salutis; nihil moror; sat salueo". Fl. cum dett. codd. „salutist". — 903. *est,* quod in codd. excidit, extat apud Nonium p. 22. *hic* pro „hinc" B. man. pr. — 906. *Poste demum huc*, sic B; altera manus emend. *hunc;* cett.: „Post eum demum huc". Illud recte tuetur Ritsch. Opusc. II, p. 543. Antiqua illa adverbii forma extat in B etiam Men. 825. Merc. 364. Stich. 384. Ennius ap. Fest. p. 356: „Poste recumbite uestraque pectora pellite tonsis". — 907. *in partem* Lamb. em., cf. 672. Liv. IV, 35, 6: „spem consulatus in partem revocandi", al. Ad rem etiam pertinet Ter. Eun. 1055: „ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem". — 910. *Regem;* patronum sic sæpe appellabant parasiti, v. Stich. 456. Capt. 92. Men. 887. Ter. Phorm. 338. Horat. Ep. I, 7, 20; 17, 20 et 43. — *tantumst incendium,* adeo ardet amore homo. — 911. *receptio*, v. ad Amph. 515. — 912. Excidisse aliquid duplex hiatus ostendere videtur. Acidalius „hodie" addebat, Fl. „istic". — *enicauit* olim emendatum. — 913. *hominum* Fl.

addidit; Both. transp. „pol omnium". — 914. *At etiam;* indignatur, quod nondum surrexit. — *cuculus*, κόκκυξ (Hor. Sat. I, 7, 31) quia aliarum avium nidos frequentat ibique ova sua ponit (Aristot. Hist. anim. VI, 7, 2), cum eo comparantur eiusque nomine appellantur, qui vagos amores sectantur, v. 925. Pseud. 96. Pers. 283. Trin. 245. — 915. *Uera hariolare*, sc. væ tibi fore, infortunium tibi imminere; v. 314. — 916. *paululum* præter B cett. codd. — 917. *Iam* quid significet aut quomodo ferri possit, non video, nec tamen, unde irrepserit, divino. — 919. *foetetne*, ut dixerat v. 885. — 920. *subripuisti pallam*, ut promiserat v. 875 sq. — 921. *Ecastor qui*, vid. ad Amph. 769. Hunc versum, qui in codd. Argyrippo tribuitur, recentiores editores Philænio restituerunt; recte, si quidem ex Gellio XI, 6 constat: „nusquam apud idoneos quidem scriptores aut *mehercle* feminam dicere aut *mecastor* virum". — 922. *Ego dissuadebam;* in hac quidem fabula hoc non fit; sed si mentitur talis filius, non est mirum; cf. 929. — 923. *mores est* codd., ac potest legi „morest"; sed verisimilius est, verbum substantivum deleri debere. Fl. transp. „aequomst mores". — *largirier*, tradere. — 924. *Nihilne te pudet*, i. e. nullo modo te pudet, cf. Most. 1156: „Nihil opust". Mil. 1001: „Hanc quidem Nil tu amassis". 1423: „nihil cessarunt". 879: „nihil clam est". Stich. 497: „Perii hercle uero plane, nihil obnoxie". Ter. Eun. 273: „tristis es. PA. Nihil quidem". al. — Demænetus respondet, si nihil aliud sit, quod se pudeat, at uxoris adspectum pudorem sibi movere. *tui* et B sec. m. et cett. — 925. Post „cuculum" hiatus in cæsura; Müller: „cuculumne". — 926. *cena coquitur*, parenthesis, cf. 781. — 927. *te* ante „dignum est" add. antiqui edd.; Both. Fl. „ut dignus es" malebant. — 928. *Male cubandumst*, cf. Most. 688 sq.: „Res paratast mala in uesperum huic seni, Nam et cenandum et cubandum est male". — Versum affert Nonius p. 128, ubi codd. „ducit"; *abducit* scribendum esse vidit Douza. *iudicatum*, in iudicio addictum, cf. Cic. Orat. II, 63, 255: „iudicatum duci videns". — 930. Iam Demænetus surrexit, ut uxorem sequatur, sed meretrix etiam abeuntem acerbe irridens promissorum meminisse iubet, is autem fracto animo uxorem orat, ut meretricem iam sibi

molestam abigat. — Proximus versus (931) vix Plautinus est. Numeri explentur, sed *intus* pro „intro“ solœcum est, v. Quintil. I, 5, 50. Tum sententiarum nexus vitiosissimus est. Philænium iam v. 930 quasi abeuntem senem monuit de palla, ut nunc eum ad se sequendum invitare non possit. Quod si voluisset, non sequi sed manere eum iussisset. Nec, si tale quid iussisset, is Demæneti animus est, ut se secuturum dicat. Quare Fl. transpositis duobus versibus sic ed.: „ART. I domum. PH. Da sauium etiam prius quam abis. DE. [Ab]i in crucem. PH. Immo potius intro: sequere hac, mi anime. ARG. Ego uero sequor“. Quo mihi quidem ulcus obtectum, non sanatum videtur; ego v. 931 pro spurio habeo. — 932. *abis* olim emendatum. — *I in crucem* cum hiatu legendum, v. Proleg. p. 220. Fl. „Abi in crucem“.

---

933. Ridiculæ fabulæ ridiculus exitus est, et ridicula, cur spectatores plaudant, causa affertur ab eo, qui pro grege histrionum verba facit. Vos, inquit, fere omnes Demæneti similes estis, quare misereri eius vos decet. Itaque si vapulare eum non vultis, plaudite, ut gaudeat gregis dominus neque histrio vapulet. — *uolup* Camerarius em., cf. Amph. 951. — 936. Pro „quaque“ priores ex codd. dett. „quidquam“; rectius Fl. *ubi quicque*, cf. Amph. 1064; „quæcunque“ inquit „occasio se obtulerit“. — 937. Ante „huic“ hiatus in cæsura. Müller „nos“ addebat, male. — 938. alterum *si* omittendum esse, olim intellectum est.

Index

in prolegomena et commentarios.

Errata et addenda.

Pag 6, v. 54 *deleatur* ego
— 12, v. 196 *deleatur* tum
— 19, v. 329 *scr.* Hinc enim mihi dextra
— — not. *scr.* 329 dextera
— 25, v. 396 *scr.* alius quisquamst
— 32, v. 538 et 540. *scr.* Num quid
— 33, v. 548 *scr.* quam ob rem
— 36, v. 592 *scr.* ille egomet fecit
— — *nota ad h v. deleatur.*
— 38, v. 623 *scr.* iam imperaui
— 39 not. *addatur* 636 quam
— 42, v. 682 *scr.* uos reuortimini
— 43, v. 696 *scr.* bacchae
— 46, v. 734 *scr.* refert si (*sine commate*)
— 55, v. 852 *scr.* falsum
— 57, v. 896 *scr.* iracunda es
— 61, v. 971 *deleatur* iam
— 62, not. *scr.* 993 scispellam
— — — *add.* 1000 potius
— 63, v. 1010 *scr.* mortuum
— 64, v. 1027 *deleatur* nunc
— 72, v. 1136 *scr.* exclamat
— 85, v. 122 *scr.* illud
— — *nota ad h. v. deleatur.*
— 89, v. 202 *scr.* quoius
— 101 not. *addatur* 394 pelleo
— 103 not. *pro 433 scrib.* 432
— 104, v. 443 *scr.* Heus, iam satis, tu.
— 106, v. 472 *scr.* Sceleste — non
— 111, v. 552 *deleatur interrogandi signum.*
— 112, v. 574 *deleatur comma*
— 116, v. 631 *scr.* Bono
— 123, v. 732 *scr.* facile faciet
— 131, v. 864 *scr.* Ille opere foris
— — *nota ad h v. deleatur.*
— 134, v. 896 *scr.* uxoris
— 137, not. *scr.* 938 si plausum si
— 181, lin. 11 *add* Asin. 864: „Ille opere foris“.
— 212, lin. 23 *post* „pronuntiandum“ *add.* Asin. 735 cum annot.
— — — 29 *post* „ei pro i“ *add.* vid. ad Asin. 482.
— 218, not. lin. ult. *post* 62 *add.* 68.
— 251, lin. 30 *post* cf. *add.* Asin. 591.
— 278, lin. 7 *post* valeo *add.* cf. Casin 695: „sapis sane“. Men. 778: „Sane sapit“. Pseud. 666: „Sane sapis et consilium placet“.
— 304, lin. 23 *post* cf. *add.* Asin. 113.
— 314, lin. 29 *post* „contemplo“ *add.* Asin. 534.
— 320, lin. 15 *post* „decus“ *add.* cf. ad Asin. 870.
— 354, lin. 19 *post* v. *add.* 297.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 20 08 08 005 8